PHILIPPI MATTHAEI ... IN EXTREMUM PANDECTARUM TITULUM, QUI...

Philipp Matthäus

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
10 A
13

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

13-10-A-13

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

13-10-A-13-I

PHILIPPI

MATTHAEI

EIUSQUE IURIS

TORIS, ET IN ACA

Marpurgensi Professoris

ordinarii,

extremum Pandectarum titulum,

Qui est

DE DIVERSIS REGULIS

Iuris antiqui,

Commentarius.



MARPURGI,

Paulus Egenolphus, Typis

MA.

Digitized by Google

Digitized by Google

PHILIPPI
MATTHAEI
UTRIUSQUE JURIS DOCTORIS, ET IN ACAdemia Marpurgenſi Profeſſoris ordinarii,

In extremum Pandectarum titulum,

Qui eſt

DE DIVERSIS REGULIS

Juris antiqui,

Commentarius.



MARPURGI,

Excudebat Paulus Egenolphus, Typog. Acad.

cIↄ Iↄ C.

BIBLIOTECA ... IN ROMA

Digitized by Google

13. 10. A. 13

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO ET POTENTISSIMO PRINcipi ac Domino, Dn. MAURITIO, Heſsiæ Landgravio, Comiti in Catzenelnbogen, Dietz, Ziegenhain, & Nidda, &c. Domino ſuo clementiſsimo.

TAmetſi, Illuſtriſſime ac potentiſſime Princeps, Domine clementiſſime, animus mihi non fuit unquam in apertum proferre ea, quæ in Illuſtriſſimæ Celſit. veſtræ Academia Marpurgenſi, ex muneris mihi clementer demandati præſcripto, de Jure hactenus commentatus fui, hoc præſertim literatiſſimo ſeculo, quo, Dei immortalis beneficio, & leges, & conſtitutiones Imperatorũ opera clariſſimorum JCtorum genuinæ puritati reſtitutæ, atq; ita explanatæ ſunt, ut vix dici de ulla Juris parte quicquam poſſit, quòd non dictum ſit prius: tamen cùm commentarium hunc, quem ſuperiori anno in regulas Juris civilis ſcri-

Digitized by Google

ptum in cœtu Studioſorum Juris ſatis frequenti propoſueram, non pauci certis de cauſis publicari à me ſeriò peterent, reiq; literariæ illud deberi contenderent, perſuaderi tandem mihi eò libentius ſum paſſus: quòd clariſſimus quoq; JCtus, Dom. HERMANNUS VULTEJUS Collega mihi plurimùm honorandus, publicandi iſtius commentarii autor mihi eſſet, nonnulliq; ex Studioſis mendoſam ejus editionem minarentur potius, quàm ominarentur. Quæ rès me movit, ut ſingula, quæ ad ſingulas L L. hujus de regulis Juris inſcripti tituli notâram, paulò diligentius expendere cœperim, multaq; adjecerim, nonnulla detraxerim, quædam etiam immutârim. Quid verò poſt tot clariſſimos JCtos, qui eaſdem Juris civilis regulas ſuis commentationibus illuſtrârunt, præſtiterim, equidem prorſus (ut ingenuè fatear) ignoro, nec ſi ſcirem, ſcribere me deceret. Etſi enim (ut fert cœcus amor ſui) mea dictata magnopere mihi non diſplicent, Jurisque tyronibus, iis cumpri-

mis,

mis, qui librorum copia inſtructi non ſunt, illa profutura potius, quàm nocitura eſſe opinor: tamen haud quaquam id ſatis eſſe puto, niſi publico etiam lectorum teſtimonio dictata iſta in lucem edita comprobentur. Sed quàm difficile illud mihi futurum ſit, ſatis ipſe intelligo.

Tres mihi convivæ, ſcribit Horatius lib. 2. epiſt. ad Jul. Florum, *prope diſſentire videntur*,

Poſcentes vario multum diverſa Palato:

quid de me fiet? qui non tres, ſed convivas innumeros ad cœnulam hanc parum opiparè apparatam invitavi? quorum palatis ſive judiciis tam variis in tanta opinionum & affectuum varietate quis ſatisfaceret? Sed quoquo modo hæc ſeſe habeant, ſi edendus hic commentarius fuit (quod quidem, ut dixi, faciendum eſſe viri aliquot boni judicârunt) & verò libri ſine patronis editi perinde habentur ſuſpecti, atque hi, quibus autorum nomina adſcripta non ſunt: quis mihi potius patronus

deligendus fuit, quàm illuſtriſſima, Princeps illuſtriſſime, celſitudo veſtra, quippe cujus & pater magnus ille Guilhelmus, ſanctiſſimæ recordationis, & patruus Dom. Ludovicus Senior, Heſſiæ Landgravii, &c. Domini ac Mecœnates mei clementiſſimi, me juvenem adhuc in locum patris mei piè defuncti ad artis Oratoriæ Profeſſionem primùm Baſilea vocari fecerunt? poſt, cùm Clariſſimus JCtus, Dom. REGNERUS SIXTINUS, C. V. Conſiliarius prudentiſſimus, primaria Juris Profeſſione ſeſe abdicaſſet, in numerum Juris Profeſſorum clementiſſimè cooptârunt? Cui, quod ſanè mihi longè ampliſſimum eſt, & hoc accedit, quòd in illuſtri hac Academia, quæ veſtram Celſit. ejuſdemque patruum illuſtriſſimum Principem Ludovicum Seniorem patronum habet, hæc dicta dictaq; ſunt: quòd de his ipſis V. C. pro admirabili ſua, atq; ad omnem poſteritatem prædicanda eruditione judicium melius multò, quàm alii, ferre poteſt: quòd ejuſdem V. C. munifi-
centia

centia ſingulari etiámnum fruor, quòd deniq; clementiæ ac patrocinio veſtræ Celſitud. me totum conſecravi. Quòd ſi me ſubditum & miniſtrum veſtra Celſitudo non aſpernatur, ſed ſibi & defendendum & ornandum ducit: eadem, quod ſpero, clementia lucubratum hoc opuſculum ſibi commendatum habebit. Non peto, ut in Prytaneo illud alatur (neq; enim honor iſte, qui Athenis erat maximus, opuſculo huic debetur) ſed ut C. V. vel in extremo angulo Bibliothecæ ſuæ inſtructiſſimæ loci aliquid habere illud patiatur. Sin verò ejuſmodi non eſt, quod illuſtriſſimæ veſtræ Celſit. patrocinio dignum videri poſſit, aboleri quidem illud facilè patiar: dummodo, id quod humilimè oro obſecroq́;, hoc impetravero, ut in clientum ſuorum numero me eſſe ſinat, proque ſingulari ſua clementia, qua bonos ac literatos mirificè complectitur, me meaque ſtudia ſibi commendata habeat. Deum opt.max. oro, ut C. veſtram omnis generis benedictione ſpirituali ac corporali magis ac ma-

ac magis locupletet, Reique publicæ Chriſtianæ ac patriæ quàm diutiſſimè incolumem & florentem conſervet. Marpurgi Heſſorum, ipſis Calendis Martiis, Anno à natali redemptoris noſtri Jeſu Chriſti 1600.

Veſtræ illuſtriß. Celſitud.

Subjectiſſimus

Philippus Matthæus.

13-10-A-13

PHILIPPI MATTHAEI D. COMMENTARIVS in Regulas Juris Civilis.

SUMMARIA.

1 *Cur extremus Pandectarum titulus de diverſis regulis juris antiqui inſcriptus ſit?*

2 *Nō omnes juris antiqui regulæ tit. huic inſertæ ſunt.*

3 *Qui non habet in ære, luat in corpore.*

4 *Vim vi repellere licet.*

5 *Novæ hereditates legitimæ capitis diminutione non pereunt.*

6 *Juris ignorantia cuiq; nocet; facti verò ignorantia non nocet.*

7 *Judicis arbitrio relictum eſt, quod nec à lege, nec ab homine determinatum reperitur.*

8 *Par in parem non habet imperium.*

9 *Quodnám jus antiquum hîc intelligatur?*

10 *Cur titulus hic in Pandectis poſtremus ſit?*

11 *Generalia ſpecialibus præponi debent.*

12 *Qualia oporteat eſſe generalia, à quibus ordo doctrinarum inchoandus eſt?*

13 *Regulæ juris ſunt velut rivuli è fōtib. juris derivati.*

14 *Regularū juris atq; aphoriſmorū Hippocr. collatio.*

15 *Joh. Mercerii judicium de diſpoſitione titulorum in Pandectis.*

TRibonianus † titulum hunc inſcripſit 1 non ſimpliciter de Regulis Juris, ſed de diverſis regulis Juris antiqui, ut ſignificaret non omnes, ſed multiplices, ac fermè potiſſimas hîc referri regulas, ex quibus utplurimum de Jure Romano judici-

2 um ferri poſſit. † Nam in libris antiquorum ICtorum complures extant regulæ, quæ titu-
3 lo huic inſertæ nõ ſunt. † Sic prætermiſſa eſt in hoc titulo illa: Qui nõ habet in ære, luat in corpore: quam regulam eſſe præter Imp. Conſtantinum *in l. 4. C. de ſerv. fugit.* ſatis quoque oſten-
4 dit Ulpianus *in l. 1. §. ult. ſup. de pœn.* † Neque hic reperitur illa, vim vi repellere licet, quam regulam ſcripſit Caſſius, teſte Ulpiano *in l. 1. §. vim vi. & in l. 3. § cũ igitur. ſup. de vi & vi arm.* Ut nec hæc:
5 † Novæ hereditates legitimæ capitis diminutione non pereunt: quam diſertè regulam nuncupat Juſtinianus *in §. ſciendum. Inſtit. de SCto Or-*
6 *phit.* Neque continetur ſub hoc tit. illa, † Juris ignorantia cuique nocet, facti verò ignorantia non nocet, quam Juris regulam appellat Paulus *in pr. l. regula. 9. ſup. de jur. & fact ign.* Nec extat
7 hic illa regula: † Judicis arbitrio relictum eſt, quod nec à lege, nec ab homine determinatum reperitur. *l. 1. §. ult. ſup. de jur. delib.* Ut nec hæc:
8 † Par in parem non habet imperium, *l. 4. ſup. de recept. arbitr.* Et hujus generis regulæ plures paſſim occurrunt, quarum hic titulus ne verbo quidem meminit: idque ipſum ſatis etiam arguunt regulæ iſtæ, quas Cujacius ad princ. hujus tit. notat.

9 Cæterum † per Jus antiquum, cujus inſcriptio meminit, intelligi hoc loco non debet illud, quod Jure novo abrogatum eſt, ſed quod Juliani, Gaji, Pauli, Ulpiani, reliquorumq; priſcorum

ſcorum ICtorum tempore in uſu fuit, atque in
50. Pandectarum libris continetur: neque hoc
ſolùm, ſed illud etiam, quod per conſtitutiones
iſtorum Impp. qui temporibus veterum ICto-
rum modò dd. vixerunt, introductum eſt. Id e-
nim omne Juſtiniano antiquum dicitur, quod
ante ipſius tempora ſancitum eſt, veluti videre
eſt *ex l. 1. C. de vet. jur. enucl.*

Sed † cur in Pandectis Tribonianus hunc ti- 10
tulum poſtremum eſſe voluerit, non immeritò
quis dubitaverit: præſertim cùm ex generali re-
gularum juris cognitione reliquorum ſpecia-
lium jurium cognitio pendeat: †. Et verò lex 11
methodi generalia ſpecialibus præponi velit:
quòd ignoratis generalibus ſpecialia quoq; im-
perfectè cognoſcantur. Qua de cauſa hic titulus
ex logicorum placito reliquis Pandectarum ti-
tulis præponendus potius quàm poſtponendus
videri poterat. Verùm ego ſecus ſentio, atque
titulum hunc ad finem Pandectarum rectè re-
ſervatum eſſe ſtatuo. Etſi enim doctrinæ ordo à
generalibus inchoandus eſt: † generalia tamen 12
iſta ita comparata eſſe oportet, ut in ſummo
gradu ſint generalia ſive generaliſſima, ſine
quibus ſpecialium cognitio neutiquam habe-
ri poſſit. Tales autem non ſunt regulæ, de qui-
bus in præſenti titulo ſermo eſt: quoniam ſunt
illæ † velut rivuli è fontibus Juris derivati, ſive 13
theoremata, quæ ex Juribus prius deductis re-
ſultant. Eſt enim hic titulus quaſi Coronis titu-

 lorum

lorum præcedentium, quoniam in anguſtum deducit & quaſi compendio concludit jura illa propemodum omnia, quæ à Triboniano ex infinitis antiquorum ICtorum libris collecta, & in certos titulos digeſta fuerunt. Sicut igitur rivuli è fontibus deducti his ſunt poſteriores: Ita etiam regulæ juris tanquam πορίσματα ordine conſecutionis logicæ ſunt poſteriores univerſali legum doctrina. Id quod exemplo phyſicorum axiomatum, nec non aphoriſmorum Hippocratis illuſtrari poteſt. Quemadmodum enim axiomata comportata ex omnibus libris phyſicis Ariſtotelis ſe habent ad univerſam ſcientiam phyſicam: & ut ſe habent aphoriſmi
14 Hippocratis † ad artem Medicam: ſic quoque & non aliter ſe habent regulæ Juris ad Juriſprudentiam ſive univerſam artem boni & æqui. At verò conſtat axiomata illa phyſica ad ſcientiam phyſicam, & aphoriſmos iſtos Hippocratis ad Medicinam habere ſe ut poſterius ad prius: quoniam nec axiomata illa phyſica ſine univerſa doctrina phyſica, nec Hippocratis aphoriſmi ignorata arte Medica intelligi poſſunt. Pari igitur ratione Regulæ juris quoque ad Juriſprudentiam habent ſe ut poſterius ad prius: quia ſine cognitione reliquorum jurium ſpecialium ſatis percipi atque intelligi illæ non poſſunt. Quod ipſum quoque extra omne dubium ſenſiſſe videtur Paulus in *l. 1. hujus tit.* quãdo ait, ex regula jus non ſumi, ſed ex jure, quod

eſt.

eſt, regulam fieri. Unde Johan. Mercerius *in cap. 16. lib. 2. opin.* ſummam Triboniani † induſtriam, 15
quam in connexione titulorum juris adhibuiſſet, ex hoc potiſſimum titulo patere aſſerit: quòd poſtremo loco melius poni nihil potuerit, quàm, ut ipſius verbis utar, diverſis cauſarum ac litium differentiis explicatis, regulas proponere, ad quas quaſi indices eorum jurium, quæ antè expoſita fuiſſent, Juriſconſulti confugerent.

L. I.

Paulus libro ſexto decimo ad Plautium.

¶ *Regula eſt, quæ rem, quæ eſt, breviter enarrat: non ut ex regula jus ſumatur, ſed ex Jure quod eſt, regula fiat. Per regulam igitur brevis rerum narratio traditur, & ut ait Sabinus, quaſi cauſæ conjectio eſt, quæ ſimul ac ſi in aliquo vitiata eſt, perdit officium ſuum.*

SUMMARIA.

1 *Regulæ definitio.*
2 *Rei vocabulum quid hoc loco ſignificet?*
3 *Alteri extraneo ſtipulari nemo poteſt.*
4 *Stipulatio utilis per inutilem non vitiatur.*
5 *Donatio quingentos ſolidos excedens quatenus reſcindatur?*

6 Sententia l. Furia Caninia.
7 Plus dodrante nemini in teſtamento legari poteſt.
8 Stipulatio legitimum uſurarum modum excedens an valeat?
9 Utile per inutile non vitiatur.
10 Rei dotalis fructus marito debentur.
11 Perfecta emptione & lucrum & damnum rei emptæ emptori cedit.
12 Cur pinguedo agri ſuperioris agro inferiori deferatur?
13 Inita ſocietate tot lucri partes ſocio cedent, quot damni partes ipſi adſcriptæ ſunt.
14 Ejus debet eſſe commodum, quem & incommoda ſequuntur.
15 Quid ſit cauſæ conjectio?
16 Cur regula dicatur cauſæ conjectio?
17 Decii lectio rejicitur.
18 An ex regula jus ſumatur?
19 Cur regulæ juris collectæ ſint?
20 Uſus regularum juris.
21 Cur furioſus injuriarum non teneatur?
22 Delictum non niſi animo committitur.
23 Quomodo Zaſius regulam à Jure diſcernat?
24 Vix ulla regula tam firma eſt, quin ſuas exceptiones habeat.
25 An regula & definitio in hoc titulo idem ſint?
26 An jure divino quoq; vim vi repellere liceat?
27 Quatenus vis vi repelli poſſit?
28 Poſſeſſio rei depoſitæ penes deponentem manet.

29 Con-

29 *Conciliatio l. licet 17. §. ult. ff. depoſ. & l. Intereſſe 39. ff. de acquir. vel amitt. poſſ.*

30 *Servus fugitivus quando domini ſui poſſeſſionem effugiat?*

31 *Par in parem quando imperium habeat?*

32 *Delinquentes privilegiis non gaudent.*

33 *Intentionem fundatam habet is, qui regula nititur.*

34 *In dubio pro regula pronunciari debet.*

HUnc titulum orditur Tribonianus à definitione † regulæ, quippe quam ex Paulo 1 brevem rei enarrationem definit. Ubi vocabulum † Rei, non denotat ipſam rem ſive factum, 2 quod in controverſiam venit: hujus enim enarratio ad eos ſaltem perinet, qui de re ſive facto iſto diſceptant. Verùm jus conſtitutum de rebus eodem modo inter ſe comparatis hoc loco Rei vocabulo intelligitur. Regula namque generalem ſententiam proponit, quam ICti in variis, eandem tamen rationem habentibus, cauſis decidendis ſecuti ſunt. Quod, ut perſpicuum magis evadat, uno atque altero exemplo declarare libet. Et primùm quidem conſtat, † eum, qui ſibi & alii, cujus poteſtati ſubjectus 3 non eſt, decem aureos ſtipulatus fuit, inutiliter ſtipulatum non fuiſſe. Etſi enim duæ hîc ſunt ſtipulationes, eaq; , quæ extraneo facta eſt, non valet: quod alteri ſtipulari nemo poteſt, §. *alteri. Inſtit. de inutil. ſtipulat.* tamen quoniam altera, quam ſibi ſtipulator fecit, valida eſt: Et verò in-

iniquum tam Pomponio, quàm Ulpiano, vi-
4 ſum fuit, ſtipulationẽ utilem † per inutilem vi-
tiari: ideo, non obſtante ſtipulatione inutili, u-
terq; eam ſtipulationem exequendam cenſuit,
quæ ſtipulatoris perſonam reſpiceret, ita qui-
dem ut is partem dimidiam ejus ſummæ, quæ in
ſtipulationem deducta fuit, aureos videlicet
quinque petere ritè poſſet, *l. 1. §. pen. & l. ſi mihi 110. in pr. ſup. de verb. obligat. §. ſi quis alii. verſ. quod ſi quis: Inſtit. de inutil. ſtipul.* Eademq́; de cauſa, ne
videlicet utile per inutile vitietur, donatio ul-
5 tra † quingentos aureos facta tota nõ reſcindi-
tur, ſed uſq; ad 500. ſaltẽ valet, in reſiduum non
valet. *l. ſancimus 34. in pr. & l. pen. §. ult. C. de donat.*
6 Quemadmodũ & per l. Furiam † Caniniam eæ
demum manumiſſiones irritæ fiebãt, quæ mo-
dum à lege præſcriptum excedebant, teſte Cajo
lib. 1. Inſtit. tit. 2. Eodemq́; pertinent ea, quæ Cu-
jacius ad extremum caput libri 4. recept. ſentẽ.
Pauli notat. Pari ratione heres teſtamentum, in
7 quo alteri † plus dodrante legatum eſt, totum
& omni ex parte non infringit, ſed eatenus il-
lud irritum facit, quatenus legata dodrantem
ſuperant. *§. quantitas autem. Inſtit. de l. Falcid.* Atq;
8 eandem ab cauſam ſtatutum eſt, ut, ſi † uſuræ
ſupra legitimum modum in ſtipulationem de-
ductæ ſint, ſuperfluis detractis, ſtipulatio intra
legitimum modum valeret, *l. pecuniæ. 9. l. uſuras. 20. & l. placuit. 29. ſup. de uſur.* Ejuſdemq́ue rei ex-
emplum de mandato certæ ſummæ extat *in §. is*
qui

qui exequitur. Inſtit. de mandat. cui & Paulus *in l.3. §.ult.*& Gajus *in l.4.ejuſdem tituli* conſentit. Hinc igitur extructa eſt hæc regula: utile † per inuti- 9
le vitiari non debet, *c.utile. 37. de reg. jur. in 6.* cujuſmodi regula totum illud jus, ex quo cauſæ prædictæ fuerunt deciſæ, quàm breviſſimè comprehendit. Sic cōſtat etiam jura marito aſſignare fructus † rei dotalis, propterea quod o- 10
nera matrimonii quoq; ſuſtinet. *l.dotis.in pr.de jur. dot.* Eadem jura emtori tribuunt omne id, quod emptione † perfecta, rei emptæ accedit, nulla 11
alia de cauſa, quàm quod ejus rei periculū quoque ad eundem pertinet, teſte Paulo *in pr. l. id quod.7.ſup.de peric.& com. rei vendit.* Neq; etiam aliam ob cauſam jura † pinguedinem agri ſupe- 12
rioris deferunt agro inferiori, quàm quod ſuperiori etiam ager inferior ſervit, ejusque incommodum excipit, ut refert Ulpianus *in l. 1. §. ult. ſup. de aq. & aq. pluv. arc.* Sic & in ſocietate totidem partes lucri jura aſſcribunt † ſocio, quot 13
damni partes ipſi addictæ ſunt, quamvis nihil de lucro pactum ſit, ut videre eſt *ex §. illud expeditum. Inſtit. de ſociet.* Hinc ergo regula facta eſt, quę jus illud ſummatim complectitur, videlicet ut † commodum cujuſq; rei ſequatur eum, quem 14
& incommoda ſequuntur: de qua regua regula plura dicentur *ad l. ſecundum naturam 10. inf. h.t.*

Cæterum quod regula hîc ex mente Sabini quaſi cauſæ conjectio dicitur, hoc ipſo, quid ſit Regula, plenius oſtenditur, & quidem per ſimi-

15 le. Etenim † cauſæ conjectio phraſis eſt oratoria, nec quicquam aliud, quàm brevem ejus, de quo oratio habenda eſt, narrationem ſignificat.
16 Quemadmodum igitur olim Orator, † cauſæ argumentum judici, apud quem illa agenda erat, ſummatim quaſi per indicem exponebat, antè quàm cauſa ageretur, veluti ex Aſconio, Pediano, & Aul Gellio, probat Duarenus *in cap. 46. lib. 1. diſp. anniverſ.* & Bernh. VValtherus *lib. 1. miſcell. cap. 21.* Ita quoq; regula ſimilium caſuum in Jure deciſorum ſummam quandam complectitur. Ut ſic regula ſit quaſi cauſæ conjectio, h. e. rei in breve coactio. Ubi hoc prætereundum non eſt, quod Decius hìc n. 10. ſecutus Accurſium & Placentinum pro conjectione, legit conjunctionem, quaſi ex conjunctione plurium cauſarum eandem rationem habenti-
17 um regula conſtituatur. Cujuſmodi † lectionem, licet appoſita ejus interpretatio ſubſiſtat, dictio QUASI infringit, quippe quæ in iſto ſenſu prorſus abundaret, id quod & Alciatus animadvertit. *in cap. 1. lib. 5. parerg.*
18 Quod porrò Paulus hìc ſubjungit, ex † regula jus non ſumi, ſed ex jure, quod eſt, regulam fieri : hoc ipſo haud obſcurè confirmantur ea, quæ ad principium hujus tit. de ratione ordinis notavi, videlicet regulam tempore poſteriorem eſſe Jure ſpecialiter conſtituto. Regulæ
19 † namque in hunc finem collectæ non ſunt, ut ex illis principaliter jus peteretur, ſed ut per illas

las ſimpliciter, & quoad ejus fieri poteſt, breviter exponeretur jus, quod antè de caſibus ſimilibus conſtitutum eſt. PRINCIPALITER, inquam, quia jus per conſequentiam ex regulis ſumitur, quatenus illæ ex jure, h.e. ex obſervatione Juris deſumptæ ſunt. Nunc † enim cùm 20
extractæ ſint, id operæ juris ſectatoribus præſtant, ut ex iis ſimilia judicare, deque his, quæ expreſsè deciſa in jure non ſunt, ſententiam ferre queant. Tametſi hoc commodi quoque regulæ juris præbent, quod ex iis rationes eorum, quæ conſtituta ſunt, utplurimum peti poſſunt: veluti ſi ſcire quis volet rationem, cur † 21
furioſi injuriarum teneri nequeant, *per l.3.§.1. ſup. de injur.* commodiſſimè illam petere poterit, *ex l. furioſi. 40. inf. h.t.* ubi Pomponius ait, furioſi nullam eſſe voluntatem: ſine † voluntate au- 22
tem ſive animo delictum nullum committitur. *d.§.1. l. qui injuria 55. in pr. de furt. & l. 1. C. ſi adverſ. delict.* Prædictis non adverſatur, ſed conſentit potius Zaſius, quando *in l. jura 8. n.11. ſup. de legib.* jus † hypotheſi, regulam verò theſi comparat: 23
idque ſatis liquet ex eo, quod ibidem ſubjungit, jus ſuper facto fieri, ac proinde facta omnia ſimilia comprehendere: Regulam verò factum non reſpicere, ſed generalem continere doctrinam è jure extractam.

Denique quod Paulus in hac l. annectit, Regulam perdere officium ſuum ſimul ac in aliquo vitiata eſt, eo ipſo luculenter innuit, Regu-

larum

larum eam autoritatem nõ eſſe, ut in quibuſvis
24 caſibus attendi illas oporteat: cùm † vix ulla juris regula tam firma ſit & generalis, quæ non exceptionem aliquando pro circumſtantiarum diverſitate patiatur. Atque hoc eſt, quod Javo-
25 lenus *in l. omnis definitio. 22. inf. h.t.* ait, omnem † definitionem, quam Paulus, teſte Mercerio *in extremo cap. 16. lib. 2. opinion.* regulam hic nuncupat, in Jure periculoſam eſſe, parumque eſſe, ut non ſubverti poſſit. Exempli gratia, vetus Juris regula eſt, vim vi repellere licet, *l. 3. ſup. de juſt. &*
26 *jur.* quæ regula † divino quoque jure nititur. Niſi enim per legem Dei vim vi repellere licuiſſet, Chriſtus certè Apoſtolis ſuis, gladios in eum uſum ut geſtarent, nũquam permiſiſſet: cũ mandatorum patris ſui aſſertor acerrimus fuerit. Verùm ſubvertitur hæc regula, ſi ex intervallo quis vim ſibi factam repulerit, aut moderamen inculpatæ tutelæ non ſervaverit, *l. 3. §. e-*
27 *um igitur, ſup. de vi & vi arm.* Nam † ei, cui vis fit, inprimis enitendũ eſt, ut quàm minimo poſſit ejus, qui vim facit, detrimento impetum abs ſe repellat. Neq; cum hoc pugnat Chriſtus, quando Matth. 5. cap. præcipit, ne quis malo reſiſtat, ſed potius ut alteram maxillam obvertat ei, qui in dextram ipſum cæciderit: quoniam iſto præcepto nihil aliud ſibi vult, quàm quòd ferendæ ſint injuriæ ei, qui ſe fratri ſuo eo modo prodeſſe poſſe, aut id ad gloriam Dei illuſtrandam profuturum eſſe videt. Extra hos caſus non eſt,

quòd

quòd quiſquam injuriam ſibi factam inultam
ferat, quemadmodum D. Paulus ſuo exemplo
docuit. Hujus generis eſt & hæc regula: Poſſeſ-
ſio † rei depoſitæ penes deponentem manet, 28
§.poßidere autem. Inſtit. de interdict. quæ regula of-
ficium ſuum perdit, ſi ipſa poſſeſſio apud ſeque-
ſtrum depoſita ſit. *l. licet. 17. §. ult. ſup. depoſ.* Tum
autem poſſeſſio apud ſequeſtrem deponi intel-
ligitur, † quando partes apertè in hoc conſen- 29
tiunt, quod poſſeſſionem apud ſequeſtrum de-
poſitam velint, ſicuti declarat Donellus *in cap.
13. lib. 5. comment. de jur. civil.* atque ſi hoc modo *d.
§. ult.* explicetur, à *l. intereſſe 30. ſup. de acq. vel amit.
poſſeſſ.* ille nõ diſſentiet. Sic regula juris cautum
eſt, ne dominus ſervi † fugitivi poſſeſſionem 30
amittat. *l. rem quæ nobis 15. ſup. de acq. vel amitt. poſ-
ſeſſ.* Hæc regula vitiatur, ſi ſervus iſte fugitivus
ab alio poſſeſſus ſit, vel diu pro libero ſeſe geſſe-
rit, atque judicio etiam liberali ſeſe offerat. *l. 1.
§. per ſervum. & l. 3. §. ſi ſervus. ſup. de acqui. vel amitt.
poſſeſſ.* Atque regula hæc: Par in parem imperi-
um non habet, ſubvertitur, & ut Paulus hoc lo-
co loquitur, officium ſum perdit, ſi quis in illi-
us, cui † par eſt, territorio deliquerit: tum enim 31
delinquens tanquam privatus pari ſubjicitur,
quod delictis nec † honores, nec privilegia 32
indulta patrocinari queant, *argum. l. in fundo 38.
ſup. de rei vindic.* atque ita in terminis quoque
conſuluit Tib. Decianus *in reſp. 118. n. 17. vol. 3.*

Ac quamvis reliquæ quoq; juris regulæ pro-

pono-

pemodum omnes eodem modo ſeſe habeant: In dubio tamen Judex pro illo ſententiam feret, qui pro ſe regulam habet. Nam qui regulæ
33 inſiſtit, is † intentionem (ut loquuntur inter-
34 pretes) fundatam habet, atque hinc in † adverſarium, qui exceptionem regulæ prætexit, onus probandi transfert, quæ probatio ſi ipſum defecerit, regula palmam feret. *argum. l. 4. §. 1. ibi,* propter quæ ad generalem definitionem recurrendum eſt, *ſup. de hered. petit. & l. ab ea parte. 5. ſup. de probat.* Atque hanc concluſionem tradunt Decius hic *n. 6. ibidemq́ꝫ Cagnol. n. 21. Bart. in l. 2. n. 2. ibidemq́ꝫ Jaſ. n. 33. ſup. ſi quis in jus vocat. non ier. Covarruv. in cap. 12. n. 4. lib. 2. variar. reſolut. Menoch. in quæſt. 91. n. 16. lib. 1. de arbitr. judic. quæſtion. Joſeph. Maſcard. in concluſ. 1261. vol. 3. de probat.* Eamque inter alios conſulendo ſecuti ſunt *Hieron. Schurpff. in conſ. 59. n. 8. & ſeq. cent. 1. Conſil. 8. n. 1. cent. 2. & conſil. 27. n. 2. & ſeq. cent. 3. Portius conſ. 12. n. 2. conſ. 55. n. 4. & 5. & conſ. 92. n. 23. Cacheran. conſ. 13. n. 46. & Tiber. Decian. reſp. 53. n. 8. & duobus ſeqq. vol. 1. reſp. 16. n. 9. vol. 2. & reſp. 80. n. 16. & 17. vol. 3.*

L. 2.

Ulpianus libro primo ad Sabinum.

¶ *Fæminæ ab omnibus officiis civilibus vel publicis remotæ ſunt: & ideo nec judices eſſe poſſunt, nec magiſtratum gerere, nec poſtulare, nec pro alio intervenire nec procuratores exiſtere.*

Sum-

SUMMARIA.

1 *Maſculorum partes potiores eſſe quàm fœminarum exemplis tam ſacris quàm prophanis demonſtratur.*

2 *Fœminæ ab omnibus officiis civilibus remotæ ſunt.*

3 *Officia civilia an à publicis differant?*

4 *Hieronymi Cagnoli interpretatio improbatur.*

5 *Dictio* vel, *non ſemper diſiunctionem arguit.*

6 *Cur fœminis officia civilia adempta ſint?*

7 *Geſtio magiſtratus cum honore publico conjuncta eſt.*

8 *An diſcrepent hæc geſtionem magiſtratus eſſe honorem, & eſſe munus ſive officium?*

9 *Decurionatus an cum honore antiquitus conjunctus fuerit?*

10 *Quando fœminæ magiſtratu vel judicandi munere fungi queant?*

11 *Dn. Eliſabetha regina Angliæ magiſtratum regium jure hereditario habet.*

12 *Fœminæ judicandi ac prophetandi munus etiam per ſacras literas obire poſſunt.*

13 *Privilegia in conſequentiam non ſunt trahenda.*

14 *Fœminæ regulariter à poſtulandi ac procurandi munere arcentur.*

15 *Quando fœminæ pro parentibus in judicio agere poſſint?*

16 *Fœminæ ex compromiſſo arbitrium recipere non poſſunt.*

17 *Nec tutelâ, nec ullo alio virili officio fungi fœminæ poſſunt.*

Fœmi-

18 *Fœminæ olim in perpetua tutela fuerunt.*
19 *Cur matri atq; aviæ tutela demandari nunc poſſit?*
20 *Fœminæ pro aliis intervenire non poſſunt.*
21 *Nec conveniri fœminæ poſſunt tum quando alienam obligationem in ſe receperunt.*
22 *An fœminæ beneficio SCti Vellejani renunciare poſſint?*
23 *Cuivis licet favori pro ſe introducto renunciare.*
24 *Sive in judicio, ſive extra judicium fœminæ renunciaverint, renunciatio valet.*
25 *Renunciatio fœminæ non valet, niſi de beneficio, cui renunciavit, edocta ſit.*
26 *Juri ignorato renunciare nemo præſumitur.*
27 *Muliebris infirmitas quatenus attendatur?*
28 *Fœminis naturâ avaritia inhæret.*
29 *Renunciatio donationem ſapit.*
30 *SCti Vellejani ac Macedoniani diverſitas.*
31 *SCto Macedoniano renunciari non poteſt.*

1 MAſculorum quovis † tempore potiorem fuiſſe habitam rationem, quàm fœminarum, ex jure tum divino tum humano luculenter demonſtrari poteſt. Nam in veteri teſtamento Deus mulierem propter peccatum viro quaſi quodam ſervitutis genere ſubjeciſſe legitur. Indeque factum eſt, ut viro ſi Zelotypia laboraſſet, publica ſolennique ceremonia contra uxorem agere licuerit, quod fœminæ adverſus maritum non licuit. Et in novo teſtamento D. Paulus mulierem ne loqui quidem in Eccle-

ſta voluit. Neque humano jure fœminas ſecus habitas fuiſſe, vel ex eo liquet, quod Papinianus *in l. in multis. 9. de ſtat. hom.* fœminarum conditionem in multis juris noſtri articulis deteriorem quàm maſculorum eſſe refert. Idque ipſum hoc loco Ulpianus ſatis oſtendit, dum fœminas † ab omnibus officiis civilibus vel pu- 2
blicis remotas eſſe ſcribit. *Civilibus vel publicis* inquit, non ut † officia publica à civilibus diſcer- 3
nat, quemadmdum opinatur † Cagnolus *hic n.* 4
2. ſed potius ut declaret publica ſeſe nominare eadem illa officia, quæ aliâs civilia vocentur. Et hanc Ulpiani mentem fuiſſe ex fine hujus legis ſatis patet, ubi ſub voce *Civilibus* comprehendit omnia iſta officia, quæ initio civilia vel publica eſſe dixerat. Cui conſentit etiam Arcadius *in l. ult. §. hac omnia. ſup. de muner. & honor.* ubi ſimiliter civilia officia interpretatur de muneribus publicis. Sicuti & ea quę officiis hîc adſcribũtur, alibi munera appellãtur, ut videre eſt *ex l. quippe 78. ſup. de judic. & d. l. ult. §. defenſores. cum §. ſeq.* Eodemq; facit *l. pen. ſup. de vacat. & excuſ. muner.* ubi idem ille Ulpianus judicãdi munus, quod Paulus *in d. l. quippe* publicum vocat, officiis civilibus annumerat. Ut ſic dubium ſit nullum, particu- 5
lam † *Vel*, hoc loco diſiunctivam non eſſe, ſed eandem utriuſq; vocis ſignificationẽ inducere.

Fœminæ itaque cum ab omnibus civilibus ſive publicis officiis arceantur, nec judices eſſe, nec magiſtratum gerere poſſunt, non quia judi-

B cium

6 cium non habent, † ſed quia, ut refert Paulus *in l.cum prætor 12. §.pen. ſup. de judic.* receptum eſt, ut civilibus officiis non fungantur: ſeu, ut idem Paulus loquitur *in l.1.§.1.ſup. ad SC. Vellejan.* quia moribus civilia officia fœminis adempta ſunt. Cui rationi *ex l.3. §. corporalia. ſup. de muner. & honor.* hæc quoque quantum ad magiſtratum atti-
7 net, addi poteſt, quòd magiſtratus † geſtio præ ſe ferat honorem publicum, quem ipſe ſexus fœminis denegat. Quod verò geſtioni magiſtratus honor adſcribitur, id non pugnat cum *l. Impera-*
8 *tor 11. ſup. ad municip.* ubi † magiſtratus à Papiniano officium dicitur, neque etiam diſſentit à *l. ſi quis 9. ſup. de muner. & honor.* ubi eandem magiſtratus geſtionem Ulpianus munus nuncupat, à quo munere tam Modeſtinus *in l. honorem 10.* quàm Javolenus *in l. cui muneris 12. ſup. de muner. & honor.* honorem ſeparat, quoniam reſponderi debet & muneris, & officii nomen impropriè magiſtratui tribui, veluti videre eſt *ex l. honor municipialis 14. ſup. eod. tit.* ubi Calliſtratus adminiſtrationi Reipublicæ honorem defert, eumque à munere ita disiungit, ut munus ſit adminiſtratio Reipub. cum ſumptu ſine dignitate. Honor verò adminiſtratio Reipub. cum dignitatis gradu, ſive cum ſumptu, ſive ſine erogatione contingens. Neque adverſatur hiſce *l. eos qui. 12. ſup. de decurion.* ubi Calliſtratus decurionibus honorem adimere videtur eo ipſo quòd
9 † honorem à decurionatu diſcernit: quoniam

Calli-

Calliſtratus eò loci decurionatũ ab honore non excludit, ſed præter iſtum honorẽ, qui decurioni utpote magiſtratui municipali debetur, per *l. honores 7. §. pen. ſup. de decur.* quemvis alium honorem intelligit. Cæterum regula hæc, quòd videlicet mulier ad magiſtratum munusq́ue judicandi admitti non debeat, primùm ſubvertitur, ſive ut Paulus *in prædicta l. 1.* loquitur, officium † ſuum perdit, ſi contrarium conſuetudine 10
receptum ſit. Cum enim moribus officia publica fœminis adempta ſint, more ſive uſu contrario etiam illæ ad officia ejuſmodi admitti poſſunt, teſte Innocentio II. *in c. 4. de arbitr.* Deinde prohibitio hujus regulæ locum non habet, quando magiſtratus mulieri jure hereditario competit: cujus exemplum hoc tempore habemus in Domina Eliſebetha † Regina Angliæ, 11
quæ ſceptrum regium, regniq́ue adminiſtrationem quaſi per manus Regum accepit, eidemq́ue regno nunc in annum quadrageſimum ſecundum feliciſſimè magno cum ſubditorum emolumento præfuit. Sed & Johannem Siciliæ Reginam in regali ſolio ſedentem, ſententiamq́ue pronunciantem ab ſe viſam fuiſſe Angelus hoc loco refert. Sic Abbatiſſa quoquè adminiſtrationem habet judiciariam, ſed dignitati ſuæ annexam, veluti notant Canoniſtæ *in c. indemnitatibus. 43. de election. n. 6.* Denique regulæ huic locus non eſt, ſi mulier ſpeciali privilegio, ſivè Principis indulgentia magiſtratum

ac judicandi munus meruerit. Quò pertinet exemplum Deboræ, quam, ut habet cap. 4. li-
12 bri Judicum, cum ad † judicandi munus Deus delegiſſet, etiam prophetandi facultate conſpicuam reddidit. Eodemque prophetiæ dono inſtructæ fuerunt Maria ſoror Moſis, Hanna mater Samuelis, & Holda, quæ Joſiæ regis tempore vixit. Et in novo Teſtamento Philippi Diaconi filiæ, ac quædam aliæ ſanctæ mulieres prophetides fuerunt: quarum aliquæ haud dubiè populum publicè docuerunt, eaque ipſi propoſuerunt, quæ ſibi à DEO revelata fuiſſent. Siquidem prophetiæ ideo illis tributæ non fuerunt, ut occultæ deliteſcerent, ſed ut communem Eccleſiæ ædificationem promoverét. Ne-
13 que tamen hinc ſit, ut quod † peculiari quodam privilegio Deus agit, id ſit à nobis in exemplum trahendum: cùm Paulus nos regula conſtringat, qua mulierem in Eccleſia tacere jubet, quòd viro ſubjecta ſit. Quod ipſum & de privilegio à Principe indulto hoc caſu ſentiendum eſt.

Porrò quemadmodum mulier regulariter
14 † nec judicare, nec magiſtratum gerere poteſt: ita nec poſtulare, nec procurandi munere fungi poteſt. Cujus prohibitionis originem Ulpianus *in l. 1. §. ſecundo loco. ſup. de poſtul.* refert ad Calphurniam improbiſſimã iſtam fœminam, quæ contra ſexus pudicitiam inverecundè poſtulaſſe, ac magiſtratum inquietaſſe dicitur. Quamvis

vis Paulus *in l. fœminas. 41. ſup. de procur.* mulieribus permittat pro parẽtibus agere, ſed eo † de- 15
mum caſu, ſi morbo aut ſenecta illi impediantur, nec quenquam alium habeant, cujus patrocinio uti queant.

Quod de judicandi, † poſtulandi, ac procu- 16
randi munere dictum eſt, idem, licet ſecus ſentiat Cujac. *in cap. 23. lib. 13. obſ. 1.* de officio arbitri, tutoris, † excutoris, & quibuſvis aliis virilibus 17
officiis intelligi debet: quoniam regula hæc generalem prohibitionem continet. Unde qui fœminam civile munus obire poſſe contendit, id probare debet, cùm regulam hanc è diametro contrariam habeat, per ea quæ ex Bartolo, Jaſone & aliis ad finem l. proximè præcedentis notavi. Et quidem in ſpecie quod fœminæ ex compromiſſo arbitrium recipere non poſſint, docet Juſtinianus *in l. ult. C. de recept. arbitr.* ſic notiſſimum quoque eſt *ex l. tutela. 16. & l. ult. ſup. de tutel.* fœminas tutoris aut curatoris officio fungi non poſſe, quippe quæ olim † perpetua tu- 18
tela maritorum continebantur, veluti docet Ulpianus in fragment. ſub initio tituli 11. itemque Cujacius in paratit. ﬀtorum de tutel. Quod verò † matri atque aviæ volenti tutela liberorum 19
demandari poteſt, id ea ratione inductum eſt, quoniam in his ſolis affectionis ratio ſuſpicionem omnem excludit, quemadmodum interpretes communiter id notant *ad Auth. matri & aviæ. C. quand. mul. tutel. off. fung. pot.*

20 Denique nec intervenire † pro alio mulier poteſt, ſive verbis, ſive re, ſive quocunq; alio cõtractu obligationem alienam in ſe ſuſcipiat, ſuáſve res alterius cauſa opignoret. Nam in hujuſmodi caſibus cùm non modò nudum miniſterium, ſed periculum etiam rei familiaris verſetur, fœminæ beneficio SCti Vellejani tutæ
21 ſunt, ita ut nec † conveniri eo nomine poſſint. *l.1. l. vir uxori. 17. §.1. ad SC. Vellejan.* Quin condictione indebiti repeti poteſt, quod ex ea cauſa mulier ſolvit, *l. qui exceptionem. 40. ſup. de condict. indeb. & l. quamvis. 8. §. interdum. ſup. ad SC. Vellejan.*

Sed gravis hic exoritur quæſtio, an etiam mu-
22 lier † beneficio hujus SCti renunciare poſſit? Bart. *in l. doli 19. n. 2. ſup. de novat.* hoc negat, ejuſque ſententiam de jure veriorem eſſe ſcribit Teſſaurus *in deciſ. 222. n. 2.* verùm Accurſ. *in l. ult. §. pen. ad verb. non uſuram. ſup. ad SC. Vellejan.* contrarium tenet, videlicet mulieri renunciationem hujuſmodi permiſſam eſſe, propterea quòd in ipſius perinde ut in cujuſvis alius arbitrio ſit, exceptionem hanc in judicio non opponere, per *l. ſi judex. 41. ſup. de minor. &* aliâs uni-
23 cuique † favori pro ſe introducto renunciare permittatur *l. pen. C. de pact.* Atque hoc ipſum ve-
24 rum eſſe exiſtimo, † etiamſi extra judiciũ SCto Vellejano mulier renunciaverit, per textum expreſſum *in d. § pen.* Nec moveor autoritate VVeſenbecii, qui *in paratit. ff torum ad SC. Vellej.*

n. 9.

n. 9. exiſtimat eam ſaltem renunciationem mulieri nocere, quæ in judicio facta ſit: quoniam Pomponius *in d. §. pen.* diſtinctionis hujus non meminit: quin contrarium potius ex iſto textu colligi poteſt, videlicet cautionem non opponendæ exceptionis SCti Vellejani præſtitam fuiſſe antequam in judicium deventum eſt, quod etiam animadvertit Everh. Bronchorſt *in aſſert. 80. cent. 1. concil. ll.* Itaque † renunciatio hu- 25
juſmodi mulieri nocet, ſive in judicio, ſive extra judicium facta ſit, dummodò mulier prius in ſpecie de beneficio hujus SCti edocta ſit, veluti notat *And. Gail. pract. obſ. lib. 2. obſ. 77. n. 3.* Cujus vix alia ratio dari poteſt, quàm quòd mulier diſpoſitionem SCti Vellejani aliorumq; jurium ſibi competentium ignorare præſumitur: proindeque juri † ignorato renunciare non cen- 26
ſetur, *arg. l. qui cum tutoribus. 9. ſup. de tranſact. & l. mater. 19. ſup. de inoffic. teſtam.* Atque hanc Accurſiii adeoque plurium interpretum ſententiam uſus quoque comprobavit. Neque eam infringit † muliebris infirmitas, quaſi eadem le- 27
vitate ad renunciandum exceptioni hujus SCti induci mulier poſſit, qua pro aliis quoque interveniat: Cùm veriſimile non ſit fœminam aliâs † naturâ tenacem & avariſſimam, ut loqui- 28
tur Accurſius *in l. Neſennius, 34. ad verb. ex contrario. ſup. de neg geſt.* facilè renunciaturam eſſe: quòd † renunciatio iſta donationem ſapit, quam ju- 29
ra in muliere uſque adeò non præſumunt, ut etiam

riam Bald. *in fine l. ſi à ſponſo. 16. C. de donat. ant. nupt.*
mulieris donationem miraculi loco habendam
eſſe dicat. Quamvis hoc quoque reſponderi
poſſit, pertinaciam mulieris, non fragalitatem
cenſendam eſſe, quando edocta de jure ſuo ni-
hilominus beneficio ſibi competenti renun-
30 ciavit. Quod denique vulgò objicitur † de SCto
Macedoniano, cui filiusfam. renunciare non
poteſt: id aſſertioni huic minimè obſtat, quia
SCtum Macedonianum primò ac principaliter
in favorem filiorum fam. ita inductum non eſt,
ſicut Vellejanum in favorem mulierum. Itaq;
31 † mirum non eſt, ſi filiusfam. SCto Macedoni-
ano in odium fœneratorum præcipuè recepto
renunciare nequeat.

Ad §. I.

§ *Item impubes omnibus officis civilibus debet abſtinere.*

Summaria.

1. *Impuberes ad officia civilia non admittuntur, niſi jure hereditario illa habeant.*
2. *Alienas res adminiſtrare non debet, qui rebus ſuis adminiſtrandis idoneus non eſt.*
3. *Iuriſdictio, quam impuberes habent, per tutores ipſorum adminiſtratur.*
4. *Puberes magiſtratum gerere poſſunt.*
5. *Puberes poſtulare non poſſunt, niſi annum ætatis 17. egreſſi ſint.*

6 An

6 An puberes judicandi munere fungi poſſint?

7 L. Quidam 57. ſup. de re judic. an de quovis judice loquatur.

8 Minor 20. annis arbiter eſſe nequit.

9 Bona civitatis per puberes adminiſtrari non debent.

10 Minor 25. annis ſummo jure judex eſſe nequit.

11 Judex datus & arbiter quomodo differat.

12 An minor 25. annis pro alio intervenire poſſit?

13 Minor 25. annis, qui patris poteſtati ſubjectus eſt, ex omnibus cauſis obligatur, mutuo excepto.

14 Conciliatio l. puberes 101. ſup. de verb. obligat. & l. 3. C. de in integr. reſtit. minor.

15 An minor curatorem habens ſine ipſius conſenſu ex contractu obligetur?

16 Cujacius adverſus Duarenum, Donellum & Robertum defenditur.

17 Obligatio perſonas afficit.

18 Curator perſonis non datur.

19 Puberes ſine curatorum conſenſu nuptias rectè contrahunt.

20 Quod nullum eſt, infirmatione non indiget.

21 Puberes ſine curatorum ſuorum conſenſu res ſuas alienare nequeunt.

22 Quatenus minor curatorem habens cum prodigo conferatur.

23 Invitis puberibus curator non datur niſi ad litem.

24 Minor, qui ſine curatore eſt, rem quam alienavit, tradere compellitur, niſi per reſtitutionem in integrum ſibi maturè conſulat.

25 *Jura effectum potiſſimùm attendunt.*
26 *Utrum minor 25. annis procurator ad litem eſſe poſſit?*
27 *Annum ætatis decimum octavum ingreſſus eſſe dicitur is, qui annum decimum ſeptimum complevit.*
28 *Quænam ætas in jure legitima dicatur?*
29 *Procurator in quo differat à defenſore?*
30 *Defenſor ſatiſdationem judicatum ſolvi præſtare tenetur.*
31 *Judicium cum minore 25. annis non conſiſtit.*
32 *Alienam litem intendere vel excipere non poteſt, qui nec propriam perſequi poteſt.*
33 *Sevus negotia ſui domini extra judicium procurare poteſt.*
34 *Quæ dubitationis tollendæ gratia facta ſunt, ſuperflua videri non debent.*
35 *Cur ſervus, quem Dominus procuratoris habendi gratia vult manumittere, ſeptendecim annis minor eſſe non debeat?*
36 *Major annis 25. etiam puero ſuorum negotiorum adminiſtrationem demandare poteſt.*

QUod in pr. hujus l. de fœminis ſtatutum eſt, idem in hoc §. ſtatuitur de impuberibus, qui videlicet annum ætatis 14. necdum im-
1 pleverunt. Nam & hos Ulpianus † ab omnibus officiis civilibus arcendos eſſe ſcribit: quia nullum eorum animi eſt judicium, referente Juſtiniano in *§. præterea. Inſtit. quibus non eſt permiſſum*

fac,

fac.teſt. cui conſentit etiam *l.1. in fin. C. de falſ.monet.* Et ſanè incivile eſſet eum, qui ipſe alieno † 2
auxilio in ſuis rebus adminiſtrandis indiget, ad aliorum res publicè vel privatim gerendas adhiberi, per §. *item major. Inſtit. de excuſ. tut. vel cur.* Quod ſi tamen impuberes † juriſdictionem, 3
aut aliud quodpiam officium publicum jure hereditario habeant, per tutores illud adminiſtrare poterunt, argumento *c.2. de ſupplen.neglig. prælat. in 6.* Cæterum Ulpianus eo ipſo, quod impuberis ſaltem hìc meminit, ſatis oſtendit in pubere, qui videlicet annum ætatis 14. exceſſit, aliud receptum eſſe. Nam & † magiſtratū gerere pubes ſive minor 25. annis poteſt, *per l.1.§.ult. ſup. de offic. conſul.* Et poſtulare † etiam, ſi annum 5
18. attigerit. *l. 1.§. initium, ſup. de poſtul.* Et in † eadem ætate, ſi velit, nec litigatores eum recuſent, judicis partes obire poteſt, veluti probat Tib. Dec. *reſp. 18. n. 18. vol. 1. per l. quidam 57. ſup. de re judic.* Quam † l. VVeſenbecius *in paratit. C. de recept. arbitr. n. 8.* non de arbitro, ſed de judice delegato loqui rectè ſtatuit. Nam † arbiter eſſe 8
non poteſt, qui annis 20. minor eſt, teſte Calliſtrato *in l. cum lege 41. ſup. de recept. arbitr.* Ac licet his graviter adverſari videatur *l. ad Rempublicam 8. ſup. de muner. & honor.* ubi Ulpianus minores 25. annis à muneribus excludit, idque in decurione etiam expreſſerit Calliſtratus *in l. non tantum. 11. ſup. de decur.* Plerique tamen reſpondent tam Ulpianum quàm Calliſtratum eò loci de

illis

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

illis muneribus loqui, quæ in municipiis ob-
9 eunda ſunt, nec niſi per † juſtæ ætatis homines obiri poſſunt. Quoniam magiſtratus municipales præter ſuffragium, quod in conſilio habent, etiam bona civitatis adminiſtrant: cujuſmodi adminiſtrationem adoleſcentibus committi jura nolunt, quod ne propriis quidem rebus ſuis adminiſtrandis illi idonei habeantur. *l. 1. ſup. de minor.* Tametſi Donellus *in cap. 24. lib. 17.*
10 *comment. de jur. civil.* indiſtinctè ſtatuit, † minorem 25. annis ſummo jure judicem eſſe non poſſe, atq; iccirco ſententiam ab eo dictam perinde habendam eſſe, ac ſi à judice incompetente dicta fuiſſet, ſed tamē ex æquo & bono tuendam illam ſententiam eſſe tum, quando minor datus ab eo, qui jus dandi habuit, ultrò cognitionem ſuſcepit, ejusque judicio etiam litigatores ſponte ſeſe ſubjecerunt: idque evincit ex voce *æquiſſimum*, cujus Ulpianus *in d. l. quidam.* meminit. Neque huic obſtat *d. l. cum lege*, quo-
11 niam arbitri † & judicis dati ratio diverſa eſt. Etſi enim arbiter quoq; volens ſumitur à volentibus litigatoribus: nemo tamen eſt qui autoritatem ſententiæ ab arbitro dicendæ conciliet: cùm à litigatoribus hominibus privatis ſaltem ille aſſumatur: argumento eorum, quæ Scabini Lipſenſes notant *in reſolutione quæſtionis 50. n. 2. & 6.* At verò ſententiam à judice dato dicendam tuetur magiſtratus, qui eum judicem dedit, non ſecus ac ſi magiſtratus ipſe per eum ſen-
ten-

tentiam dixiſſet. Ergo ſententia à minore
ta demum valet, ſi volens datus ſit ab eo, qu
dandi habuit, ac litigatores etiam in dation
iſtam conſenſerint, & præterea ſi annnm ætat
decimum octavum is exceſſerit : quemadmodum id Donellus non ſolùm *in allegato cap. 24.* ſed etiam *in d.l.quidam* pluribus demonſtrat.

An autem minor † pro alio intervenire, alienamque obligationem in ſe recipere poſſit? haud abs re quæritur. Sanè dubium non eſt, quin minor, qui patris poteſtati adhuc ſubjacet, pro alio intervenire poſſit, cum ex omnibus cauſis, ſolo mutuo excepto, quippe ex † quo propter SC. Macedonianum ne poſt patris quidem mortem conveniri poteſt, *l. 1. & tot. tit. de SC. Macedon.* tanquam paterfam. obligetur, teſte Gajo *in l. filiusfam. 39. ſup. de oblig. & action. l. ult. §. pupillus. ſup. de verb. obligat.* cui conſentit quoque Ulpianus *in l. tam ex contractibus 57. ſup. de judic.* ejusque exempla ponit *in l. ſi id 58 §. pen. ſup. pro ſoc.* At verò de minore, qui ſui juris eſt, dubium haud vulgare exiſtit † ob diſcrepantiam *l. puberes. 101. ſup. de verb. oblig. & l. 3. C. de in integr. reſtit. minor.* In illa enim Modeſtinus diſertè tradit puberes ſine curatoribus ſuis ex ſtipulatu obligari: in hac verò Impp. Diocl. & Maxim. reſcribunt venditionem minoris curatorem habentis ſervari non oportere: Ex quo Sichardus *ibi. n. 4.* concludit, contractum à minore curatorem habente initum nullum eſſe, proindeque obligationem

non

parere. Loquor de minore curatorem habente, quoniam de illo minore, qui curatorem non habet, dubium eſt nullum, quin contrahendo obligetur. Igitur controverſia hæc in eo ſita eſt: an minor † curatorem habens ſine ipſius conſenſu ex contractu obligetur? Cujacius *ad d. l. puberes. & in cap. 33. lib. 19. obſ.* hoc affirmat, dummodo obligatio iſta cum alienatione conjuncta non ſit: Verùm Duarenus *ad tit. C. ſi tut. vel curat. interv.* itemque Donellus *in d. l. puberes.* idipſum negant, ſecuti communem interpretum ſententiam, qui ex textu *d. l. 3.* minores curatorem habentes diſcernunt ab his, qui curatorem non habent: & hos obligari ajunt, deque iis textum *d. l. puberes.* accipiunt: illos verò obligari negant ex contractu quem ſine curatorum conſenſu inіverunt. Robertus *in cap. 12. lib. 1. animad.* ab illorum omnium ſententia recedit, atque puberes curatorem habentes non indiſtinctè, ſed in iis ſaltem obligari ait, quæ conditionem ipſorum meliorem faciant. Ego Cuja-
16 cii † ſententiam rationi juris maximè conſentaneam eſſe arbitror. Etenim ex eo, quod obli-
17 gatio † perſonas afficit. *per l. 3. in pr. ſup. de obligat.*
18 *& action.* Et verò † curator perſonis non datur, *l. in copulandis. 8. C. de nupt.* ſatis eluceſcit, curatoris conſenſum ad hoc, ut pubes perſonaliter obligetur, neceſſarium non eſſe. Quæ cauſa eſt,
19 quòd & † matrimonium puberes rectè contrahunt, etiamſi curatorum, quos habent, autori-

tas non intervenerit, *l.ſciendum 20.ſup. de rit.nupt.* Neque obſtat huic ſententiæ oppoſita *l.3.* quoniam ex eo, quod Impp. eò loci ſcribunt, contractum à minore ſine curatore factum ſervari non oportere, luculenter colligitur contractum iſtum ipſo jure nullum non fuiſſe, alioquin † infirmatione non indiguiſſet: cum infirmari non oporteat quod nullum eſt, *l.nam etſi. ſup.de injuſt. rupt. teſt.* Ergo ratione obligationis contractus iſte ſubſtitit: quòd autem Impp. eum ſervari nolunt, illud fit propterea, quia inducit alienationem rerum, quæ † ſine conſenſu curatoris fieri non potuit, cùm ad curatores administratio rerum pertineat. *d.l.in copulandis.* neque ulli alii jus alienandi competat, quàm ei, qui liberam rerum adminiſtrationem habet, *arg.l.1.§.1. C.de fund. dot.* Ac quamvis † prodigus, cum quo minor curatorem habens *in d.l.3.* confertur, promiſſione ſua facere nequeat, ut aliis obligetur, *l.is cui.6.ſup.de verb.obligat.* non tamen iccirco Cujacii conciliatio infringitur, atque minor iſte, ut Robertus *in d.cap.12.* opinatur, ſimiliter ab obligatione eximitur: ſiquidem is non ſimpliciter, ſed duntaxat reſpectu denegatæ bonorum adminiſtrationis prodigo comparatur. Quemadmodum & diſtinctio, qua videlicet minor curatorem habens *in eadem illa l.3.* ſeparatur ab eo, qui curatorem non habet, otioſa propterea cenſeri non debet, etiamſi minor curatorem habens ſine curatore ex contra-

20

21

22

ctu

ctu obligari dicatur: quoniam nihilominus hoc diſcriminis inter utrunque manet, quod minor curatorem habens, contractum, ex quo rem ſuam ſine curatoris conſenſu alienavit, ſervare non tenetur: Verùm minor, qui ſine curatore
23 eſt (ſicut eſſe poteſt, cum † invito curator non detur, niſi ad litem, *§. item inviti. Inſtit. de curator.*) ſuorumque bonorum adminiſtrationem
24 liberam habet, rem, quam † ex obligatione alienavit, tradere compellitur, niſi tempeſtivè reſtitutionem in integrum petat. Malè igitur vulgus interpretum *d. l. puberes.* accepit de iis puberibus, qui curatores non habent: cùm dictio *ſuis*, quam Modeſtinus ibidem addit, neque ad creditores, quos Duarenus vult ſubintelligi, neque ad eos curatores, quos puberes, ut interpretatur Donellus, non habuerint, ſed habere debuerint, ritè referri poſſit. Præterquam enim quòd Duareni ſubintellectus legem iſtam aliâs perſpicuam prorſus obſcuram facit: Hoc quoque ex Donelli interpretatione conſequitur, puberibus invitis curatorem obtrudi poſſe, contà quàm ſtatuit Juſtinianus *in d. §. item inviti.* Malè denique Robertus *d. l. puberes.* de illa obligatione accipit, quæ ad ipſorum ſubſtantiæ imminutionem non vergit: quoniam generatim lex iſta loquitur, atque hoc dubium deciſum voluit, an etiam minor curatorem habens obligetur eo caſu, quando curatoris conſenſum in contractu non adhibuit. Et certè ex Roberti

berti ſententia in effectu, quem † jura potiſſi- 25
mùm attendunt, ut docet Alciatus *in l. creditores.*
10. n. 6. ſup. de verb. ſignif. parū diſcriminis remane-
ret inter puberes & impuberes, quippe quibus
ipſis quoque ſine tutoris autoritate conditio-
nem ſuam meliorem facere licet, veluti refert
Juſtinianus *in pr. Inſtit. de autor. tut.*

Denique moveri hoc loco ſolet & hæc quæ-
ſtio, utrum † minor 25. annis procurator ad li- 26
tem eſſe poſſit? *Ad litem*, inquam, quoniam ad
negotia extra judicium adminiſtranda quivis
procurator dari poteſt, etiamſi annum ætatis
decimum quartum necdum attigerit, veluti
patet *ex l. ſed etſi. 7. §. ult. & l. ſeq. ſup. de inſtit. act.* Ita-
que in dubium hìc vocatur ea quæſtio: An mi-
nor 25. annis litem in judicio intendere vel ex-
cipere poſſit? Cujacius *ad tit. de diverſ. temp. præ-*
ſcript. cap. 29. & hunc ſecutus Julius Pacius *in*
quæſt. 16. cent. 2. itemque Everh. Bronchorſt *in aſ-*
ſert. 35. cent. 1. ll. conciliatarum ſtatuunt, Procurato-
rem ad litem eſſe poſſe eum, qui annum ætatis
18. attigerit, quod non ſolùm Ulpianus *in l. ſi col-*
lactaneus 13. ſup. de manum. vindict. ſed ipſe etiam
Juſtinianus *in §. juſta autem. Inſtit. quib. ex cauſ. ma-*
num. non lic. ſcribant, ſervum procuratoris ha-
bendi gratia manumitti poſſe, ſi annum ætatis
17. compleverit: nam † quod tempus eſt com- 27
pleti anni 17. idem eſt initium anni decimi octa-
vi, quemadmodum idem ille Juſtinianus *in §.*
ult. Inſtit. eod. declarat. Verùm Zaſius *in paratit. de*

procurat.n.11. veterum ICtorum ſententiam ſequitur, atq; minorem 25. annis procuratorem conſtitui non poſſe concludit. Idem ſentiunt Sichardus *ad l.exigendi 12.n.10. C.de procur.* Duarenus *in cap. 4. ejuſdem tit.* & VVeſenbecius *ibidem in paratit.n.4.* Atq; horum ſententiam ego quoque de jure veriorẽ eſſe ſtatuo. Præterquam enim quòd Bonifacius VIII *in fine c.qui generaliter 5.de procurat.* diſertè illam probat: ipſe Ulpianus quoque *in l. minor 51. ejuſdem tituli.* minorem 25. annis defenſorem idoneum eſſe negat: cui adſtipulatur Imp. Alexand. *in d. l. exigendi.* ubi à procurationis officio eum repellit, qui legitimam ætatem necdum complevit. Legitimam
28 verò ætatem † is compleviſſe dicitur, qui annum 25.egreſſus eſt, ut habet *l. ult.* C. *de his qui ven. ætat. impetr.* Ac licet Cujacius ejusq́ue aſſe-
29 ctatores utrumque hunc textum non † de Procuratore, qui ſicut mandato, ita etiam periculo domini cauſam agit, *per l.cum mandatu 23.ſup. de minor.* Sed de Defenſore accipiát, quaſi hunc 25.
30 annis majorem eſſe oporteat, ne ſatisdatio † judicatũ ſolvi, quam omninò is præſtare tenetur, *juxta §.pen. Inſtit. de ſatiſdat.* per reſtitutionem in integrum, quæ datur minori, ſi ex hac cauſa læſus fuerit, poſtmodum infringi, & ſic totum illud judicium inane reddi poſſit. Ego tamen plu-
31 ris facio tritam illam juris regulam, quæ † judicium cum minore 25. annis conſiſtere negat. *l.2.C.curſ.legit.perſon.ſtand.in judic.hab.* cũ qua con-
gruit

gruit etiam *l.neque tutores.11.C.de procurat.* Quod ſi ergo minor † propriam litem neque inten- 32
dere, neque excipere ſine curatore poteſt, veluti plenius id demonſtrat And. Geil.*in obſ. 108. n. 1.& 2.lib.2.practicarum obſervat.* multò minus defenſionem alienarum litium ſuſcipere poterit, *argumento l.ult. C. de legit. tutel.* Neque hiſce obſtat *d.l.ſi collectaneus. & d.§. juſtæ autem.* quia uterque iſte textus loquitur de eo procuratore, cui extra judicium adminiſtratio negociorũ commiſſa eſt, veluti rectè Mynſing.notat *ad d.§.juſtæ autem.n.5.* Ac † quamvis ſervus etiam ante ma- 33
numiſſionem negotia Domini extra judicium procurare poſſit, *per l.ſervum quoque 33. in pr. ſup. de procurat.* manumiſſio tamen ipſi ad hoc prodeſt, ut homines liberius cum illo contrahant: Et aliâs ſuperflua videri non debent, quæ omnis
† dubitationis tollendæ cauſa facta ſunt, *argu-* 34
mento l.pediculis 32.§.Labeo ſup.de aur.& arg.legat.& l.teſtament. ũ17. C.de teſtam. Quod verò in hujuſmodi † ſervo requiritur, ut annum 18.ingreſſus 35
ſit, id non refragatur *l. Nam & pleriq;. 8.ſup. de inſtit. act.* quoniam non ſervi, ſed domini manumittentis intra 20. annum adhuc conſtituti intuitu ſpecialiter hoc inductum eſt, ne videlicet in tam tenera ætate plus æquo per procuratorem juniorem lædi poſſet. Cæteroquin † ma- 36
joribus, hoc eſt iis, qui annum 25. exceſſerunt, liberum eſt vel puero ſuorum negociorũ procurationem demandare, per quem ſi læſi fue-

rint, ſuæ ſtultitiæ læſionẽ iſtam adſcribent, cum adultioribus, iisdemq́; prudentioribus ſua negotia demandare potuiſſent, *arg. l. 1. § cujus autem. ſup. de exerc. action.*

L. 3.

Ulpianus libro tertio ad Sabinum.

§ *Ejus eſt nolle, qui poteſt velle.*

SUMMARIA.

1 *L. 3. hujus tituli trifariam legitur.*
2 *Vulgaris lectio l. 3, veriſſima eſt.*
3 *Hereditas illa repudiari nequit, quæ nec adiri poteſt.*
4 *Hereditas ſub conditione relicta, ante conditionis eventum repudiari non poteſt.*
5 *Intellectus l. tutor. 8. ff. de bonor. poſſeſſ.*
6 *Quando l. 3. hujus tit. locum habeat?*
7 *Tutor in pupilli ſui commodum juratus eſt.*
8 *Alterius commodum intervertere nemo debet.*
9 *Nolle & non velle an idem ſignificent?*
10 *Qui expreſsè conſentire poteſt, is & tacitè quid permittere poteſt.*
11 *Velle apertum conſenſum denotat.*
12 *Non nolle tacitum conſenſum arguit.*
13 *Non nolle medium verbum eſt inter velle ac nolle.*

1 HUic regulæ † triplex affingitur lectio. Prima eſt vulgaris & recepta: *Ejus eſt nolle, qui poteſt*

poteſt velle. Altera eſt Cujacii, qui *in cap. 39. lib. 5. obſ.* ex Baſilicis probat legendum eſſe: *Ejus eſt non velle, qui poteſt & velle.* Tertia lectio in Florentino exemplari eſt hujuſmodi: *Ejus eſt non nolle, qui poteſt velle.* Vulgarem † lectionem pleriq; tam 2
Græci quàm Latini interpretes, teſte Fabro, hîc probant, eamque & ego retinendam eſſe cenſeo, hanc maximè ob cauſam, quia apprimè congruit cum *l. 4. ſup. de acq. vel omitt. hered.* quæ eſt ejuſdem Ulpiani, atque, ut inſcriptio oſtendit, ex eodem lib. 3. ad Sabinum deſumpta. Et ſecundum hanc lectionem ſenſus regulæ erit: In jure, quotieſcunque quæritur, an quis noluerit aliquid, cumprimis videndum eſſe, an etiam voluiſſe potuerit: Veluti ſi quæſtio ſit, an quis † hereditatem adire noluerit, primùm 3
attendi oportebit, an etiam adire illam potuerit. Qui enim hereditatem adire non poteſt, is nec repudiare illam poterit, *d. l. 4. & l. is poteſt. 18. ſup. de acq. vel omitt. hered.* Quam ob cauſam quoque Ulpianus *in principio l. is qui heres. 13. ſup. eod.* eum, qui † ſub conditione heres in- 4
ſtitutus eſt, pendente conditione hereditatem repudiare poſſe negat, quod heres pendente conditione, etſi velit hereditatem adire: tamen ob incertum conditionis eventum adire illam non poſſit, *argumento l. cedere diem. 213. in pr. ſup. de verb. ſignif.* Atque hinc Paulus *in l. qui poteſt 174. § 1. inf. h. t.* ait, repudiari id non poſſe, quod quis, ſi velit, habere non poteſt. Eodemque pertinet

etiam *l.ſi damnum.169.§.1.inf.h.t.& l.1.§.furioſi.&*
§.decretalis.ſup.de ſucceſſ.edict. Eidemq; plurimum
lucis adfert principium *l.pater Severianam 101.ſup.*
5 *de condit.& demonſt.* Verùm his obſtare † videtur
l.tutor 8.ſup.de bon.poſſeſſ. ubi tutor bonorum poſ-
ſeſſionem pupillo ſuo competentem repudia-
re non poteſt, quamvis illam petere poſſit. Re-
6 ſpondeo † regulæ huic potiſſimum locum eſ-
ſe, quando quis ſuo, non alieno nomine quid
7 agit. Tutor † igitur, cùm pupilli, in cujus com-
modum juratus eſt, nomine agat, nemini mi-
rum videri debet, ſi bonorum poſſeſſionem
non ſibi, ſed pupillo ſuo competentem repudi-
8 are nequeat: ſuo namque, † non alieno com-
modo derogare licet. *argumento l. non debet. 74.*
inf.h.t. Simile exemplum eſt *in l.ſervo invito.65.§.*
pen.ſup.ad SC.Trebell. Atq; ab hac lectione vulga-
ri, cujus ſenſus modò eſt expoſitus, lectio Cuja-
cii non diſſentit, quoniam verba hæc, NOLLE
9 & † nõ velle, in promiſcuo uſu ſunt, & alterum
pro altero paſſim accipitur, id quod Cujacius
ipſe *in cap. ult. lib. 1. notatorum ad animadverſiones*
Roberti ſub perſona Mercatoris non diffitetur:
quamvis Menochius *lib.2.de arbitr.judic.quæſtion.*
caſ.496. num.71. & ſeq. ſecus ſentire videatur,
dum non velle, perinde ut non nolle, refert ad
tacitam voluntatem, quæ, ut deinceps dicetur,
patientia nuncupatur.

Cæterùm quod ad lectionem Florentini ex-
emplaris attinet, eam certè probat Ant. Augu-

ſtinus

ſtinus *in fine cap.2.lib.1. emendat.* neque ab eo diſſentiunt Nicolaus Bellonus *in cap.14.lib.4.ſupputation. juris.* Et Riminaldus jun. *in l.ult.n.204. C. und. liberi.* Atq; ex horum JCtorum mente ſenſus hujus legis erit, quòd † ille poſſit pati ac ta- 10
citè permittere, qui velle, h.e. expreſsè conſentire poteſt. Etenim velle † apertum & expreſ- 11
ſum conſenſum arguit, per ea, quæ Cujacius de intellectu *l. certi juris. 5. C. de locat.. & conduct.* notat *in l. 4. ſup. de pactis.* Sed non † nolle eſt ta- 12
cendo conſentire, ſive non contradicere, ut docet Ulpianus *in l.1.§. ſcientiam, de tribut. action.* Er-
go non † nolle medium verbum eſt inter velle 13
ac nolle, ſicut refert Accurſius *in d. §. ſcientiam. ad verb. velle.* itemq; *Decius hîc n.6.*

L. 4.

Ulpianus libro ſexto ad Sabinum. 14

¶ *Velle non creditur, qui obſequitur imperio patris vel domini.*

Summaria.

1 *Velle quis propriè dicatur?*

2 *Filiifam. ac ſervi ad nutum patrum ac dominorum quævis facere tenentur.*

3 *Heres non eſt, qui coactus hereditatem adit.*

4 *Tutor, qui vi metúve compulſus pupillo autoritatem accommodavit, ex eo quòd ipſius autoritate ſic factum eſt, non tenetur.*

5 *Qui juſſu ejus, cui parere neceſſe habet, damnum injuria dedit, actione L. Aquilia conveniri non poteſt.*

6 *Qui juſſu patris duxit uxorem intra annum luctus adhuc conſtitutam, de jure civili infamia non notatur.*

7 *Juſſus in levioribus ſaltem criminibus excuſat, non verò in atrocioribus.*

8 *Coacta voluntas an ſit voluntas?*

9 *Nuptiæ, quas filiusfam. cogente patre contraxit, nihilominus voluntariæ cenſentur.*

1 PRopriè is demum † velle dicitur, qui ſponte,
pro ſuo arbitrio facere poteſt id, quod alio-
quin cuivis plenè libero de jure facere licet, *per
l. ſi quis major. 41. C. de tranſact.* Unde cùm poteſtas
tam patria, quàm dominica filiorumfam. ac ſer-
vorum libertatem ità conſtringat, ut liberam
faciendi quicquid velint, facultatem non habe-
2 ant, ſed † ad nutum patris vel domini quævis fa-
cere teneantur, per ea quæ notant Dd. *in §. 1. In-
ſtit. de jure perſon.* rectè Ulpianus hic infert: Velle
non creditur, qui obſequitur imperio patris
3 vel domini. Quæ cauſa eſt, quòd heres † non
ſit, qui coactus hereditatem adit, *l. qui in aliena
6. §. ult. ſup. de acquir. vel omitt. heredit.* quem textum
l. huic conjungendum eſſe Cujacius hìc ex in-
ſcriptione evincit. Eademq; de cauſa excuſatio-
4 nem meretur tutor, † qui vi metúve compulſus
autoritatem ſuam accommodavit. *l. noviſſimè*

7. §. 1.

7.§.1.ſup.quod falſ.tut.aut.geſt.eſſ.dic. Quò ſpectat
etiam *l.liber homo.37.in pr.ſup.ad l. Aquil.* ubi Javo-
lenus eum, qui juſſu † alterius, cui jus imperan- 5
di fuit, damnum injuriâ dedit, actione l. Aqui-
liæ teneri negat. Simile exemplum eſt *in l.libero-
rum.11.§.ult.& l.ſeq.ſup.de his qui not.infam.* ubi in-
famia non notatur filiusfam. † qui juſſu patris 6
uxorem duxit eam, quæ maritum defunctum
per anni ſpacium necdum eluxit: quòd venia
dignus ſit, qui obtemperavit: dummodo crimi-
na iſta, quæ fecit, leviora ſint. Nam in delictis † 7
atrocioribus juſſus non excuſat, ſicuti dicetur
in principio l. ad ea 157.inf.h.t. Neque adverſatur
huic regulæ *l.ſi mulier.21.§.ult.ſup.quod met.cauſ.
geſt.er.* ubi coacta † voluntas nihilominus pro 8
voluntate habetur: quoniam ſermo eò loci eſt
de illo, qui voluntate conſequente non tam in-
vitus, quàm gravatim facit id, ad quod facien-
dum vi metúve primùm impellebatur, cùm vi
metúve iſto non attento, à facto abſtinere po-
tuiſſet. Cujus inſigne exemplum proponit Cel-
ſus *in l. ſi patre 22.ſup.de rit.nupt.* ubi filiusfam. li-
cet † cogente patre uxorem duxerit, maluiſſe 9
tamen eam ducere cenſetur, quòd aliàs ani-
mum ducendæ uxoris haberet.

L. 5.

Paulus libro ſecundo ad Sabinum.

§ *In negociis contrahendis alia cauſa habita eſt furioſorum, alia eorũ, qui fari poſſunt, quamvis actum rei non intelligerent. Nam furioſus nullum negotium contrahere poteſt: pupillus omnia tutore auctore agere poteſt.*

SUMMARIA.

1 *Furioſi nullum negotium contrahere poſſunt.*

2 *Pupilli quævis tutorum autoritate agere poſſunt, dummodo fari queant.*

3 *Furioſi nulla eſt voluntas.*

4 *Furioſus abſentis vel quieſcentis loco habetur.*

5 *Pupilli intellectui quod deeſt, autoritate tutorum ſuppletur.*

6 *Pupillus infans, qui fari non poteſt, furioſo comparatur.*

7 *Infantis delictum impunitum eſt.*

8 *Furioſi delictum puniendum non eſt.*

9 *Hereditas infanti non acquiritur tutore autore, ſed per tutorem.*

10 *Infans in jure quis dicatur.*

11 *Furioſus quando abſentis loco habeatur?*

12 *Furioſus ratum habere nihil poteſt.*

13 *Furioſus procuratorem conſtituere non poteſt.*

14 *Demens perinde ut furioſus rerum ſuarum adminiſtrationem non habet.*

15 *Quando pupillus tutoris autoritate indigeat?*

16 *Pupillus etiã ſine tutoris autoritate alios ſibi obligare, adeoq; conditionem ſuam meliorẽ facere poteſt.*

17 Pu-

17 Pupillus actione reali tenetur, etiamſi tutoris autoritas non intervenerit.

18 Furioſus obligatus habetur, quando actione ex re promanante convenitur, licet curatoris conſenſus non intervenerit.

19 Pupillus ex contractu ſine tutoris autoritate inito tenetur, ſi locupletior inde factus ſit.

20 Pupillus an ex eo, quod inconſulto tutore fecit, naturaliter obligetur?

21 Pupillus an promittendo conditionem ſuam ſemper deteriorem faciat?

22 Jus natura non patitur, ut quis cum alterius damno locupletetur.

23 L. cum illud. 25. §. 1. ff. quand. dies legat. ced. & l. naturaliter. 13. §. ult. ff. de condict. indeb. conciliatio.

24 Pupillus è pecunia mutuò accepta non ſemper è veſtigio, ſed interdum longo interjecto intervallo locupletior fieri poteſt.

25 Intellectus l. Stichum. 95. §. aditio. ff. de ſolut.

26 Retentionis in jure major eſt favor, quàm acquiſitionis.

27 Obligatio naturalis, quâ pupillus locupletior factus tenetur, quem effectum ex reſcripto D. Pii ſortita ſit?

28 Obligatio naturalis regulariter actionem non parit.

29 Intellectus l. ſi pupillus 127. ff. de verb. oblig.

30 Fidejuſſor etiam naturali obligationi accedit.

31 Ante reſcriptum D. Pii pupillus quantumvis locupletior

pletior factus ex contractu inconſulto tutore inito conveniri non potuit.

32 *Quinám Juris interpretes quæſtionem hanc: An pupillus abſq; tutoris autoritate naturaliter obligetur? potiſsimum tractârint.*

PAulus hoc loco furioſos diſtinguit ab iis, qui fari poſſunt, h.e. à pupillis, veluti in fine hujus l. ipſe interpretatur: Et de furioſis qui-
1 dem ſtatuit, quod † nullum negotium contra-
2 here poſſint: de pupillis † verò qui fari poſſunt, quòd omnia tutorum autoritate agere queant. Cujus diverſitatis ratio obſcura non eſt. Ete-
3 nim experientia teſtatur, in furioſo † nullum eſſe animi judicium. Unde nec quicquam velle, vel agere is cenſetur, *l. qui ſervum. 47. ſup. de acq. vel omitt. hered. & l. furioſi. 40. inf. h. t.* ſed per omnia
4 & in omnibus † abſentis vel quieſcentis loco furioſus habetur, ut ait Julianus *in l. 2. §. pen. de jur. Codicill.* idque Pomponium etiam ſcripſiſſe refert Paulus *in fine, l. ubi non voce 124. inf. h. t.* At verò pupillus aliquem intellectum habet, cui
5 † quod deeſt, tutorum autoritate ſuppletur, *§. furioſus. Inſtit. de inut. ſtipulat.* ubi Juſtinianus hoc de eo pupillo vult intelligi, qui infans non eſt.
6 Infans † enim, qui fari non poteſt, non multùm à furioſo diſtat, neque ullum habere intellectum dicitur *in d. §. furioſus*. Hinc fit, ut deli-
7 ctum † infanti æquè atque furioſo impunitum
8 ſit: cùm † alterum innocentia conſilii tueatur,

alte-

alterum fati infelicitas excuſet, ut refert Modeſtinus *in l. infans 12. ſup. ad l. Cornel. de ſic.* cui conſentit *l. quod infans. 60. ſup. de rei vend. & l. ſed etſi 5. §. & ideò quærimus. ſup. ad l. Aquil.* Eodemq; pertinent ea, quæ præter alios notant Vaudus *in quæſt. 7. lib. 2. variar. quæſtion. jur. Andreas Geil. in obſ. 110. n. 20. 21. 22. & 31. lib. 2. practic. obſervat. Covarruvias in relectione Clem. ſi furioſus. part. 3. n. 1. & 5. de homicid.* itemq; *Menoch. lib. 2. de arb. jud. quæſt. caſ. 325. n. 2. & ſeqq. & caſ. 329. n. 2. & ſeq.*

Atque ex eodem fundamento & illud fit, quod infanti † hereditas propriè non dicitur 9
acquiri tutore autore, ſed per tutorem. Siquidem tutor nullo infantis actu interveniente, ſolus omne aditionis iſtius negotium expedit, per ea, quæ notat Cujacius *in cap. 34. lib. 1. obſ. argumento l. ſi infanti 18. C. de jur. deliber.* Ex qua lege hoc quoque intelligitur, infantem † in jure di- 10
ci eum, qui ſeptem annis minor eſt, quod ipſum pluribus declarat Menoch. *lib. 2. de arbitr. judic. quæſt. caſ. 57. n. 7. & aliquot ſeqq.* Nec refert, quòd puer 4. 5. vel 6. annorum fari poteſt, quoniam nihilominus ejus ætatis adhuc eſt, ut neque ſcire, neque diſcernere poſſit, non magis quàm furioſus, *l. pupillus 9. ſup. de acq. vel omitt. hered.* quæ l. ejuſdem Pauli eſt, atq;, ut inſcriptio oſtendit, huic l. conjuncta fuit.

His ita explicitis, videndum primò eſt, qua ratione furioſus abſenti comparetur: Cum tamen Paulus *in l. 2. §. 1. ſup. de procurat.* diſertè dicat,

furio-

furioſum abſentis loco habendum non eſſe.
11 Reſpondeo † furioſum abſentis loco haberi in iis actibus, qui à præſente expediendi ſunt, veluti eſt factio teſtamenti, dictio teſtimonii, & ſimiles, quibus furioſus quod fruſtrà adſit, non adhibetur. Quod ſi verò ejuſmodi actus ſint, qui ab abſente quoque ob ſubſequentem ratihabitionem peragi poſſunt, furioſus abſentis loco non habetur, h.e. ad expeditionem iſto-
12 rum actuum nō admittitur, † quia ratū habere
13 nihil poteſt, ut *in caſu d. §. 1.* furioſus † ideo procuratorem dare non poteſt, quia dationem iſtam ob defectū rationis ratam habere nequit.
14 Nec diſtinguendum hìc eſt inter furioſum † & dementem, quia neuter rerum ſuarum adminiſtrationem habet, ſed uterque curatorum conſilio regitur, *§. ſed & mente captis. Inſtit. de curat.* ubi Juſtinianus ad dementem accommodat, quod in §. proximè præcedente de furioſo dixerat.

Alterum, quod explicatione dignum hoc loco interpretes cenſent, eſt, quomodo pupillus, qui videlicet fari poteſt, tutore autore omnia, ſicut Paulus hic loquitur, agere poſſit? Reſpondeo ex aliis textibus juris hoc liquidò conſtare,
15 pupillum † tutoris autoritate eo demum caſu indigere, ſi aliis ſeſe obligare velit. Nam Juſtinianus *in pr. tit. Inſtit. de autorit. tutor.* diſertè ait,
16 pupillum alios ſibi obligare, adeoque † conditionem ſuam meliorem facere poſſe, quantumvis tutoris autoritas non interveniat: quod i-

pſum

pſum quoque ab Impp. Diocletiano & Maximiano reſcriptum eſt *in l.1. C.de autor. præſt. & in l.neq; 7.C.de contr.& commit. ſtipulat.* atque eruditè declaratur à Donello *in cap. 13. lib. 3. comment. de jure civil.* Cæterùm quod dixi pupillum ſine tutoris autoritate aliis non obligari, illud accipiendum eſt de eo caſu, quando pupilli perſona duntaxat in conſiderationem venit. Quod ſi enim non perſona, ſed res ipſa attendenda eſſet, adeoque † ex re actio promanaret, & pupil- 17
lus † & furioſus obligantur, etiamſi tutoris au- 18
toritas vel curator non intervenerit: quemadmodum exemplo id declarat Paulus *in l.furioſus 46. ſup. de oblig. & act.* Idem obtinet, ſi pupillus ex
† contractu, quem ſine tutoris autoritate iniit, 19
factus ſit locupletior, veluti patet *ex l.pupillus. 5. §.1. ſup. de aut. & conſenſ. tut. & curat. l. naturaliter 13. §. ult. ſup. de condict. indebit. l. quamvis. §. ult. ſup. ad SC. Vellejan. & l. 4. §. ſi quis pupillo. ſup. de dol. mal. except.*

Atque ex his ipſis ll. reſolvi poteſt dubium illud, quod tantoperè interpretes movent: An
videlicet † pupillus abſq; tutoris autoritate na- 20
turaliter obligetur? Nam ſunt LL. quæ indiſtinctè tradunt pupillum eo caſu ne naturali quidem jure obligari, ut videre eſt ex *l. quod pupillus. 41. ſup. de condict. indeb. & ex l. pupillus 59. ſup. de oblig. & act.* Sunt etiam quæ ſimpliciter contrarium ſtatuunt, veluti *l.1. in fin. ſup. de novat. l. ſi pupillus. 21. in principio. ſup. ad l. Falcid. l. ſi ejus. 64. §. 1. ſup. ad*

SC.

SC. Trebell. & l. in nunerationibus. 44. ſup. de ſolut. Quæ LL. omnes ſatis oſtendunt pupillum ex ſua promiſſione, vel mutui acceptione naturaliter obligari, quantumvis ſine tutore id fecerit: cùm tamen & promittendo, & mutuum ac-
21 cipiendo pupillus † conditionem ſuam non meliorem, ſed deteriorem faciat, quemadmodum patet ex principio *Inſtit. de autor. tutor.* Hæc contrarietas, inquam, ex ſuprà ſcriptis ll. apprimè decidi poteſt, ita videlicet, ut priores duas ll. accipiamus de pupillo, cujus res ex contractu aucta non eſt: Sed poſteriores quatuor ll. de iſto pupillo, qui ex contractu, quem ſine tutoris autoritate iniit, locupletior factus eſt. Neq; enim hoc univerſaliter verum eſt, quòd pupillus ex mutuo conditionem ſuam deteriorem faciat: Cum fieri poſſit, ut pecuniam ex contractu mutui acceptam in rem ſuam converterit, vel etiam in vicem promiſſionis, quam alteri fecit, aliud quoppiam emolumentum acceperit. Proinde pupillus ex contractu ſine tutoris autoritate inito tum demum naturaliter obligatur, ſi conſtiterit ipſum factum inde eſſe locu-
22 pletiorem. Etenim jure † naturæ æquum eſt, ne quis cum alterius detrimento fiat locupletior. *l. nam hoc. 14. ſup. de condict. indeb. l. jure ſuccurſum 6. in fin. ſup. de jur. dot. & l. jure naturæ. 106. inf. h. t.* Verùm huic conciliationi plurimum obſtare videtur Papinianus *in l. cùm illud. 25. § 1. ſup. quando di. legat. ced.* Unde interpretes communiter concludunt,
pupil-

pupillum ex mutuo naturaliter obligari, etiamſi locupletior factus non ſit. Johannes Robertus, quemadmodum † colligere poſſum *ex cap.* 23
21. lib. 3. animadverſ. reſpondet naturalem obligationem, cujus in l. oppoſita fit mentio, referendam eſſe non ad debitum præſens, quippe quod nullum erat pupillo necdum locupletiore facto: ſed ad illud debitum, quod poſtea contingere poſſit, ſi videlicet pupillus locupletior factus pecuniam exolvat. Quæ reſponſio mihi haud diſplicet, preſertim cùm fieri poſſit, ut pupillus pecuniam, quam ſine tutoris † autoritate 24
mutuam accepit, in negociationem aliquam conferat, ex qua protinus non locupletetur, ſed interjecto longiori aliquo intervallo demum lucrum inde nanciſcatur. Ceterùm quòd Cujacius *ad l. ſi pupillus. 127. ſup. de verb. obligat. & in cap. 4. lib. 17. obſ.* particulam, *nec*, in d. §. tollendam eſſe exiſtimat: ei tantò minus aſſentiri poſſum, quantò abſurdior intellectus inde reſultat. Hac enim ratione affirmari oporteret pupillum locupletiorem factum ex pecunia, quam mutuam ſumpſit, ad reſtitutionem illius non teneri, niſi ſponte illam ſolverit: maximè cùm Papinianus eò loci affirmet, pupillum, quem Cujacius locupletiorem factum eſſe ſtatuit, reſpectu præſentis debiti nihil ejus debere. Cujuſmodi ſententia *§. ult. d. l. quamvis*, è diametro repugnat. Quod † verò attinet ad *l. Stichum. 95. §. aditio. ſup.* 25
de ſolution. quæ ſimiliter prædictæ deciſioni op-

poni ſolet, cum Papinianus diſertè eò loci ſcribat, creditorem pupilli ex hereditate ipſius non tantùm id, in quo locupletior ille factus eſt, ſed totum debitum deducere poſſe: Re-
26 ſpondendum eſt, Papinianum ibi † de retentione loqui, quæ majorem in jure favorem ſortita eſt, quàm acquiſitio: cùm multa retineri poſſint, quæ acquiri nequeunt, per ea quæ tradit Sichardus *ad l.4.n.8.C.de uſur.* Unde facilius creditori indultum eſt, ut retineat quod jam habet, quàm ut conſequatur quod non habet. Quod ſi enim creditor heres inſtitutus non eſſet, aut hereditatem non adiiſſet, non plus, quàm in quo pupillus ex mutui datione locupletior factus eſſet, conſecuturus fuiſſet. Itaque pupillus
27 locupletior factus † naturaliter obligatur: cujuſmodi tamẽ naturali obligationi D. Pius poſtmodũ eam vim tribuit, ut pupillus ex ea efficaciter actione utili conveniri poſſet, ſicuti videre eſt *ex l.3.§.pupillum.ſup.de neg.geſt.d.l.pupillus.5.in*
28 *principio.& l.3.in pr.ſup.commodat.* licet aliâs † naturalis obligatio producendæ actioni non ſufficiat, *argumento l.creditores 10.ſup.de verb.ſignif.& l.fidejuſſor.16.§.naturales, ibidemq; Accurſius ad verb. actio aliqua.ſup.de fidejuſſor.* At verò cum his pu-
29 gnat † Scævola *in d.l.ſi pupullus.ſup.de verb.obligat.* ubi pupillum, qui in tradendo Sticho, quem ſine tutoris autoritate promiſerat, moram fecit, ex mora iſta obligatum eſſe negat, propterea quòd nec Stichus iſte ab ipſo peti potuiſſet:

Cum

Cum tamen in ſpecie iſtius l. eum locupletiorem factum fuiſſe ex eo pateat, quòd ipſius obligationi fidejuſſor acceſſit, cui accedere † non 30
potuiſſet, niſi ad minimum naturalis illa fuiſſet, *per d. l. fidejuſſor. 16. §. fidejuſſor. & §. 1. Inſtit. eod.* Cujacius ibidem reſpondet Scævolam ad reſcriptum D. Pii animum ſuum non advertiſſe, ſed anteriora † tempora reſpexiſſe, quibus 31
pupillus ex promiſſione ejuſmodi conveniri non potuerit, etiamſi in ipſius commodum illa ceſſiſſet. Plura de hac quæſtione qui ſcire volet, is legat ea, quæ † notant *Duarenus in tit. de condict.* 32
indebit. cap. 6. verſ. aliud exemplum. Cujacius ad d. l. ſi pupillus. Donellus *in cap. 22. lib. 12. comment. de jur. civil. & in d. l. ſi pupillus 127. n. 5. & ſeqq. Schneidvvinus ad pr. tit. Inſtit. de autor. tutor. n. 11. & aliquot ſeqq. VVeſembecius in d. §. pupillus. n. 2. Inſtit. de inutil. ſtipul. Julius Pacius in quæſt. 10. cent. 4. itemq́; Everhardus Bronchorſt. in aſſert. 24. cent. 1. ll. conciliatarum.*

L. 6.

Ulpianus libro ſeptimo ad Sabinum.

¶ *Non vult heres eſſe, qui ad alium transferre voluit hereditatem.*

SUMMARIA.

1 *Hereditas ſolo animo aditur.*

2 *Geſtio pro herede & facti eſt & animi.*

3 *Pro herede ſeſe gerere quinam dicatur?*

4 *Aditio hereditatis & geſtio pro herede quomodo differant?*
5 *Intellectus l. gerit. 88. ff. de acquir. vel omitt. hered.*
6 *Heres ſolo animo dominium rerum hereditariarum conſequitur.*
7 *Animus unde dignoſcatur?*
8 *Quinám pro herede habendus ſit?*
9 *Hereditas cui deferenda ſit, ſi ab herede ſcripto illa repudietur?*
10 *Heres ſemel factus heres eſſe non deſinit.*
11 *Hereditas ſemel ab extraneo repudiata adiri amplius non poteſt.*
12 *Heres ſuus rebus hereditariis adhuc integris, intra triennium immiſcere ſe poteſt, etiamſi antè illis abſtinuiſſet.*
13 *Heres ſuus & à ſua & à coheredis repudiata quota hereditaria abſtinere poteſt, quantumvis antè ſuam quotam agnoviſſet.*

1 TAmetſi † ſolo animo hereditas aditur, nec dubium eſt ullum, quin jure civili quis heres factus intelligatur, ſimulatq; oculum hereditati adjecerit, eámque ſibi acquiſitam velle in animo conſtituerit, *§. ult. Inſtit. de hered. qualit. & differ. l. pro herede. 20. in pr. ſup. de acq. vel omitt. hered. & l. ſi avia. 6. C. de jur. delib.* Veriſſimum tamen eſt, pro herede ſeſe gerere videri poſſe neminem, neq; quaſi heredem creditoribus obſtrictum eſſe quemquam, niſi tale quippiam fecerit, ex quo heredem ſe eſſe negare non poſſit,

per l.potuit. 5. C. de jur.delib. & l.1. C. de repud.hered.
Etenim † geſtio pro herede & facti eſt & animi, 2
d.l.pro herede. Atque is demum pro † herede ſeſe 3
gerere dicitur, qui poſteaquam heres eſſe voluit, aliquid etiam quaſi heres facit, veluti ædes hereditarias locat, hortos colit, prædia diſtrahit, vel alio quopiam facto, ſive etiam verbis animum ſuum declarat, *d. §. ult.* ubi Juſtinianus
ſatis apertè docet, hereditatem quidem † adiri 4
ſolo animo poſſe, ſed geſtionem pro herede cenſeri non poſſe, niſi ad animi deſtinationem factum aliquod acceſſerit. Ergo aditio hereditatis & pro herede geſtio ut appellationibus, ita & re ipſa in uſu juris diſtincta ſunt, ſicut eruditè hoc explicat Donellus *in cap. 8. libr. 7. comment. de jur. civil.* Neque *l. gerit. 88. ſup. de acquir. vel omitt. hered.*
red. qua † tantopere nituntur Dd. qui in contra- 5
ria ſunt ſententia, eò pertinet, ut quis pro herede ſeſe ſolo animo gerere poſſe videatur: Verùm l. iſtius ſenſus hic eſt, pro herede ſeſe geſſiſſe illum quoque cenſeri, qui re non hereditaria quaſi hereditaria uſus ſit, veluti ſi domum defuncto pignori datam, ac necdum repigneratam, ſicut hereditariam retinuerit, aut rem alienam quaſi hereditariam poſſederit: quo certè caſu præter animum, factum quoque heredis interveniſſe apparet. Quamvis Ulpianus *in l. ſi quis extraneus. 21. §. 1. ſup. de acquir. vel omitt. hered.* ſolo animo illud aſſcribat, propterea, quòd in ejuſmodi caſu non tam factum quàm animus at-

6 tendatur: quippe quo † ſolo etiam dominium rerum hereditariarū heres nanciſcitur, licet earum poſſeſſionem nunquam adeptus ſit, *per l. ſi ſorori. 14. C. de jur. delib.* idque pluribus declarat Andreas Geil. *in obſ. 129. n. 2. 3. & 11. lib. 2. practic.*
7 *obſervat.* At verò † cùm animus cerni non poſſit, niſi per exteriora probetur, ut refert Sichard. *in rubric. C. de jur. delib. n. 14.* iccirco quoties
8 dubitatur, an pro herede † quis habendus ſit? toties attendi debent actus, quos circa hereditatem fecit is, de quo quæſtio incidit. Quod ſi enim contrariam adeundi voluntatem declaraverit, omiſiſſe atq; repudiaſſe hereditatē cenſeri debet; veluti ſi expreſsè proteſtatus ſit, ſe hereditatem adire nolle, vel ſi precium hereditatis omittendæ cauſa acceperit, aliáve indicia ediderit, ex quibus hereditas ab ipſo repudiata intelligi poſſit, *l. recuſari 95. ſup. de acquir. vel omitt. hered.* De quibus indiciis ſimul ac conſtiterit,
9 ſucceſſio ſubſtituto vel heredi legitimo, cui † videlicet ab inteſtato hereditas debetur, in favorem creditorum deferetur, etiamſi heres ſcriptus ſervos hereditarios paviſſet, aut res tempore perituras diſtraxiſſet, vel quid aliud feciſſet, quod geſtionem pro herede arguere poſſit: quicquid enim hujus fecit, non hoc animo fecit, quaſi pro herede ſeſe gereret, ſed ut conſuleret ei, qui ſubſtitutus eſt, vel ab inteſtato hereditatem habiturus eſſet, ſicut refert Ulpianus *in d. l. pro herede. & in l. ſuit quæſtionis 24. ſup. de acquir. vel omitt. hered.* Cæte-

Cæterùm qui hereditatẽ adiit, & ſic † ſemel he- 10
res factus eſt, is mutato conſilio hereditatem ad
alium transferre non poteſt, propter regulam
juris, quâ aſſeritur: Qui ſemel heres factus eſt,
heres eſſe non deſinit, teſte Gajo *in l. ei qui. 88.*
ſup. de hered. inſtit. Cui conſentit etiam *l. 4. C. de re-*
pud. vel abſtin. hered. ubi idem ſtatuitur de eo, qui
† hereditatem ſemel repudiavit: Nam & huic 11
poſtea regreſſus ad eam non datur, niſi 25. annis
minor fuerit, quo caſu in integrum reſtituitur,
ſi per repudiationem iſtam ſe læſum eſſe intel-
lexerit. Idq́ue in herede extraneo obtinet: Se-
cus ſe res habet in filio ſive herede ſuo. Hic e-
nim eo caſu, quando † res hereditariæ adhuc 12
ſunt integræ, h. e. ſi nihil ex iis eſt diſtractum, i-
pſo jure, non petita reſtitutione in integrum,
intra trium annorum ſpatium immiſcere ſeſe
poteſt rebus iſtis, quibus antea abſtinuerat, e-
tiamſi annum ætatis 25. exceſſerit, atque qua-
driennium quoque petendæ reſtitutioni in in-
tegrum deſtinatum effluxerit. *l. ult. C. de repud. vel*
abſtin. heredit. Quemadmodum & hoc † in here- 13
de ſuo peculiare eſt, ut, ſi coheredem habeat,
isq́ue partem ſuam repudiet, & à ſua & cohere-
dis quota hereditaria abſtinere poſſit, quan-
tumvis antè ſuam quotam agnoviſſet, veluti
notat Petrus de Ferrariis *in form. libell. quo pet. he-*
red. ex teſt. §. purè inſtituit. n. 4. & 8. per l. cum heredita-
te. 55. ſup. de acquir. vel omitt. hered.

L. 7.

Pomponius libro tertio ad Sabinum.

¶ *Jus noſtrum non patitur eundem in paganis & teſtatò & inteſtatò deceſſiſſe, earumq́; rerum naturaliter inter ſe pugna eſt, Teſtatus & Inteſtatus.*

SUMMARIA.

1 *Una eademq́; res diverſo jure non cenſetur.*
2 *Hereditas eſt individua.*
3 *Hereditas perſonam defuncti repræſentat.*
4 *Hereditas univerſa vel ex teſtamento, vel ab inteſtato cuipiam defertur.*
5 *Teſtati & inteſtati cauſa in uno eodemq́; homine concurrere nequit.*
6 *Hereditas quomodo adeatur, ſi teſtator ſaltem de certa bonorum parte teſtamentum fecerit?*
7 *Hereditatis pars, quam ex pluribus coheredibus unus repudiat, cæteris coheredibus accreſcit, etiamſi teſtator accretionem iſtam probibuerit.*
8 *Heres ex aſſe ſcriptus nihil agit, ſi hereditatis partem adeat, partem repudiet.*
9 *L. ſi ex aſſe. 10. & l. ex ſemiſſe: 75. ff. de acquir. vel omitt. hered. conciliatio.*
10 *Heres neq; ex certo tempore, neq; ad certum tempus inſtitui poteſt.*
11 *Nemo cavere poteſt, ne in teſtamento ſuo leges locum habeant.*

12 L.

12 *L. nam etſi.15.§.ult.& l. circa. 24.ff. de inoffic. teſtam. cum l.7. hujus tit. conciliantur.*
13 *Querela inofficioſi teſtatorem pro parte inteſtatum facere poteſt.*
14 *Quando præſenti huic l. locus ſit?*
15 *Heres in univerſum jus defuncti ſuccedit.*
16 *Subſtitutus filii arrogati impuberis pupillaria bona non conſequitur.*
17 *Bona arrogati impuberis arrogatori non cedunt.*
18 *Arrogator de bonis ejus, quem arrogavit, diſponere non poteſt.*
19 *Teſtamentum vigore conſuetudinis vel ſtatuti conditum ad bona extra locum, ubi conſuetudo vel ſtatutum eſt in uſu, ſita non extenditur.*
20 *In teſtamento militari ſola voluntas teſtantis attenditur.*
21 *Miles pro parte teſtatus, pro parte inteſtatus decedere poteſt.*
22 *Unius ex pluribus coheredibus à milite ſcriptis portio repudiata coheredibus non accreſcit, ſed ad legitimum heredem devolvitur.*
23 *Vocabulum* PAGANIS *quid hoc loco ſignificet?*
24 *Accurſii error notatur.*
25 *Miles pro parte teſtari non poteſt tum, quando in caſtris non degit.*

CUm abſurdum ſit, juriq́ue civili minimè conveniens, † ut una eademq; res diverſo jure cenſeatur, *per l. eum qui 23. ſup. de uſucap.* conſequens eſt, nec hereditatem, † quæ res indivi- 1

dua

dua eſt, teſte Paulo in fine *l. Pomponius 8. ſup. de rei*
3 *vendic.* adeoque † unius defuncti perſonam repræſentat, ut refert Juſtinianus *in §. ſervus etiam alienus. Inſtit. de hered. inſtit.* diverſum ſucceſſionis genus ſortiri poſſe, ita videlicet, ut pro parte teſtatorem referat, pro parte non referat.
4 Neceſſe igitur eſt, ut univerſa † hereditas vel ex teſtamento, vel ab inteſtato cuipiam deferatur: cùm natura non patiatur, ut quæ pugnant in-
5 ter ſe, veluti † teſtatus & inteſtatus, in eodem homine ceu ſubjecto concurrant. Hinc fit, ut
6 ſi quis decedat, † & de una duntaxat bonorum parte teſtatus ſit, de alia verò teſtamentum non cõdiderit, cauſa teſtati trahat ad ſe cauſam inteſtati, h.e. heres ſcriptus univerſam hereditatem nanciſcatur, excluſo eô, qui aliâs ab inteſtato ſucceſſurus fuiſſet, *§. hereditas. in fin. Inſtit. de hered. inſtit. l. pen. §. filiusfam. ſup. de caſtr. pecul.* idq; ipſum quoque innuit Paulus *in l. quamdiu. 89. inf. h. t.* E-
7 andemq; † ob cauſam ſi plures heredes ſcripti ſint, & ex his nonnulli portionem ſuam repudient, pars deficiens accreſcit coheredibus, qui hereditatem adeunt, etiamſi teſtator jus accreſcendi prohibuiſſet, veluti notat Julius Clarus *lib. 3. ſentent. §. teſtamentum. quæſt. 74. n. 2. per l. unic. C. quando non pet. part. petent. accreſc.* At verò is, qui
8 ſolus heres † inſtitutus eſt, ſi ex parte hereditatem adeat, ex parte repudiet, nihil agit, h.e. neq; in totum heres erit, neque etiam hereditate excludetur, ſed eſt, quod aut totam hereditatem

adeat,

adeat, aut totam repudiet, ne teſtator pro parte teſtatus pro parte inteſtatus decedat. *l. ex ſemiſſe. 75. ſup. de acquir. vel omitt. hered. & l. quidam elogio. 20. C. de jur. deliber.* Neque † cum hoc pu- 9
gnat *l. ſi ex aſſe 10. ſup. de acquir. vel omitt. hered.* ubi Ulpianus heredem ex aſſe ſcriptum ex aſſe quoque heredem fore ait, etiamſi is partem hereditatis habere conſtituerit: quoniam loquitur Ulpianus de ejuſmodi herede, qui ſimpliciter hereditatis partem adiit, non expreſſo eo, quod reſiduam hereditatis quotam repudiatam velit: hic enim ideo ex aſſe heres erit, quia ſimpliciter adeundo totam hereditatem adire voluiſſe cenſetur. Diverſum eſt in eo, qui expreſsè dicit, ſe partem hereditatis adire, reliquam verò repudiare velle: nam hic cum ſecus adeat, quàm leges jubent, nihil agit. Eodemq; pertinent ea quæ Decius *hîc n. 4.* tradit.

Neque ratione bonorum, modò ea ſucceſſionis diſtinctio induci nequit, ut quis pro parte teſtatus deceſſiſſe videatur: Sed etiam ratione tẽporis. Nam heres neq; † ex certo tẽpore, neq; 10
ad certum tempus inſtitui poteſt. *l. hereditas. 34. ſup. de hered. inſtit. & §. heres. Inſt. eod.* Uſq; adeò quidem, ut, licet teſtator ſcripſerit ſe pro parte temporis teſtatum, pro alia parte inteſtatum decedere velle, heres ſcriptus nihilominus detracta diei vel temporis mentione, univerſorum bonorum ſtatim ab ipſius morte ſucceſſor exiſtat, atque ad dies vitæ heres maneat. Siquidem

11 dem nemo † cavere poteſt, ne in ſuo teſtamento leges locum habeant, *l.nemo.55.ſup.de legat.1.*
12 Quibus non † adverſantur *l.nam etſi 15. §.ult. & l.circa 24.ſup.de inoff. teſt.* ubi nec Papinianus nec Ulpianus pro abſurdo habet, quem pro parte inteſtatum videri: quoniã aliud eſt, quem decedere pro parte teſtatum, pro parte inteſtatũ, &
13 aliud per † querelã inofficioſi, quem pro parte inteſtatũ effici. Illud enim ab initio fit, *d.§.filius f.* hoc ex intervallo, & quidem per alium, quàm
14 teſtatorem vel heredem ſcriptum: † quocirca illud regula juris, ut modò dixi, non permittit, qui vitium eſt vel teſtatoris, qui ſaltem de parte bonorum teſtatus eſt, aut pro parte temporis heredem inſtituit; vel ipſius heredis ſcripti, qui hereditatem pro parte repudiare nititur, cum
15 in † omne defuncti jus ſuccedere, aut univerſum repudiare debeat, *per l.heres 37.ſup.de acquir. vel omitt. hered.* Hoc verò, videlicet quempiam per querelam inofficioſi inteſtatum pro parte effici, à jure non abhorret, quia præter officium pietatis nihil in teſtatore deſiderari poteſt; quippe qui teſtamentum rectè fecit. *l.2.de inoff. teſtament.* Et qui hoc modo pro parte inteſtatus efficitur, is licèt revera teſtatus decedat, ex pòſt facto tamen inteſtatus deceſſiſſe videtur, *per l. mater decedens 19.ſup.de inoff.teſtament.* id quod latius deducit Valentinus Forſterus *in cap. 22.lib. 1.de ſucceſſion.* ubi ſimul Fernandi Vaſquii contrarium ſentientis opinionem refutat.

Dein-

Deinde obſtare huic regulæ videtur *l. ſed ſi*
plures.10.§. in arrogato.de vulg. & pupill.ſubſtit. ubi is
qui filio arrogato ante pubertatem mortuo pu-
pillariter † ſubſtitutus eſt, in iis ſaltem bonis 16
ſuccedit, quæ filius beneficio arrogatoris na-
ctus eſt, reliqua pupillaria bona heredibus legi-
timis deferuntur. Reſpondeo nec hoc caſu ar-
rogatorem pro parte teſtatum, pro parte inte-
ſtatum decedere, quoniam bona iſta pupillaria
diverſa ſunt ab iis bonis, quæ ab arrogatore
provenerunt: illa † enim arrogatori non ceſſe- 17
runt ob cautionem, quam præſtare tenetur in
eum caſum, ſi intra pubertatem pupillus de-
ceſſerit, *§. cum autem impubes. Inſtit. de adopt.* proin-
deq; † de his utpote alienis nec teſtari arroga- 18
tor potuit.

Præterea regulæ huic locus non eſt, quando
quis vigore conſuetudinis vel ſtatuti teſtamen-
tum † condit, hoc enim non extenditur ad bo- 19
na extra territorium conſuetudinis vel ſtatuti
ſita, ſed hæc perinde habentur, ac ſi inteſtatus
deceſſiſſet, quemadmodum eleganter hoc de-
clarat Andreas Geil. *in obſ. 124. n. 14. lib. 2. practic.*
obſervat.

Prædicta de paganorum teſtamentis duntax-
xat intelligenda ſunt, quia diverſum ſtatutum
eſt in † teſtamentis militum, quippe quorum 20
ſola voluntas ex ſpeciali privilegio ll. in teſtan-
do attenditur. *d. §. hereditas. in fin. l. 1. in princ. & l.*
miles 35. ſup. de teſtam. milit. Unde † milites pro 21
par-

parte teſtari poſſunt, ita quidem, ut portio iſta ſolummodo heredi ſcripto cedat, reſidua verò bona ad heredem legitimum deferantur. *l. ſi miles. 6. l. quærebatur 19. in pr. & l. ſi duobus 37. ſup. de te-*
22 *ſtã. milit. l. 1. & 2. C. eod.* Neq; ſi † ex duobus heredibus, quos miles ſcripſit, unus hereditatem repudiet, pars deficiens coheredi accreſcit, ſed ad legitimum heredem devolvitur, niſi alia defuncti voluntas probata fuerit. *d. l. ſi duobus.* Ex qui-
23 bus hoc quoq; elucet, vocabulũ † PAGANIS, hoc loco ad differentiã militum eſſe poſitum, & homines ſaltem paganos denotare, qui videlicet in caſtris non degunt, neq; etiam militiæ ſacramento tenentur: quo ſenſu accipitur et-
24 iam in *l. ſi ignorans 50. ſup. locat.* Malè igitur † Accurſius hic vocabulum illud de bonis in pago, non in militia quæſitis accepit: præſertim cùm ex *l. idem eſt. 13. §. 1. ſup. de teſtam. milit.* & ex princi-
25 pio *Inſtit. eod.* conſtet veteranum, adeoq; † militem de bonis in militia quæſitis pro parte teſtari non poſſe eo tempore, quo in caſtris non degit. Plura qui de hac regula ſcire volet, is legat Valentinum Forſterum *in cap. 20. lib. 1. de ſucceſſionibus.*

L. 8.

Pomponius libro quarto ad Sabinum.

¶ *Jura ſanguinis nullo jure civili dirimi poſſunt.*

Sum-

SUMMARIA.

1 *Jus ſanguinis quid hoc loco denotet?*
2 *Conſanguinitatis jus à jure agnationis non differt.*
3 *Agnationis jus juri ſanguinis opponitur.*
4 *Cognationis jus à jure ſanguinis non differt.*
5 *Civile jus non perimit id, quod ratione civili conſtitum non eſt.*
6 *Agnati licet capite ſint minuti, tamen jure cognatorum ſuccedere poſſunt.*
7 *Capitis diminutio an jus cognationis tollat?*
8 *Naturalia jura immutabilia ſunt.*
9 *L.4.§.ult.ff.de gradib.& aſſinib.intellectus.*
10 *Cognationis effecta aliquando per jus civile impediuntur.*
11 *Servi juris civilis communionem non habent.*
12 *Peregrini juris civilis capaces non ſunt.*
13 *Filius non deſinit eſſe filius, licèt jus civile aliquando faciat, ne patri ſuo ſuccedat.*

JUra ſanguinis, inquit Pomponius, nullo jure civili dirimi poſſunt. Per jura † ſanguinis Ac- 1
curſius hìc intelligit jura conſanguinitatis, ſed malè: Conſanguinitas enim ab Ulpiano in *l. 4. ſup.und.cognat.* ad † agnationem refertur, & à Ju- 2
ſtiniano etiam *in §. vulgò quæſitos. Inſtit. de ſucceſſ. cognat.* agnationis ſpecies nuncupatur: Sicut & jus conſanguinitatis & jus agnationis promiſcuè ab eodem accipitur, *in §.1.Inſtit.de legit.agnator.*

ſtit. de jur. nat. gent. & civil. Verùm graviter † his 9
adverſari videtur *d. l. 4. §. ult. de gradib. & affin.* ubi
Modeſtinus ait, eum, qui ita capite diminutus
eſt, ut libertatem & civitatem amittat, cognati-
ones omnes, quas habuit, amittere: uſque adeò
quidem, ut illas nulla ratione recipere poſſit,
teſte eodem Modeſtino *in l. is qui 7. ſup. unde co-
gnat.* cui conſentit Juſtinianus *in §. pen. Inſtit. de
cap. diminut.* Reſpondeo, textus oppoſitos ita ac-
cipiendos non eſſe, quaſi ipſa cognatio per ma-
ximam & mediam capitis diminutionem reve-
ra perimatur: hæc enim etiam poſt capitis di-
minutionem durat, ut videre eſt ex *l. adoptivus.
14. §. ſerviles. ſup. de rit. nupt.* Verùm jus civile † co- 10
gnationis effectus duntaxat juſtas ob cauſas a-
liquando impedit. Veluti in caſu propoſito ſuc-
ceſſio legitima, licet ſanguinis ratione defera-
tur, peregrinis tamen, iiſque qui in ſervitutem
redacti ſunt, adimitur, quoniam † juris civilis 11
illa eſt, cujus communionem ſervi ac † peregri- 12
ni non habent. *l. qui teſtamento. 20. §. ſervus. ſup. qui
teſtam. fac. poſſ. & l. 1.* ubi Sichardus *n. 3. & 5.* C. *de
hered. inſtit.* Sic jus † civile, quamvis facere poſ- 13
ſit, ne filius patri, aut frater fratri ſuccedat: ta-
men nullo modo hoc efficere poteſt, ut filius
vel frater, qui ſuccedere nequit, propterea fi-
lius vel frater eſſe deſinat, *per l. 1. § pen. ſup. de ſu. &
legit. hered. & l. jus agnationis. 34. ſup. de pact.* Quod
de ſucceſſione dixi, idem intelligi debet de tu-
tela & reliquis effectibus, quos jus civile vel

prætorium cognationi attribuit, *in l. 2. ad SC. Tertyll.*

L. 9.

Ulpianus libro quintodecimo ad Sabinum.

¶ *Semper in obſcuris quod minimum eſt, ſequimur.*

SUMMARIA.

1 *Dubium quod ex contractu exiſtit, quomodo explicari debeat?*

2 *Contrahentes quod tacitè cogitârunt, id primùm in dubio ſequendum eſt, etiamſi cogitatum illud expreſſum non fuerit.*

3 *Ambiguum ex cujuſq; affectione interpretandum eſt.*

4 *Expreſſum illud cenſetur, quod in contrahendo agitur.*

5 *Mutuo quod datum eſt æquè bonum reddi debet.*

6 *Creditori ſatis non fit, niſi quantum dedit, tantundem ipſi reddatur.*

7 *Deterius vel minus qui reddit, tantundem non reddit.*

8 *Officium ſuum nemini damnoſum eſſe debet.*

9 *Mutuum eſt contractus ſtricti juris.*

10 *Contractus ſtricti juris an eam ſemper præſtationem exigat, quæ nominatim expreſſa eſt?*

11 *L. quicquid. 99. ff. de verb. obligat. intellectus.*

12 Con-

12 *Contractus ſtricti juris aliquando recipit id, quod tacitè actum eſt.*

13 *Dubii interpretandi ratio eadem eſt in pactis ac tranſactionibus, quæ in contractibus.*

14 *Veriſimilius quod eſt, & ut plurimum in ejuſmodi negotio fieri ſolet, id ſequendum eſt, quando non apparet quid tacitè actum ſit.*

15 *Interpretatio illa aſſumenda eſt, quæ circumſtantiis ejus facti, de quo agitur, magis convenit.*

16 *Caviſſe quis non ſibi ſolùm, ſed ſuo quoq; heredi in dubio præſumitur.*

17 *Aureorum valor in dubio intelligi debet is, qui in loco contractus in uſu eſt.*

18 *Morem ſuæ regionis contrahentes ſpectaſſe cenſentur.*

19 *Minimum in dubio tum demum ſequendum eſt, quando nec hominum, nec regionis mos ob varietatem apparet.*

20 *Jactare ſuum nemo præſumitur.*

21 *Pœnæ molliendæ potius ſunt quàm exaſperandæ.*

22 *Pœna delictorum ubi diſpar à Judicibus ſtatuta eſt, quænám eligi debeat?*

23 *Spondere quis id demum intelligitur quod minus eſt.*

24 *Quando legatum quid eſt è pluribus ejuſdem nominis, ſed diverſi precii, legatum in dubio illud intelligitur, quod vilius eſt.*

25 *L. ſi quis argentum. 35. §. ſimiliq; modo. C. de donat. & l. ſemper in obſcuris. 9. ff. h. t. conciliatio.*

26 Quodnam minimum Ulpianus in l. ſemper in obſcuris. 9. ff. h. t. intelligat?

27 Servos peſſimos non habere magis quàm habere prodeſt.

28 L. Titia 38. §. ult. ff. de aur. & argent. legat. conciliatur cum l. ſemper in obſcuris. 9. ff. h. t.

29 Philippus Decius adverſus Hier. Cagnolum defenditur.

30 Lectio vulgata l. Titia. §. ult. ff. de aur. & arg. legat. emendatur.

31 Teſtatoris voluntas quando plenius interpretanda ſit?

32 Significatio verborum teſtamenti propria ſumenda eſt, quando de teſtatoris voluntate non conſtat.

33 Significatio verborum teſtamenti propria ſi pluribus ſummis accommodari poteſt, ea aſſumenda eſt interpretatio, quæ minimæ ſummæ convenit.

34 L. etiam partis. 43. ff. de uſufruct. intellectus.

35 Partis vocabulum in dubio dimidiam partem denotat.

36 Lex ambigua quomodo interpretanda ſit?

37 Conſuetudo optima ll. interpres dicitur.

38 L. 4. C. ſolut. matrim. intellectus.

39 Dos à patre filiæ numerata, quando ad patrem revertatur?

40 Dos proprium matris patrimonium eſt.

41 Hereditas matris deſcendentibus prius quàm aſcendentibus debetur.

42 Interpretatio l. quando ex conſuetudine haberi nequit,

quit, aſſumenda eſt illa, quæ ad æquitatem accedit.

43 *AEquitas in jure cumprimis ſpectanda eſt.*

44 *AEquitas quænám ſit?*

45 *AEquitati an ſtandum ſit tum, quando verba l.ſcriptæ illi repugnant?*

46 *Juſtis decretis rem temperare quid ſit?*

47 *AEquitas juri ſcripto prævalet.*

48 *L.placuit.8.C.de judic.emendatur.*

49 *Summum jus ſummam ſæpè parit injuriam.*

50 *L.placuit 8. C.de judic.& l.proſpexit 12. §.1.ff. qui & à quib.manumiſſ.liber.non fi.conciliatio.*

51 *Interpretatio l.obſcuræ quando à principe petenda ſit?*

52 *AEquitas legi ſcriptæ etiam inconſulto principe præponenda eſt tum, quando verba legis plana ſunt.*

53 *L.ſcripta in genere quidem atq; ex ſeſe æquitati non repugnat, ſed ſi ad quodvis factum applicetur, iniquitatem parere nonnunquam poteſt.*

54 *Facta ratione circumſtantiarum infinita ſunt.*

55 *Singulis factis jura ſcribi non poſſunt.*

56 *Jus ſæpè ex ſimilibus dicendum eſt.*

QUando † ex contractu aliquo dubium occurrit, de cujus interpretatione inter contrahentes non convenit, primùm attendi debet, quid † inter ipſos cogitatum taciteque actum ſit. *l.ſemper in ſtipulationibus.34.inf.h.t.& l.ubi eſt.21.ſup.de reb.dub.* Qui enim ambiguè loqui-

(margin numbers: 1 beside "QUando … oc-" line; 2 beside "bet, quid … a-" line)

tur, id loquitur, quod ex his, quæ ſignificantur, ſenſit, ait Proculus *in l. nepos 125. de verb. ſignif.* Et
3 ex affectione cujuſque id, quod † obſcurum & ambiguum eſt, interpretandum eſſe docet Paulus *in l. rapienda. 168. §. 1. inf. h. t.* cum quo congruit illud Pomponii *in l. 3. ſup. ſi cert. pet.* in contrahen-
4 do pro cauto † ſive expreſſo habendum eſſe, quod agitur. Exempli gratia, ſi de hoc contro-
5 verſia exiſtat, an quod mutuo † datum eſt, æquè bonum reddi debeat? idque debitor neget ex hac ratione, quod tempore contractus diſertè cautum non ſit, ut ejuſdem bonitatis res reddatur: hoc ſanè caſu ex ſententia regulæ modò d. recurrendum erit ad id quod tacitè inter contrahentes actum eſt. In mutuo autem hoc tacitè actum intelligitur, ut non ſolùm in eodem genere, ſed eadem quoque bonitate ſolvatur
6 quod datum eſt: cum † enim ad hoc, ut creditori ſatisfiat, tantundem reddi oporteat, *l. certum eſt. 6. ſup. ſi cert. pet.* ſatis intelligitur rem mutuo datam eâdem bonitate reddendam eſſe: †
7 quia tantundem non reddit, qui minus vel deterius reddit. Et homines præterea omnes ita
8 affecti ſunt, ut † ſuum officium ſibi damnoſum eſſe nolint. *argumento l. 1. §. cujus. ſup. ad SC. Trebell.* Neque obſtat huic, quod in contractibus ſtricti
9 juris, in quorum † numero mutuum quoque eſſe conſtat *ex §. actionum autem. Inſtit. de action.* il-
10 lud † duntaxat præſtari oportet, de quo nominatim in contrahendo convenit: veluti exem-

plo

plo ſtipulationis id probat † Celſus *in l. quic-* 11
quid. 99. ſup. de verb. obligat. quoniam oppoſitæ
huic l. tum locus eſt, quando neque ex verbis
ſtipulationis, vel mutui, neque ex qualitate ne-
gocii de quo agitur, neque ex contrahentium
affectione moréve hominum in ejuſmodi ne-
gocio ſolito veriſimiliter colligi poteſt, quid a-
ctum ſit. Cæteroquin ſi ex conjecturis † cuique 12
negocio convenientibus mens contrahentium
intelligi poſſit, etiam in ſtricti juris contracti-
bus id, quod tacitè actum ſive cogitatum eſt,
perinde habetur, ac ſi nominatim expreſſum eſ-
ſet: id quod exemplum, quo utitur Ulpianus *in*
pr. l. eum qui calendis. 41. ſup. de verb. obligat. ſatis de-
monſtrat. Unde etiam idem Ulpianus *in d. l. ſem-*
per in ſtipulationibus. tam in ſtipulationibus, quàm
in cæteris contractibus ſemper id ſequi jubet,
quod actum eſt.

Eandemque † interpretandi dubii ſive ob- 13
ſcuri rationem in pactis & tranſactionibus re-
ceptam eſſe oſtendit & Ulpianus *in l. qui cum tu-*
toribus 9. § ult. & Celſus in *l. non eſt ferendus. 12. ſup.*
de tranſact.

Quod ſi verò non appareat quid actum ſit,
videndum quid † veriſimilius ſit, & plerunq; in 14
ejuſmodi negociis de more vel conſuetudine in
iſta regione, ubi negocium geſtum eſt, recepta
fieri ſoleat *d. l. ſemper in ſtipulationibus. & l. in obſcu-*
ris. 114. inf. h. t. Proinde ea potiſſimum † inter- 15
pretatio hoc caſu amplectenda erit, quæ rei, de

qua agitur, qualitati vel conditioni perſonæ, aliisve circumſtantiis pro more hominum magis convenit: Cujus inſigne exemplum exſtat *in l. ſi neceſſarias. 8. ſup. de pignor. action. & in l. ſi pactum 9. ſup. de probat.* Ubi pactum ſimpliciter ſine men-
16 tione † heredis factum etiam commodo heredis cedit: quod plerunq; quis tam heredi ſuo, quàm ſibi ipſi caveat, veluti VVeſembecius quoque *in §. omis ſtipulatio. n. 5. Inſtit. de verb. oblig.*
17 declarat. Similiter ſi † aurei promiſſi ſint decem, nec adjectum, cujus valoris aurei eſſe debeant, cùm varii ſint: ejus valoris aurei intelligendi erunt, qui in eo loco, ubi promiſſio facta eſt, in uſu ſunt. Nam veriſimile eſt contrahen-
18 tes † morem in ea regione uſitatum reſpexiſſe, *per l. quod ſi nolit. 31. §. quia aſſidua. ſup. de ædilit. edict.*

Denique ſi nec hominum nec regionis mos ob varietatem appareat, tum demum ad hanc
19 l. recurrendum eſt, atq; in dubio iſto † ſequen-
20 dum id, quod minimum eſt, cùm nemo † ſuum jactare præſumatur. *l. cum de indebito 25. in pr. ſup. de probat.* Idque non in contractibus ſolùm, ſed ultimis voluntatibus etiam, atq; judicum ſententiis, adeoq; in delictis locum habet. Hinc in
21 dubio ſemper † mitior pœna irrogari debet, quod interpretatione legum pœnæ molliendæ potius ſint, quàm aſperandæ. *l. ſi præſes. 32. & l. in-*
22 *terpretatione. 42. ſup. de pœnis.* Sic ſi ex tribus † judicibus unus Reum cōdemnet in 15, alter in 10,

& tertius in 5, ſola quinque præſtabuntur, quo-
niam omnes in hanc ſummam conſenſerunt,
ut refert Ulpianus *in l. diem proferre.27 §. ſi plures.*
verſ. inde quæritur. ſup. de recept. arbitr. cui conſentit
quoque *l. inter pares.38. §. 1. ſup. de re judic.* quam-
vis Alciatus mediam ſententiam probet, atque
iis aſſentiendum eſſe opinetur, qui in 10. reum
condemnant, ut refert Cujac. *in cap.16. lib. 12. obſ.*
& hunc ſecutus Teſlaurus *in deciſ. 1. n.10.* Atque
ex eâdem hâc regulâ ei, qui 10, aut 15, ſtipulatus
eſt, decem duntaxat debentur, *l. ſi ita.109. ſup. de*
verb. oblig. quia ſemper in ſummis id † quod mi- 23
nus eſt, ſponderi videtur, teſte Paulo *in l. inter*
ſtipulantem 83. §. diverſa. ſup. de verb. oblig. Similiter
& is, qui duos fundos ejuſdem nominis, ſed di-
verſi precii habet, † ſi unum ex his cuipiam le- 24
gaverit, nec legatarius doceat majoris precii
fundum ſibi relictum eſſe, in dubio iſto vilio-
rem fundum legaſſe intelligitur. *l. cum ſervus 39.*
§. ſcio. ſup. de leg. 1. Verùm huic † adverſari videtur 25
l. ſi quis argentum. 35. §. ſimiliq; modo. C. de donat. ubi
is qui generatim ſervos donavit, neque opti-
mos dare cogitur, neque peſſimos dando libe-
ratur, ſed ad mediocrium præſtationem tene-
tur: quod ipſum quoque traditur *in pr. l. legato.*
37. ſup. de legat. 1. & in l. ult. §. 1. C. commun. de legat.
Reſpondeo hanc *l. 9.* quæ videlicet in dubio ſe-
qui jubet id, quod † eſt minimum, intelligen- 26
dam eſſe de ejuſmodi minimo, cujus tamen a-
liqua ſit utilitas: quod ſi enim minimum illud

ita comparatum fuerit, ut nulla ex eo utilitas ſperari poſſit, mediocre præſtabitur: ſicut in caſu propoſito ſervi mediocres dari debent, quia
27 † ſervos viliſſimos ſive peſſimos non habere magis quàm habere prodeſt, quemadmodum refert Juſtinianus *in d. §. ſimiliq; modo.* Præterea ab eadem hac l. plurimum diſſentire videtur
28 Scævola † *in l. Titia. 38. §. ult. ſup. de aur. & arg. legat.* ubi argenteum ſignum Dei in templo poni jubet eo caſu, quando teſtamento quidem cautum eſt, ut ſignum ejuſmodi ab heredibus ſtatuatur: ſed dubium exiſtit, utrum æreum illud, an, quod majoris eſt precii, argenteum eſſe debeat? vulgò reſpondetur favore piarum cauſarum hoc ſpecialiter inductum eſſe, ut in dubio ſemper optimum relictum eſſe cenſeatur, ſicuti patet ex iis quæ Cagnolus hîc *n. 10.* notat. Ve-
29 rùm † magis placet Decius hîc *n. 6.* quem Donellus quoque *in l. cum in teſtamento. 24. ſup. de reb.*
30 *dub.* ſequitur. Uterque † enim pro vocabulo, *AErea, in d. §. ult.* legi vult *Aurea*, idque evincit ex quæſtione eò loci propoſita, quæ eſt, utrum heredes ſignum illud ex auro an ex argento ponere debeant? Cum qua quæſtione argumentum non cohærebit, ſi lectio vulgata retineatur. Pro *AErea* igitur legendum erit *Aurea*, & juxta hanc lectionem oppoſitus *§. ult.* ſententiam hujus l. maximoperè confirmat: ſiquidem argentum vilius metallum eſt, quàm aurum: proindeque Scævola etiam in hoc dubio minimum

mum ſecutus eſt. Ne autem mirum cuipiam vi-
deatur, cur non æreum potius quàm argente-
um ſignum poni voluerit, cùm æs argento ad-
huc ſit vilius: ſciendum eſt illud ideò factum eſ-
ſe, quoniam in iſto templo nulla erant dona æ-
rea, ſed omnia vel aurea vel argentea, quibus ex-
tra omne dubium teſtatrix conforme, atque in
materia ſimile eſſe voluit ſignum illúd, quod in
patria, & quidem cum nominis ſui ſubſcriptio-
ne ſtatui juſſit. Porrò quod Paulus *in l. in teſta-
mentis.12.inf.h.t.* voluntates teſtantium † plenius 31
interpretandas eſſe ſcribit, id l. huic non obſtat,
quoniam voluntas teſtatoris pleniorem inter-
pretationem tum meretur, quando ex conje-
cturis magiſ quàm verbis teſtamenti voluntas
teſtatoris liquet: quo caſu verba ita interpre-
tanda ſunt, ut teſtatoris voluntati congruant.
Quod ſi verò de teſtatoris mente non conſtite-
rit, propria † verborum teſtamenti ſignificatio 32
retinebitur, & ſi propria iſta ſignificatio † dua- 33
bus pluribúſve ſummis accommodari poſſit,
tum demum huic regulæ locus erit, atque iſti
interpretationi ſtabitur, quæ ſummam mini-
mam continet *per l. non aliter 69. & l. numis.75. ſup.
de legat.3.* Atque eodem hoc modo diſcrepan-
tiam iſtam diſſolvit *Curt. jun. in l. ult. n.56. C. und.
liber.* quamvis Teſſaurus *in deciſ.89.* mediam vi-
am hoc caſu tutiorem eſſe opinetur. Pro qua
ſententia tametſi non parum facere † videtur, 34
l. etiam partis 43. ſup. de uſufr. ubi Ulpianus per par-
tem

tem uſusfructus ſimpliciter legatam non mini-
mam, ſed dimidiam vult intelligi: Sciendum
tamen eſt, in caſu hujus l. nullam eſſe obſcuri-
tatem, ob quam ad hanc regulam recurri, mini-
35 mumque eligi oporteat: Siquidem † in jure
hæc propria partis non expreſſæ ſignificatio eſt,
ut dimidiam denotet *per l. nomen. 164. §. 1. ſup. de
verb. ſignif.* cui *l. legata. 19. §. ult. ſup. de legat. 1. l. cum
quæſtio 23. §. 1. C. de legat. & l. un. §. ubi autem. 11. verſ.
ſi verò. C. de cad. toll.* conſentiunt.
36 Hoc loco & illud quæri ſolet, quomodo †
interpretandum ſit ambiguum ſive dubium,
quod ex lege ſcripta exiſtit? Zaſius quidem *in l.
neque leges. 10. n. 5. ſup. de ll.* exiſtimat Principem
adiri debere eo caſu, ſi ex verbis legis dubium
manifeſtè reſolvi non poſſit, quod haud obſcu-
rè illud innuere videatur Imperator Conſtanti-
nus *in l. 1. C. de ll.* verùm ego ſecus ſentio, atque
37 hoc caſu primùm † ad conſuetudinem, quippe
quæ aliâs etiam optima ll. interpres dicitur, re-
currendum eſſe exiſtimo, *per l. ſi de interpretatione
38 37. ſup. de ll.* Cujus exemplum ſumi † poteſt *ex l.
4. C. ſolut. matr. quem. dos pet.* quæ nullã hodie am-
biguitatem habet, propterea, quòd conſuetu-
dine probata eſt ſententia Martini, exiſtimantis
39 † dotem à patre profectam tum demum ad pa-
trem reverti, ſi filiafam. ſine liberis deceſſerit.
Quam ſententiam quoque æquiſſimam eſſe ait
40 Teſſaurus *in deciſ. 190. n. 4.* quod † dos proprium
matris ſit patrimonium, atq; ad hujus heredita-
ter'.

tem liberi † prius quàm aſcendentes admittan- 41
tur: licet idem *in deciſ.138.n.2.* huic ipſi ſententiæ
locum eſſe neget, ſi maritus ante uxorem mo-
riatur: Id quod Jaſoni *in l. poſt dotem. 40. n. 103.*
ſup. ſolut. matrim. quemad. dos pet. haud abs re du-
rum videtur.

Quod ſi verò ex conſuetudine interpretatio
† haberi nequeat, iſti interpretationi ſtabitur, 42
quæ eſt benignior, *l. benignius 18. ſup. de legib. l. ſem-*
per in dubiis. 56. & l. rapienda. 168. in pr. inf. h. t. Quam
ob cauſam quoque Paulus *in l. in omnibus 90. inf.*
h. t. æquitatem † in jure maximè ſpectandam eſ- 43
ſe ait. Æquitatem † appello rationem natura- 44
lem in mente boni viri poſitam, quam Ariſto-
teles, teſte Duareno *in cap. 18. lib. 2. diſput. anniverſ.*
ἐπιείκειαν, Cicero *in oratione pro Cluentio,* legis la-
xamentum vocat: quòd legem ſcriptam in cir-
cumſtantia aliqua mitiget, veluti declarat Al-
bertus Bolognetus *in diſput. de lege jur. & æquit.*
cap. 30. n. 12. & ſeq.

Verùm ſi aliud verba legis ſcriptæ dictent,
aliud † ipſa ratio naturalis ſuggerat, quid ſe- 45
quendum ſit haud abs re quæritur? Paulus *in l.*
in ambiguis. 85. §. ult. inf. h. t. ait, juſtis decretis rem
temperandam eſſe, quoties deſiderii naturalis
ratio, aut dubitatio juris æquitatem moretur.
Juſtis † autem decretis rem temperat, qui ſe- 46
quitur id quod altero eſt æquius, per ea quæ
notat Africanus *in l. ſi ſervus. 61. §. quod verò. ſup. de*
furt. Ergo ipſa † æquitas juri ſcripto præferenda 47

eſt,

extra miniſterium mulieris alibi degentes quæſtioni ſubjicere, ſed revera illud æquum ac juſtum eſſe, cùm interea ſervi iſti ex conſervis, qui in mulieris miniſterio fuerunt, adulterium commodius ſciſcitari potuerint: ac publicè quoque interſit, ne tam atrox facinus impunitum maneat. Ergo l. oppoſita caſui præſenti evidenter ita congruit, ut licèt dura illa videatur, alia tamen mens legislatoris per æquitatis artem elici nequeat.

Cæterùm ſi lex ita obſcura ſit & dubia, ut judex † etiamſi æquitatem attendere velit, nihil- 51
ominus in dubio iſto hæſitet, quid ſtatuere debeat, tum demum Princeps adiri, atque ab illius autoritate interpretatio legis peti debet, *per l. leges ſacratiſſimæ 9. C. de ll.* ex qua l. interpretanda etiam eſt *l. 1. C. eod.* quod ſi enim intelle-
ctus † legis ſcriptæ planus ſit ac perſpicuus, & 52
nihilominus æquitas in caſu propoſito illi reſiſtat, tum judex etiam inconſulto Principe æquitatem legi ſcriptæ præponet, ex ſententia *d. l. placuit. & d. l. in omnibus.*

Ex quibus omnibus apparet, id quod in genere † pro jure ſtatutum eſt, interdum æquum 53
non eſſe, non quidem ex ſeſe ac ſua natura, ſed ſi applicetur ad factum de quo quæritur. Neque enim de ſingulis factis, quæ † ratione cir- 54
cumſtantiarũ infinitarum & ipſa infinita ſunt,
jura conſtitui aut ſcribi potuerunt, † neque et- 55
iamnum poſſunt: verùm, ut habet *l. & ideo. 11.*

cum

cum duabus ſeqq.ſup. de legib. ex mente ſcriptarum ll. ſupplenda ſæpius ſunt ea, quæ deſunt, vel et-
56 iam † ad ſimilia procedendũ, nec rarò benigniori aliqua interpretatione à jure ſcripto recedendum eſt, à quo niſi recederetur, id quod in genere juſtum eſt, in ſpecie facti propoſiti injuſtum fieret, & eſſet. Et hoc eſt, quod Celſus *in d. §. ſequitur.* dixit, ſub autoritate juris ſcientiæ aliquando perniciosè errari: quemadmodum pluribus id comprobat Petrus Faber *in d. l. in omnibus.*

L. 10.

Paulus libro tertio ad Sabinum.

¶ *Secundum naturam eſt commoda cujuſque rei eum ſequi, quem ſequentur incommoda.*

Summaria.

1 *AEqualitas res humanas conſervat.*

2 *Commoda cujuſq; rei illi cedunt, quem & incommoda ejus rei ſequuntur.*

3 *Onus ferre debet is, qui lucrum ſentit.*

4 *Patroni horúmve liberi libertis ab inteſtato morientibus ſuccedunt.*

5 *Infans expoſitus utrum à Principe, an verò ab Eccleſia ali debeat?*

6 *Ejus perſonæ factum quis præſtare tenetur, ex qua lucrum quoq; capit.*

7 *Heres factum defuncti infringere non poteſt.*

8 Pa-

8 *Pater tenetur de pecunia credita filio quem tabernæ præfecit.*

9 *L. huic quando locus ſit?*

10 *Fœmina agnati impuberis tutrix eſſe non poteſt, licèt commodum ſucceſſionis ab ipſo habeat.*

ANalogiam commodi & incommodi ipſa protrudit æqualitas, † qua res humanæ po- 1
tiſſimùm ſartæ tectæ conſervantur. Unde Paulus hic ſecundum naturam eſſe refert, commoda † cujuſque rei eum ſequi, quem ſequuntur 2
incommoda. Cujus rei aliquot exempla notavi ad *l. 1. ſup. h. t.* Quemadmodum & exempla contraria, ubi videlicet † onus ferre tenetur is, qui 3
lucrum ſentit, paſſim obvia ſunt. Sic l. 12. tabul. patronos † horumque liberos libertorum ac li- 4
bertarum tutores eſſe voluit, quòd ad hereditatem libertorum, ſi inteſtati deceſſiſſent, eoſdem vocaſſet, *l. 1. in pr. ſup. de legit. tutor. & tit. Inſtit. de legitim. patron. tutel* Eodemq; pertinet *pr. l. quò tutela 73. inf. h. t.* & *l. is qui in poteſtate 15. §. ult. ſup. de legat. præſt.* ubi idem Paulus ait abſurdum eſſe, illum commoda hereditatis habere, alium onera ſuſtinere in præſtando legato. Atque hinc Teſſaurus *in deciſ. 118. n. 5.* concludit, † infantem 5
expoſitum ab Eccleſia alẽdum eſſe, quod infanti hujuſmodi Eccleſia quoq; ab inteſtato ſuccedat, *per Auth. omnes peregrini. C. commun. de ſucceſſ.* quamvis *l. 1. C. de bon. vacant.* principi potius bōna hujuſmodi vacãntia deferat, proindeq; prin-

F cipi

cipi quoq; præſtatio alimentorum hoc caſu in-cumbere videatur.

Cæterùm prædictæ regulæ abſimilis non eſt illa Ulpiani *in l. ex qua perſona. 149. inf. h. t.* Ex quâ
6 perſona † quis lucrum capit, ejus factum præ-
7 ſtare debet. Quæ cauſa eſt quod † heres contrà factum defuncti venire non poteſt, *l. cum à ma-tre. 14. C. de rei vendic.* ubi filius res ſuas à matre alienatas vendicare non poteſt, quando heredi-
8 tatem ejus adiit. Eandemque ob cauſam † pater, qui filium tabernæ ſive negociationi præfecit, de pecunia filio credita conveniri poteſt, quippe ex cujus perſona etiam lucrum affectat. *l. 1. & l. pen. ſup. de inſtitor. action.*

9 Illud denique omitti hic non debet, † regulæ huic tum demum locum eſſe, quando commodi & incõmodi par eſt ratio, ac perſona præterea tam oneris, quàm lucri capax judicatur. I-
10 deoq; mulier, licet † ad ſucceſſionem proximi agnati impuberis admittatur, tutrix tamen ipſius eſſe non poteſt, *d. l. quò tutela.* quoniam tutoris officium virile eſt, ad quod fœmina regulariter non admittitur, veluti notavi *ad l. 2. ſup. h. t.*

L. II.

Pomponius libro quinto ad Sabinum.

¶ *Id quod noſtrum eſt, ſine facto noſtro ad alium transferri non poteſt.*

Sum-

SUMMARIA.

1 *Dominii effectus quis ſit?*
2 *Meum non eſt, quod auferri mihi poteſt.*
3 *Heredis non eſt illa res, quæ alteri ſub die vel conditione legata eſt.*
4 *Emptoris an ſit ea res, quæ cum pacto de retrovendendo empta eſt.*
5 *In bonis meis non eſt id, quod evinci à me poteſt.*
6 *Quænam res dicatur in bonis cujuſq; eſſe?*
7 *Evictio rem bonis alterius, à quo illa evincitur, ita demum eximit, ſi juſta ſit, nec exceptione aliqua ſubmoveri poſſit.*
8 *In bonis meis id quoq; dicitur eſſe, quod bona fide poſſideo.*
9 *Qui ante completam uſucapionem amittit poſſeſſionem ejus rei, quam ex juſta acquirendi dominii cauſa ignorans accepit ab eo, qui jus dominii transferendi non habuit, is actione Publiciana experiri poteſt.*
10 *Actio publiciana adverſus quem detur?*
11 *Res bona fide poſſeſſa in quibus caſibus à Domino per actionem Publicianam avocari poſſit?*
12 *Facti vocabulum quid in hac l. ſignificet?*
13 *Traditionis definitio.*
14 *Dominium nuda voluntate non transfertur.*
15 *Traditio vera quænam ſit?*
16 *Traditio imaginaria quæ dicatur?*
17 *Traditionis imaginariæ exempla.*
18 *Merces in horreo cõdita quando tradita cenſeantur?*

19 Pecunia in conſpectu poſita pro tradita habetur.

20 Columna intelligitur tradita, ſimulac digito monſtrata eſt.

21 Vinum traditum eſſe exiſtimatur, quando ad deguſtandum eſt præbitum.

22 Mancipia tradita intelliguntur, ſimulac traditum eſt inſtrumentum, quod de mancipiis conſcriptum eſt.

23 Traditioni imaginariæ an locus ſit, quando res tradenda in conſpectu contrahentium non eſt.

24 Imaginariæ traditionis requiſitum ex Cujacii ſententia quodnam ſit?

25 Tradita cuipiam cenſetur ea res, quam ex cauſa depoſiti vel commodati antè accepit, etiamſi illa ad manus non ſit.

26 Cujacii ſententia de requiſito imaginariæ traditionis refellitur.

27 Inſtrumento tradito, mancipia quoq; de quibus inſtrumentum loquitur, tradita intelliguntur, etiamſi mancipia iſta longiſſimè abſint.

28 L. clavibus. 74. ff. de contrah. empt. conciliatur cum l. 1. C. de donat.

29 Inſtrumentum. quod propter mancipia factum eſt, juris fictione idem eſt cum mancipiis.

30 Sors remiſſa cenſetur, quando cautio de ſorte iſta conſcripta reddita eſt.

31 Traditio imaginaria transferendo dominio idonea eſt.

32 Dominium quando in alterum translatum eſſe dicatur.

33 De-

33 *Dominium tranſlatum non dicitur, niſi & tradens illud ab ſe in accipientem tranſlatum, & accipiens id ſibi acquiſitum velit.*

34 *Emptor, qui ſine voluntate venditoris poſſeſſionem ejus rei, quam ab ipſo emit, ingreditur, prædo eſt.*

35 *Tradens accipienti plus tribuere non poteſt, quàm ipſe habet.*

36 *Dominio transferendo, quænam cauſæ idoneæ ſint?*

37 *Dominium etiam ſine vacua poſſeſſione acquiritur.*

38 *Dominium cum poſſeſſione nihil commune habet.*

39 *Uſucapio an huic l. adverſatur?*

40 *Uſucapio à Juſtiniano impium præſidium nominatur.*

41 *Dominia rerum ne ſint incerta publicè expedit.*

42 *Negligentibus jura non ſuccurrunt.*

43 *Damnum quis ſentire non videtur, quod ſua culpa ſentit.*

44 *Intellectus Novellæ 9. quatenus videlicet in illa uſucapio impium præſidium nominetur?*

45 *Scientia non præſumitur.*

46 *Præſcriptio 40. annorum quando Eccleſiæ obſtet?*

47 *Alluvio an cum hac regula pugnet?*

48 *Specificatio an l. hanc infringat?*

49 *Vis ſuperior inducit neceſſitatem, cui parendum eſt.*

50 *Princeps an ſubdito ſuum abſq; cauſa juſta auferre poſſit?*

51 *L.item ſi verberatum.15.§.pen.ff.de rei vendic.intellectus.*

52 *Intellectus l.Lucius 11.ff.de evičtion.*

53 *Principes ſi militibus ſuis mercedem ex ſubditorum bonis numerare velint, officio ſuo ſatis non facient.*

1 DOminii † effectus hic eſt, ut quod jure quiſque tenet, id ipſi invito auferri non poſſit. Unde etiam Gajus *in l. omnes actiones.139.*
2 *§.1.inf. h.t.* negat illud cujuſq; † eſſe, quod ex caſu ipſi auferri poteſt. Cujus exemplum extat *in l.ult.§.pen.& ult.C.commun.de legat.* ubi Imp. Ju-
3 ſtinianus rem ſub die † vel conditione legatam heredis eſſe negat, quoniam ab ipſo legatarius cedente die vel exiſtente conditione illam auferre poteſt: quod ipſum quoque tradit Julianus *in prin.l.non quocunq; 82.ſup.de legat,1.* Sic etiam
4 † res cum pacto de retrovendendo empta emptoris eſſe non videtur, cum auferri illa poſſit, ſimul ac precium ipſi à venditore ejúſve herede redditum fuerit. *l.2.C.de pact.int.empt.& vendit.compoſ.* Eodemque pertinet *l.ſi rem.20.ſup.de ſolut.*

Atq; ex eodem fundamento Celſus *in l.quod*
5 *evincitur 190.inf.h.t.* negat quempiam † in bonis ſuis habere id, quod alius evincere poſſit. Cùm
6 enim eam rem quis in bonis ſuis † habere dicatur, quam poſſidens exceptione, aut amittens actione recuperare poteſt, veluti refert Mode-

ſtinus

ſtinus in l. rem in bonis 52. ſup. de acquir. rer. domin. Conſequens eſt, rem hujuſmodi eſſe in bonis non illius, à quo evincitur: ſed ejus, qui illam evincit, quippe qui jus ſive actionem ejus recuperandæ habet, *argumento l. bonorum 49. ſup. de verb. ſignif.* Evictionem † hoc loco intelligo juſtam, quæ exceptione aliqua ſubmoveri nequit. 7

Quibus & hoc addendum videtur, quòd illa quæ † bona fide à nobis poſſidentur, æquè in bonis noſtris computari debeant, atq; ea, quæ dominii noſtri ſunt. *d. l. bonorum.* Nam accidit interdum, ut quis ante completam uſucapionem amittat poſſeſſionem ejus rei, quam ex juſta acquirendi dominii cauſa ignorans accepit ab eo, qui ejus dominii transferendi jus non habeat. Ne igitur hoc caſu actione (cujuſmodi jure civili nulla erat prodita) deſtitueretur, & ſic ſine † cauſa poſſeſſione ſua excideret, prætor Publicius ad exemplum civilis in rem actionis iſti q. domino actionem ex equitate accommodavit, de ſuo nomine Publicianam nuncupatam, qua non ſecus † adverſus extraneum malæ fidei poſſeſſorem ageret, ac ſi rem amiſſam uſucepiſſet, atque ita dominus ejus factus eſſet, *§. namq; ſi cui. Inſtit. de action, l. 3. & l. ſed etſi. 7. §. prætor ait. & §. ult. ſup. de public. in rem action. Adverſus extraneum*, inquam, quia Publiciana actio idcirco inducta non eſt, ut res domino auferatur; ſed ut is, qui bona fide poſſeſſionem alicujus 8 9 10

rei traditam accepit, potius rem iſtam habeat,
quàm alius extraneus. *per l. ult. ſup. eod.* Quamvis
11 ſint quidam caſus, † quibus utiliter etiam ad-
verſus dominum ſine metu exceptionis Publi-
ciana agitur, quorum tres Cujacius *in cap. 6. lib.*
10. obſ. notat: quibus Accurſius *in d. l. ult. ad verb.*
potius. quoſdam alios ſubjungit.

Hinc igitur Pomponius *in præſenti l.* infert, id
quod noſtrum eſt, ſine facto noſtro transferri
12 ad alium non poſſe. Per † factum intelligit tra-
ditionem, quam Cujacius *in cap. 19. lib. 11. obſer.*
13 definit dationem † poſſeſſionis. Neq; enim nu-
14 da † voluntate aut conventione dominium à
quoquá diſcedit, ſed traditio inſuper requiritur,
per l. non ſtatim 8. ſup. de pecul. & *l. traditionibus. 20. C.*
15 *de pact.* Traditio autem hic intelligitur † non ea
ſolùm, quâ verè ac corporaliter res mobilis de
manu in manum transfertur, aut rei, ſi immo-
bilis illa fuerit, vacua poſſeſſio offertur: Sed illa
16 † quoque traditio hîc locum habet, quæ fictio-
17 ne, tacitoque juris intellectu nititur, ac vulgò †
imaginaria nuncupatur: cujus non pauca ex-
18 empla in jure reperiuntur. Sic merces † in hor-
reo conditæ cenſentur traditæ ſimul ac cla-
ves apud horreum traditæ ſunt, *§. item ſi quis*
merces 45. Inſtit. de rer. diviſ. & l. clavibus. 74. ſup. de
contrah. empt. & in l. pecuniam. 79. de ſolut. pecunia
19 † in conſpectu poſita pro tradita habetur, ſicu-
ti & *in l. 1. §. pen. ſup. de acquir. vel amitt. poſſeſſ.* tradi-
20 ta † cẽſetur columna, quæ digito monſtrata eſt.

Sic

Sic & *in l. 1.ſup. de peric. & comm. re. vend.* vinum † 21
exiſtimatur eſſe traditum, quando ad deguſtandum eſt præbitum. Atque *in l. 1. C. de donat.* tradito inſtrumento, mancipia † quoque, de quibus 22
inſtrumentum illud loquitur, tradita videntur. Quo loco quærunt interpretes, an ad imaginariam hujuſmodi † traditionem ipſius rei præ- 23
ſentia requiratur, hoc eſt, an imaginariæ traditioni ita demum locus ſit, ſi res in conſpectu contrahentium verſetur? Hanc quæſtionem tractat Hotomannus *in illuſtr. quæſt. 12.* atque ad eandem reſpondet Cujac. *in cap. 3. lib. 4. obſ.* imaginariam † traditionem non admitti, niſi res 24
præſens ſit, oculisque contrahentium cernatur, unico hoc caſu excepto, quando alter contrahentium, cui videlicet res tradenda eſt, jam antè penes ſe illam ex alia cauſa tenet: tum enim imaginariam traditionem induci ait, etiamſi in re præſenti illi non conſenſerint: veluti ſi cui res, quam ex cauſa † depoſiti vel com- 25
modati tenet, poſtmodum vendita ſive donata fuerit, hoc caſu pro tradita illa habebitur, etiamſi in conſpectu contrahentium non fuerit, *argumento §. interdum etiam. Inſtit. de rer. diviſ. l. ſi rem 62. in pr. ſup. de evict. l. qua ratione. 9. §. interdum. & l. ſi ſervus 21. §. 1. ſup. de acquir. rer. domin.* ubi nulla ullius præſentiæ fit mentio. At verò nego unicum ſaltem hunc caſum, quemadmodum † 26
Cujacius opinatur, exceptum eſſe: cùm in traditione inſtrumenti ad hoc ut mancipia etiam

27 in † inſtrumento contenta tradita intelligantur, præſentia mancipiorum non requiratur: ſiquidem tradito inſtrumento, mancipia quoq; tradita cenſentur, etiamſi longiſſimè abſint, neque etiam ab eo, cui inſtrumentum traditur, teneantur, veluti recte notat Accurſius *in d. l. 1. ad verb. & traditis. C. de donat.* Etenim in genere l. illa docet per traditionem inſtrumenti mancipia quoque tradita videri, nec diſtinguit præſentia illa ſint vel abſint. Neque adverſatur huic
28 † aſſertioni *d. l. clavibus.* quoniam hæc à *d. l. 1.* diverſa eſt. Nam in clavibus jus mercium ita non conſiſtit, ſicuti jus mancipiorum inſtrumento continetur; Siquidem claves aliæ ſunt ab horreo, & multò magis aliæ à mercibus in horreo repoſitis: atque ideò ut merces traditæ intelligantur, claves in præſenti traditas eſſe oportet.
29 Ac licet inſtrumentum quoq; † aliud ſit à mancipiis, ita tamen aliud eſt, ut juris fictione ſit omninò idem cum mancipiis, quia de mancipiis & propter mancipia factum eſt. Mancipia igitur ab inſtrumento natura quidem diverſa ſunt, ſed jure eadem, quoniam mutuò ſeſe afficiunt & reſpiciunt. Quamvis verò claves etiam horreum reſpiciant, nunquam tamen reſpiciunt merces in horreo contentas, quippe quæ in horreo & eſſe & non eſſe poſſunt. Simile propemodum exemplum extat in cautione,
30 quæ ſi reddita fuerit, † ſors quoque in iſta cautione comprehenſa remiſſa cenſetur nullam a-

liam ob cauſam, quàm quòd cautio propter
obligationem ſortis reſtituendæ conſcripta eſt,
atque hinc ipſam obligationem reſpicit, quin
potius eadem cum illa eſſe fingitur, *per l. 2. §. 1.*
ſup. de pactis. Ex quibus omnibus † perſpicuum 31
evadit, imaginariam non minus quam veram
ac naturalem traditionem transferendo domi-
nio idoneam eſſe. Neque tamen ſola traditio
hoc caſu ſufficit: verùm ut † per traditionem 32
dominium translatum dicatur, tria pręterea re-
quiruntur. Primum, ut & is qui rem tradit, ea
† mente tradat, ut illius dominium ab ſe in ac- 33
cipientem translatum velit: & is cùi traditur,
ſic illam accipiat, ut dominium ejus ſibi acqui-
ſitum velit, *per l. in omnibus 55. ſup. de oblig. & act.*
& l. per ſervum 37. §. ult. ſup. de acquir. rer. domin.
Quam ob cauſam Paulus *in l. ſi ex ſtipulatione. 5.*
ſup. de acquir. vel amitt. poſſeſſ. refert eum † pro 34
emptore rem non poſſidere, ſed prædonem eſ-
ſe, qui ſine voluntate venditoris poſſeſſionem
rei emptæ ingreſſus ſit. Alterum requiſitum
eſt, ut tradens ſit dominus, vel vice domini fun-
gatur, quoniam † traditio nihil amplius trans- 35
ferre poteſt ad eum qui accipit, quàm eſt apud
eum, qui tradit, ut loquitur Ulpianus *in pr. l. tra-*
ditio. 20. ſup. de acquir. rer. domin. quò pertinet et-
iam *l. nemo plus 54. inf. h. t.* Tertium acquirendi
dominii requiſitum eſt, ut rem tradat ex † ejuſ- 36
modi cauſa, quæ translationem dominii indu-
cit, cujuſmodi cauſæ ſunt emptio, permutatio,
dona-

donatio, legatum, ſtipulatio, & id genus aliæ, veluti videre eſt *ex pr. l. nunquam. 31. ſup. de acquir. rer. domin.* Hiſce tribus requiſitis Hotomannus *in illuſtri quæſt. 11.* & quartum haud obſcurè adjungendum eſſe ſtatuit, videlicet ut rei poſſeſſionem tradat vacuam, quaſi dominium translatum dici nequeat, niſi poſſeſſor in vacuam poſſeſſionem inductus ſit. Verùm Dd. communiter hoc requiſitum rejiciunt, & rectè quidem.
37 Quod enim dominium † etiam ſine vacua poſſeſſione acquiratur, id vel hinc (ut taceam reliqua fundamenta, quæ Donellus *in cap. 19. lib. 4. comment. de jur. civil.* pro communi iſta Dd. ſententia adducit) ſatis eluceſcit, quòd dominus quis eſſe poteſt, qui non poſſidet: & contrà poſſidere quis poteſt, qui dominus non eſt, *l. 1. §. hujus autem. ſup. uti poſſidet.* Unde etiam dominium
38 † ſive proprietas cum poſſeſſione nihil commune habere dicitur *in l. naturaliter. 12. §. 1. ſup. de acquir. vel amitt. poſſeſſ.* Itaq; noſtrum eſt, quòd dominus vel alius vice domini fungens ex cauſa ad transferendum dominium habili ea mente nobis idem volentibus dedit, ut noſtrum eſſet, quantumvis poſſeſſionem ejus alius habeat, ac proinde nobis invitis illud quod ſic datum eſt, adimi non poteſt. Verùm aſſertionem
39 hanc vel potius l. præſentem † non parum infirmare videtur uſucapio, quæ rerum dominia invitis & ignorantibus aufert: quam ob cauſam quoque Juſtinianus *in Novella 9.* illam impium

pium præſidium nominat. Reſpondeo † uſuca- 40
pionem bono publico, ut loquitur Gajus *in l. 1. ſup. de uſucap.* introductam eſſe, ne videlicet rerum † dominia ſemper incerta eſſent. Neque 41
eſt quod is, qui rerum ſuarum dominium hoc modo amiſit, de injuria aliqua conqueratur, cùm leges ſatis temporis ipſi ad inquirendas repetendasq; res ſuas conceſſerint: ſuæ ergo ſocordiæ adſcribat, quod intra definitum tempus res ſuas non repetiit: Cùm *ex l. non enim. 16. ſup. ex quib. cauſ. majo. 25. an. in integ. reſtit.* ſcire debuerit
† negligentibus jura non ſubvenire, nec da- 42
mnum ſentire † videri eum, qui ex ſua culpa 43
damnum ſentit, veluti docet *l. quod quis. 203. inf. h. t.* idque pluribus declarat Everhardus Bronchorſt *in aſſert. 2. cent. 4.* Neque etiam Juſtinia-
nus † uſucapionem hanc *in Novella 9.* improbat, 44
quia loquitur eò loci de Eccleſia, cujus res non niſi 100. annis vult præſcribi, tam à bonæ quam à malæ fidei poſſeſſore, ne admiſſa breviori præſcriptione ex parte illius, qui bona fide rem Eccleſiaſticam poſſidet, etiam malæ fidei poſſeſſor eodem præſcriptionis præſidio ſe tuere-
tur, quod facilè evenire poſſet, cum † ſcientia 45
non præſumatur, ac difficillimè etiam maximè poſt tantum temporis intervallum probetur, *argumento l. verius 21. ſup. de probat. & §. non ſolùm. Inſtit. de legat.* idque notat etiam Ar. Pinellus *ad Auth. niſi tricennale. n. 40. C. de bon. matern.* Ubi hoc prætereundum non eſſe puto, quod hodie Ec-

cle-

cleſia, ſi adverſus alium experiri volet, quacunque
46 que tandem actione experiatur, † præſumptione 40. annorum excludatur. Sin verò Eccleſia conveniatur, ſervantur tempora actionibus intentatis præſtituta, ſicut Cujacius *in cap. 31. de diverſ. tempor. præſcript.* hoc ex Novella 111. demonſtrat.

Porrò opponi huic l. quoq; poſſunt ea, quæ ſuperius *ſub tit. de acquir. rer. domin. & in tit. Inſtit.*
47 *de rer. divíſ.* † proponuntur de alluvione, ſpecifi-
48 catione, † ac quibuſdam aliis acquirendi dominii modis, quibus quis invitus rei ſuæ dominium amittit. Reſpondendum eſt modis quidem iſtis rem unius ejuſdemq; utplurimum inviti in
49 alium transferri, ſed hoc fieri † vi ſuperiore, cui parere neceſſe ſit. Nam quod alluvione tuo prædio de alieno eſt adjectum, id tuum fit, utpote adjectum, ita, ut tui partem faciat, nec intelligatur, quid in eo antè tuum vel alterius fuerit. Et quæ rebus tuis ſic acceſſerunt, ut iis cedant, ea tua ſunt, quoniam neceſſitas naturæ tuo dominio illa adjecit, quemadmodum hoc fuſius declarat Donellus *in cap. 31. & aliquot ſeqq. lib. 4. comment. de jur. civil.*

50 Denique regulæ huic locus non eſt, ſi † Princeps ex juſta cauſa homini privato rem ſuam
51 auferat, † *argumento l. item ſi verberatum. 15. §. pen.*
52 *ſup. de rei vendic. &* † *l. Lucius. 11. ſup. de evičtion.* idq; pluribus confirmant *And. Geil. in obſ. 56. lib. 2. practic. obſerv. & Antonin. Teſſaurus in deciſ. 15. n. 5.* neq;

ab

àb his diſſentit Zaſius, veluti videre eſt ex iis, quæ notat *ad l. Princeps 31. n. 19. & 22. ſup. de legib.* quamvis ibidem n. 24. ſtatuat in caſu *d. §. pen. & d. l. Lucius.* militibus † aſſignatos eſſe fundos vi 55 bellica hoſti ademptos, extra quem caſum militibus non ſine maxima iniquitate merces ex rebus ſubditorum numeretur.

L. 12.

Paulus libro tertio ad Sabinum.

§ *In teſtamentis plenius voluntates teſtantium interpretantur.*

SUMMARIA.

1 *Hominum judicia ſuprema ut exitum habeant, publicè expedit.*

2 *Voluntas defuncti plenius interpretanda eſt.*

3 *Dictio* Plenius *in hac l. quid ſignificet?*

4 *Benignè faciendum eſt ei, cui in teſtamento quid relictum eſt.*

5 *Voluntates teſtantium in dubio plenius quàm contrahentium interpretandæ ſunt.*

6 *Contractus plenam interpretationem deſiderant.*

7 *Beneficia pleniſſimam interpretationem requirũt.*

8 *Vino vendito vaſa ſimul vendita in dubio non cenſentur.*

9 *Vino legato an vaſa quoq; legata intelligantur?*

10 *Dolia legatario non cedunt, quando vinum ipſi in teſtamento relictum eſt.*

11 Cau-

11 *Cautio an exigi poſſit ab eo cui heres certam pecuniæ ſummam ſub uſuris à teſtatore expreſſis credere rogatus eſt?*

12 *Legata quando ſtrictè interpretanda ſint?*

13 *Teſtator heredem ab ſe inſtitutum ut minimum gravare intelligitur.*

14 *Verbum interpretari, ſtudioſus Latinitatis in ſignificatione paſſiva uſurpare non debet.*

15 *Verbum,* Exequi, *perinde ut verbum* Interpretari, *ſignificationem activam habet, licet ab* Ulpiano *illud paſſivè uſurpatum ſit.*

1 CUm publicè expediat ſuprema † hominum judicia exitum habere, teſte Paulo *in l. vel negare 5. ſup. teſtamen. quemad. aper.* defunctorum certè voluntates, ſi de iis, ut notavi *ad l. ſemper in obſcuris. 9. ſup. h. t.* per conjecturas conſtiterit, aliquantò plenius † interpretandæ erunt: præſertim cùm voluiſſe illi aliquid, & tamen morte præventi, vel morbo impediti non rogaſſe credantur, ut refert Ulpianus *in l. ſi ſponſus. 5. §. pen. ſup. de donat. inter vir. & uxor.* Dictionem † *plenius*, quâ Paulus hìc utitur, Cujacius idem quod *AEquius* ſignificare exiſtimat, quaſi teſtantium voluntates interpretandæ ſint paulò æquius, quàm ſtricta ratio ferat. Neque ab hac Cujacii interpretatione diſſentire videtur Donellus, quando ad *l. cum in teſtamento 24. ſup. de reb. dub.* ait, teſtamentum † benignè interpretandum eſſe, ut & voluntas teſtatoris rata ſit,

2 (margin, beside "rit, aliquantò plenius")
3 (margin, beside "nem † plenius")
4 (margin, beside "de reb. dub.")

&

& benignè fiat ei, cui in teſtamento quid relictum eſt. Quod ipſum licèt per ſe quidem verum ſit: mihi tamen in præſenti magis placet interpretatio Accurſii, qui contemplatione contractuum iſtam dictionem poſitam eſſe, atque in præſenti hoc ſibi velle arbitratur, quòd † teſtantium in dubio plenius quàm contrahentium voluntates interpretandæ ſint. 5
Præterquam enim, quod hanc Accurſii interpretationem luculenter confirmat Innocentius III. *in. c. cum dilecti. 6. de donat.* ubi in † contractibus 6
plenam: in teſtamentis pleniorem: in beneficiis † quàm pleniſſimam interpretationem adhibendam eſſe ait: 7
Hoc quoque pro eadem interpretatione non parum facit, quod Ulpianus *in l. 1. §. pen. ſup. de peric. & commod. rei vendit.* ſatis oſtendit † vino vendito, vaſa ſimul vendita non 8
cenſeri, neque in dubio etiam emptori deberi: Cùm tamen contrà † legato vino, vaſa quoque 9
legata intelligantur, veluti ex Celſo refert idem Ulpianus *in l. 3. §. 1. ſup. de trit. vin. vel ol. legat.* quod credibile ſit mentem teſtantis eam eſſe, ut amphoras acceſſioni eſſe vino voluerit. Nam quod liquidæ materiæ eſt, quia per ſe eſſe non poteſt, rapit ſecum in acceſſionis locum id, ſine quo eſſe non poteſt, ut tradit Paulus *in pr. l. 4. ſup. de pen. legat.* Quod utique verum eſt in vaſis. Dolia † 10
enim hoc eſt vaſa majora, quæ ad perpetuum uſum reſervantur, legatario non cedunt, *d. l. 3. & l. vino. 14. cum l. ſeq. ſup. de trit. vin. vel ol. legat.*

ſic & Cujacius in tractatu 5. ad Africanum, inſigne exemplum voluntatis teſtatoris plenius acceptæ proponit *ex l. ſi ditioni remiſſa. 11. §. ſi heres 15. ſup. de legat. 3.* ubi Ulpianus, rejecta Marciani ſen-
11 tentia, ſtatuit, heredem † cautionem exigere non poſſe ab eo, cui certam pecuniæ ſummam ſub uſuris à teſtatore expreſſis credere rogatus eſt. Neque adverſanrur his *l. cum ſervus. 39. §. ſcio ex facto. ſup. de legat. 1. & l. nummis. 75. ſup. de legat. 3.*
12 quæ diſertè docent, legata † ſtrictè interpretanda eſſe, ut ſic vino legato, nec minora quidem
13 vaſa legata intelligantur, quòd teſtator † heredem ab ſe inſtitutum ut minimum gravare præſumatur, *per l. unum ex familia 67. §. ſi rem tuam. ſup. de legat. 2.* quoniam hoc regulariter obtinet in dubio, quando teſtatoris voluntas explorata ſatis non eſt. At verò *in caſu d. §. 1.* propter præſumptam teſtatoris voluntatem vino legato, vaſa quoque legatario debentur: ſicut & aliâs apparente teſtatoris voluntate legatorum plenior fit interpretatio, teſte Cagnolo *hîc n. 6.* quò apprimè quoque faciunt ea, quæ tradit VVeſenbecius *in conſ. 89. n. 10.*

14 Illud denique hoc loco addendum puto, † verbum *Interpretantur, in hac l.* paſſivè ſumi pro explicantur: neque hoc in jure noſtro novum eſſe, ut verba Deponentia in ſignificatione paſſiva uſurpetur, ſic & *in pr. l. pen. ſup. de juriſdict. omn.*
15 *judic.* verbum † *Exequor* paſſivè accipitur. Simile exemplum *ex l. à D. Pio 15. §. ſed utrum. ſup. de re judic.*

dic. Cujacius hìc notat. Quamvis ſtudioſo Latinitatis autor eſſe nolim, ut exempla hujuſmodi rariora imitetur.

L. 13.

Ulpianus libro nonodecimo ad Sabinum.

Non videtur cepiſſe, qui per exceptionem à petitione removetur.

Summaria.

1 *Verbum cepiſſe, cujus* Ulpianus *in hac l. meminit, quomodo à Johanne Ferrario accipiatur?*

2 *Judicium incepiſſe quis dicatur?*

3 *Judicium non incepit, qui per exceptionem à petitione remotus eſt.*

4 *Inceptum illud eſſe non dicitur, quod jure reluctante incepit.*

5 *Litis conteſtatio præſcriptionem quando interrumpat?*

6 *Interpretatio Joh. Ferrarii improbatur.*

7 *Verbum Capere quid ſignificet?*

8 *Capere id nemo dicitur, quod alteri reſtituere tenetur.*

9 *Teſtamentum patris filius querela inofficioſi infringere poteſt, etiam eo caſu, quando legatum quidem ex illo accepit, ſed ejuſmodi, quod alii reſtituere juſſus eſt.*

10 *Tutor teſtamento datus à tutela munere ſe excuſa-*

re non poteſt, quando legatum alii non reſtituendum ex eo teſtamento accepit.

11 Intellectus l.cepiſſe 140.ff.de verb.ſignif.

12 Filiifam.nihil ſuum habere poſſunt.

13 Servus quicquid acquirit, ſuo domino acquirit.

14 Actionem qui habet ad rem recuperandam, ipſam rem habere videtur, dummodo talis ſit actio, quam exceptio non excludit.

15 Actionem qui habet talem, quæ per exceptionem infirmari poteſt, is actionem habere non intelligitur.

16 Legatum illud an valeat, quod debitor exceptione tutus ſuo creditori reliquit?

17 Legari res propria nemini poteſt.

18 Legatarii videtur eſſe id, quod per actionem conſequi poteſt.

19 Exceptionem qui remittit, ſuo jure ſeſe abdicaſſe intelligitur.

20 Creditor in jure quis propriè dicatur?

21 Debitor non eſt, qui creditorem exceptione ſubmovere poteſt.

SCriptionis diverſitas diverſam quoque hujus l.interpretationem parit. Nam Ferrarius, quem Johannes Ramus hoc loco ſequitur, ver-
1 bum † *Cepiſſe* cum diphthongo ſcribit:idq; pro incepiſſe ſive inchoaſſe poſitũ eſſe cenſet. Atq; hinc l. hujus nullum alium ſenſum eſſe ſtatuit,
2 quàm quòd judicium † incepiſſe, ſive litem
3 conteſtatus eſſe is non videatur, qui per † exceptio-

ptionem à petitione remotus eſt, quaſi pro non
cœpto habeatur id, quod † jure reluctante cœ- 4
pit. Proindeque litis hujuſmodi conteſtatio-
nem † ejus efficaciæ eſſe negat, ut præſcriptio- 5
nem adverſarii interrumpat, aut cauſam in ſuſ-
penſo relinquat: ſiquidem negocium per illam
ritè cœpiſſe dici nequeat, *argumento l. non putavit.
8. §. non quavis. ſup. de bonor. poſſeſ. cont. tabul. & l. non
dubium 5. C. de ll.* Atque in hoc ſenſu præſens hæc
l. exceptio eſſet, *l. moræ litis. 26. C. de rei vendic. & l.
nec bona. 10. C. de præſcript. long. temp.* ubi Impp. Dio-
cletianus & Maximianus pro regula tradunt,
quòd præſcriptio ſive poſſeſſio longi temporis
conteſtatione litis interrumpatur. Quæ inter-
pretatio admitti quidem poteſt, ſed ad inſtitu-
tum † ſatis non quadrat: ſiquidem JCtus pro- 6
priam ſignificationem verbi *Capere* hoc loco
proponere voluit: id quod patet *ex l. ſi creditori
28. ſup. de legat. 1.* quæ, ut inſcriptio oſtendit, cum
hac l. conjungenda eſt, quippe ex qua, ut pau-
lo pòſt dicetur, deciſionem ſuam accepit.

Capere † igitur ex mente utriuſque l. modò 7
dictæ propriè eſt cum effectu accipere, ita ut
acceptum penes accipientem remaneat, nec i-
pſi invito adimi queat, veluti idem Ulpianus ex-
ponit *in l. aliud eſt. 71. ſup. de verb. ſignif.* Hinc Gajus
in l. non videtur. 51. inf. h. t. ait, non videri quen-
quam † id capere, quod ei neceſſe ſit alii reſti- 8
tuere. Cujus exemplum extat *in fine l. ſi pars. 10.
ſup. de inoff. teſtam.* ubi filius † teſtamentum pa- 9

ternum, ex quo legatum percepit, ita demum querela inofficioſi infringere poteſt, ſi legatum alii reſtituere juſſus ſit, quaſi non videatur ex teſtamento cepiſſe legatum, ad cujus reſtitutio-
10 nem tenetur. Sic tutor † teſtamento datus à tutelæ munere ſe excuſare poteſt, ſi acceperit ex eo teſtamento legatum alii reſtituendum, veluti notant Dd. *in l. legatarius. 27. ſup. de excuſat.* Ne-
11 que huic adverſatur † *l. cepiſſe. 140. ſup. de verb. ſignif.* ubi quis cepiſſe dicitur etiam id, quod alii acquiſivit: quoniam loquitur illa l. de filiisfam.
12 † & ſervis, qui nihil ſuum habere poſſunt, ſed
13 quicquid ab aliis capiunt, id ipſo † momento acquirunt patribus vel dominis, in quorum ſunt poteſtate, *per l. acquiruntur. 10. §. 1. ſup. de acquir. rer. domin.*

Porrò cepiſſe intelligitur non is tantùm, qui
14 rem habet, ſed & is qui † habet actionem ad rem recuperandam, ut loquitur Paulus *in l. is qui actionem 15. inf. h. t.* Unde idem Paulus *in l. ſi quis. 115. §. 1. inf. h. t.* eum accepiſſe negat, qui exceptione ſubmoveri poteſt: quod paria ſint non
15 habere actionem, aut habere eam, quæ † per exceptionem infirmari poteſt, *l. nihil intereſt. 112. inf. h. t.* cujus rei egregium exemplum refert Ul-
16 pianus *in d. l. ſi creditori*, ubi quæritur, an hoc † legatum valeat, ſi debitor creditori ſuo, adverſus quem tamen exceptione tutus eſt, id legaverit, quod ei debet. Prima fronte dicendum videba-
17 tur legatum illud non valere, quod † nemini res

res propria legari poſſit, *§. ſed ſi rem. Inſtit. de legat.* Et verò res † legatarii eſſe videatur, quam ille a- 18
ctione conſequi poteſt, *d. l. is qui actionem 15. inf. h. t.* verùm contrarium eò loci Ulpianus reſpondet, videlicet legatum illud valere, quòd creditori remiſſa † cenſeatur exceptio iſta, qua debi- 19
tor eum excludere potuiſſet: quod ipſum quoque ſcribit Julianus *in l. ſi creditor 13. ſup. de liber. legat.* Itaque † creditor in jure is propriè dicitur, 20
qui debitum ejuſmodi actione petere poteſt, quæ exceptione aliqua perpetua elidi nequeat, *per l. creditor, 55. ſup. de verb. ſignif.* Quemadmodum & vice verſa † debitor quis eſſe deſinit, ſimulac 21
nactus eſt juſtam exceptionem, quam creditori opponere poſſit, veluti idem Julianus *in l. Marcellus 66. inf. h. t.* notat.

L. 14.

Pomponius libro quinto ad Sabinum.

¶ *In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præſenti die debetur.*

Summaria.

1 *Purè in obligationem quod deductum eſt, quando peti poſſit?*

2 *Die præſente quod debetur, tum exigi debet, quando commodè ſolvi poteſt.*

3 *Intellectus l. liber homo. 118. §. 1. ff. de verb. oblig.*

4 Dictio Hodie omnem dilationem excludit.
5 Die præſenti quod debetur, id ſi ultimo iſtius diei momento ſolvatur, recte ſolutum eſſe dicitur.
6 Conſtitutum purè factum in diem decimum collatum cenſetur.
7 Conſtitutum ab aliis obligationibus in hoc differt, quod ſemper ad diem factum intelligitur.
8 Locus obligationi adjectus facit, ut creditor tantiſper expectare cogatur, dum commodè in præſcripto loco ſatisfieri obligationi poſſit.
9 Futurum qui promiſit, ita demum promiſſis ſtare tenetur, ſi futurum extiterit.
10 Fructus qui pure promiſit, præſtationem fructuum in eum diem distuliſſe cenſetur, quo per rerum naturam fructus percipi poſſunt.
11 Dos puellæ nubenti purè promiſſa peti antè non poteſt, quàm puella nupſerit.
12 Dies certus quis ſit?
13 Diem incertum quænám inducant?
14 Dies certus actionem quidem ſuſpendit, ſed non obligationem.
15 Fructus in diem certum promiſſi promiſſoris ſunt, ſi ante diem iſtum percepti fuerint.
16 Promiſſor moræ argui non poteſt, ſi res in diem promiſſa ante diei lapſum perierit.
17 Actio effectus eſt obligationis.
18 Obligatione extante actio inde reſultans jure quidem competit, ſed tamen ante diem iſtum, in quem ſatisfactio obligationis rejecta eſt, intentari non poteſt.

19 Dies

19 Dies incertus in teſtamentis conditioni ſemper æquipollet, verùm in conventionibus ita demum, ſi prorſus incertus ſit.

20 Debitor ante diem ſolvens id, quod in diem incertum debet, quando ſolutum ceu indebitum repetere poſſit?

21 Debitor in diem repetere non poteſt quod ante diem ſolvit, ſi in diem certum illud debeat.

22 Intellectus l. in diem. 10. ff. de condict. indeb.

23 Dies incertus, qui tamen certò extiturus eſt, diei certo æquipollet. Unde nec illud, quod in ejuſmodi diem incertum debetur, repeti poteſt, ſi ante diem ſolutum fuerit.

24 Mors certa eſt, licet hora mortis incerta ſit.

25 Conditio, quæ omnino extitura eſt, obligationem inducit, etiam antè, quàm evenerit.

CUm hac l. congruit *l. eum qui. 41. §. 1. ſup. de verb. oblig.* ubi Ulpianus ſimiliter ſcribit, pecuniam præſenti die deberi, quoties dies in obligationibus non ponitur. Cujuſmodi † obli- 1
gatio vulgò pura nominatur, quoniam nec diem, nec conditionem, in quam ſatisfactio differri debeat, admixtam habet: proindeque id, de quo ſic purè convenit, quàmprimum & debetur, & peti etiam exigique poteſt, *per l. cedere diem. 213. ſup. de verb. ſignif.* Quod tamen intelligendum † eſt cum aliquo temperamento tem- 2
poris, nec enim cum ſacco, ut loquitur Paulus *in l. quod dicimus 105. ſup. de ſolut.* creditor adire de-

 bet,

bet, ſed expectabit ejuſmodi aliquod ſpacium temporis, quo ſolutio ejus quod debetur, commodè fieri poſſit, quomodo temperamentum illud temporis interpretatur Juſtinianus *in §. ult. Inſtit. de inutil. ſtipul.* Verùm obſtat huic inter-
3 pretationi † *l. liber homo. 118. § 1. ſup. de verb. oblig.* ubi id, quod purè promiſſum eſt, confeſtim peti poteſt, etiam ante quàm præſens dies præterierit. VVeſenbecius *in d. § ult.* reſpondet illud
4 ideò fieri, quòd ſtipulationi adjecta fuiſſet † dictio *Hodie*, quæ omnem dilationem excludat. Quamvis reſponderi etiam poſſit, Papinianum eò loci non de ſolutione, ſed de petitione debiti loqui, quod videlicet purum debitũ peti quidem poſſit eodem die, quo promiſſum
5 eſt, licet totus † dies, quo debetur, ſolutioni cedat, ſicut promiſſori liberum ſit vel ultimo iſtius diei momento ſolvere, *per § omnis ſtipulatio. inſtit. de verb. obligat.* Neq; cum hoc pugnat *l. promiſſor. 21. § 1. ſup. de conſtit. pecun.* ubi obligationi
6 purè ſine die contractæ † ſpacium 10. dierum tacitè ineſt: quoniam loquitur ea lex de conſtituto, quod ſi fiat ſine die, in diem decimum
7 collatum videtur: cùm omnia conſtituta † ad diem facta cenſeantur. Secus eſt ſi ſtipulatio, vel alia quæpiam obligatio ſine die contrahatur; tum enim ſtatim debetur, de quo convenit, neque actor ſi eo nomine protinus agat, in pœnam plus petitionis incidit.

8 Cæterum ſi locus † puræ obligationi adjectus

ctus fuerit, expectari oportet ejuſmodi temporis ſpacium, quo cõmodè ad locum iſtum perveniri poſſit: veluti ſi quis hìc Marpurgi promittat, ſe pecuniam Françofurti ſoluturum, hoc caſu, licèt obligatio purè contracta ſit, antè tamen ſolutio pecuniæ peti non poteſt, quàm præterierit ejuſmodi † tempus, quo promiſſor 9
Francofurtum commodè pervenire poſſit: ſiquidem hujuſmodi tempus tacitè obligationi inſertum intelligitur, *l. interdum 73. §. 1. ſup. de verb. oblig. & § loca. Inſtit. eod.* Pari planè modo tacitè in certum diem ſeſe obligaſſe intelligitur, qui † 10
fructus futuros, aut id quod in utero eſt, purè promiſit: Non enim antè ex ea obligatione conveniri poteſt, quàm fructus per rerum naturam nati, aut fœtus editus fuerit, *d. l. interdum, in pr.*

Idem dicendum eſt, ſi res ipſa ſive qualitas negocii certum diem poſcat: veluti ſi teſtator † 11
puellæ leget dotem, heres certè puellæ antè quàm nubat, dotem iſtam numerare non tenetur, quia dos ſine matrimonio non intelligitur, *argumento l. 4. ſup. ubi pupill. educ. deb.* Eodemque pertinet *l. 3. ſup. de jur. dot.*

Sed quid, ſi dies obligationi adjectus ſit? Reſpondeo, † diem illum vel certum eſſe, veluti 12
Calendis Martiis, Idibus Juliis, Nonis Auguſti &c. vel † incertum, ut cùm magiſtratum inie- 13
rit, cùm in ſua familia nupſerit, cùm diem ſuum obierit. *l. 1. §. pen. ſup. de condit. & demonſt. & l. ſi dies.*

14 21.*ſup. quand. die. legat. ced.* ſi † certus obligationi dies adjectus ſit, obligatio quidem non ſuſpenditur, ſed actio. Etenim ſtatim debetur id: quod ita in obligationem deductum eſt, non ſecus ac ſi purè promiſſum eſſet: Verùm antequam dies extiterit, peti exigique illud non poteſt, *d. §. omnis ſtipulatio. Inſtit. de verb. oblig. & l. obligationum ferè. 44. §. 1. ſup. de oblig. & action.* cui conſequens
15 eſt, ut fructus, † qui ante diem iſtum percipiuntur, ad promiſſorem pertineant, nec ex mo-
16 ra † promiſſor teneatur, ſi res, quæ in obligationem venit, ante diei lapſum perierit. *per l. in illa ſtipulatione. 8. ſup. de verb. oblig.* Quod verò res in diem certum promiſſa ſtatim quidem debetur, ſed antè, quàm dies extiterit peti nequit, id haud abs re mirum cuipiam videri poſſit, pro-
17 pterea, quòd obligationem † utpote cauſam petitio ſive actio tanquam effectus ſequi debeat, veluti notat Baldus *ad l. 4. ſup. de juſtit. & jur.* Sed reſpondendum eſt, actionem quidem ob-
18 ligationi † tanquam cauſæ ſuæ ita conjunctam eſſe, ut ſimulac obligatio exiſtit, actio quoque ex illa proficiſcens ipſo jure competat: Verùm quia ſolutio in certum diem dilata eſt, ideò res promiſſa, licèt ipſo jure ſtatim peti poſſit: tamen antè, quàm exiſtat dies iſte, cum effectu peti non poteſt, ſiquidem exceptio tantiſper actioni obſtabit, *argumento §. at ſi ita. Inſtit. de verb. oblig.* Atque ita de effectu agendi intelligendum eſt, quod dicitur in diem promiſſum peti

peti prius non poſſe, quàm dies venerit. At ve-
rò ſi dies obligationi adjectus † incertus ſit, an- 19
tè, quàm dies iſte venerit, nihil debetur, quo-
niam dies ejuſmodi conditionis inſtar habetur,
in teſtamentis quidem ſemper, *per l. dies 75. ſup.*
de condit. & demonſtrat. in contractibus verò ita
demum, ſi planè incertus ſit dies, ita ut dubium
ſit, an extiturus ſit unquam: veluti ſi quis 100.
ſtipulatus ſit, cùm Sejus Romam venerit, *per l.*
quodcunq; 45. §. pen. ſup. de verb. oblig. Itaque quan-
tum diſtat conventio in diem ab ea, quæ fit ſub
conditione, tantum etiam differt conventio in
diem certum ab ea, quæ fit ſub die incerto, ſi-
ve in diem incertum: Cùm nihil interſit ſub
die incerto, an ſub conditione quid debeatur,
per l. ſufficit. 56. ſup. de condict. indeb. Hinc fit, ut quod
pendente die † incerto ſolutum eſt, condictio- 20
ne indebiti repeti poſſit, non ſecus ac ſi pen-
dente conditione ſolutum eſſet: contrà quàm
ſtatuit Cujacius *in cap. 20. lib. 13. obſ.* ſicuti eruditè
id defendit Antonius Faber *in cap. ult. libri 4. con-*
ject. per l. ſub conditione. 16. ſup. de condict. indeb. quam
l. in eandem ſententiam quoque Donellus *in*
pr. cap. 9. lib. 15. comment. de jur. civil. allegat. Secus
verò res ſeſe † habet, ſi in diem certum res de- 21
bita fuiſſet, hæc enim, quia ſtatim ipſo conven-
tionis momento deberi cœpit, repeti non po-
teſt, ſi ante diem ſoluta ſit, † *per l. in diem. 10. ſup.* 22
eodem. quę etſi indiſtinctè loquitur, de eo, qui in
diem debet, ad alium tamen debitorem accom-

mo-

23 modari non poteſt, quàm ad hunc, qui in † diem certum debet: cùm ei, qui in diem incertum debet, non aliter repetitio denegetur, quàm ſi omnino certum ſit, diem iſtum extiturum eſſe: veluti ſi cùm moriar dare promiſero, ex ſententia Celſi, ut refert Ulpianus *in l. nam ſi cum. 17. ſup. de condict. indebit.* repetere ſolutum non poſ-
24 ſum, quamvis antè vivus adhuc ſolverim, † quia certum eſt moriturum me, licèt mors mea diem incertum habeat, teſte Pomponio *in l. 1. ſup. de condit. & demonſtrat.* Quod ipſum quoque de conditione, quæ omnino extitura eſt, puta ſi mundus interierit, Ulpianus reſpondit *in l. quod ſi ea. 18. ſup. eod.* Unde evincitur diei certo æquipollere iſtum diem, qui incertus quidem eſt ratione temporis, quo ſit extiturus, ſed tamen ratione eventus dubium habet nullum, quin ſit
25 extiturus: quemadmodum & † conditio, quæ omninò extitura eſt, hoc caſu perinde habetur, ac ſi eventum ſuum ſortita ſit.

L. 15.

Paulus libro quarto ad Sabinum.

§ *Is qui actionem habet ad rem recuperandam, ipſam rem habere videtur.*

SUMMARIA.

1 *Actionis effectus.*
2 *Actionis uſus.*

3 Actio-

3 *Actionis vocabulo quid denotetur?*
4 *Actionis vocabulum an generatim in hac l. ſumatur?*
5 Johannes Ferrarius *quomodo hanc l. intelligat.*
6 *Poſſeßione vi dejectus an nihilominus poßideat?*
7 *Actio quævis in hac l. denotatur.*
8 *Bonis in ſuis quis habet & actiones & petitiones & perſecutiones ſibi competentes.*
9 *Habere quis dicitur id, quod petere poteſt.*
10 *Propria vocum ſignificatio in jure quando attendi debeat?*
11 *Dictio* Recuperandæ *in jure aliquando impropriè ſumitur.*
12 *Actiones omnes quocunq; modo comparatæ ſint, in bonis habentur iſtius, cui actiones competunt.*
13 *Rei vindicatione quid petatur?*
14 *Dominus poſſeßionem non habens perinde habetur, ac ſi rem, cujus poſſeßione cecidit, non habeat.*
15 *L. minus. 204. inf. de R. J. quomodo cum hac l. conciliandа ſit?*
16 *Verbum* Videtur *quid in jure denotet?*
17 *Actionem qui habet, revera rem ipſam non habet.*
18 *Inopia adverſarii actionem inanem reddit.*
19 *Probatio deficit ſæpius, ubi jus non deficit.*
20 *Rem habere ſatius eſt, quàm actione illam perſequi.*

ACtionibus † in jure ejuſmodi indultæ ſunt 1 vires, ut rem ipſam habere cenſeatur is, qui,

qui, ut Paulus hic loquitur, actionem ad rem
2 recuperandam habet. Etenim per actiones †
quis etiam ſine armis conſequitur quod ſuum
eſt, ac ne injuria cuiquam ſuum auferatur, acti-
ones modis omnibus præcavent, veluti notant
Dd. *ad l. nihil aliud. 51. ſup. de oblig. & action.* Sed
3 cùm actionis † vocabulum generale nonnun-
quam ſit, adeoque ſub ſe omnem complecta-
tur perſecutionem, quâ quid in jure vel judicio
petitur, *per l. actionis. 34. & l. pecunia. 178. §. pen. ſup.
de verb. ſignif.* haud abs re quæritur, an in genera-
4 li hujuſmodi ſignificatione Paulus † Actionis
vocabulum hoc loco acceptum voluerit? Jo-
5 hannes Ferrarius † hoc negat, & regulam hanc
duntaxat de interdicto unde vi, ſive de actione
in factum ex cauſa interdicti nata intelligen-
dam eſſe opinatur, motus cumprimis voce *Re-
cuperandam*, quæ referatur ſaltem ad eas res,
quarum poſſeſſionem quis amiſiſſet, *argumen-
to § recuperandæ. Inſtit. de interdict.* Eodemque per-
tinere ait principium *l. ſi quis vi. 17. ſup. de acquir.
6 vel amitt. poſſ.* Ubi Ulpianus eum, qui † de poſ-
ſeſſione vi dejectus eſt, perinde habet, ac ſi poſ-
ſideret, quod interdicto unde vi recuperandæ
poſſeſſionis facultatem habeat. Verùm mihi
Cagnoli aliorumque juris interpretum ſenten-
tia magis placet, qui regulam hanc generatim
7 † de quavis actione intelligendam eſſe ajunt,
ſive illa in rem ſit, ſive in perſonam, ſive etiam
interdictum vocetur: Cùm idem Ulpianus *in fi-
ne l.*

ne l. bonorum 49. ſup. de verb. ſignif. & actiones, & petitiones, & perſecutiones conjungat, atque † bonis annumeret, ſi quid eſt in actionibus, 8
petitionibus ac perſecutionibus: ut ſignificet non ſolùm actiones perſonales, quæ aliàs propriè actionis vocabulo denotantur, ſed etiam actiones in rem, quæ petitionis verbo continentur, adeoque quaſvis perſecutiones in bonis eſſe illius, cui perſecutiones hujuſmodi competunt, *per l. actio. 28. ſup. de oblig. & act. l. & uno. 18. §. 1. ſup. de acceptil. & d. §. pen.* Quiſque enim, veluti Ulpianus hoc declarat *in l. id apud. 143. ſup. de verb. ſignif.* videtur apud ſe † habere id, de quo 9
actionem habet: ſiquidem habetur, quod peti poteſt. Quibus conſentit etiam *l. rem in bonis. 52. ſup. de acquir. rer. domin.* ubi Modeſtinus ait, rem in bonis noſtris habere intelligimur, quoties poſſidentes exceptionem, aut amittentes ad recuperandam eam actionem habemus. Neque adverſatur hiſce dictio *Recuperandam*, quâ Paulus hic utitur, quoniam jura † propriam vo- 10
cum ſignificationem attendi nolunt, quando aliæ ll. proprietatem iſtam reſpuunt, *argumento l. unic. C. de inoff. dot.* Itaque & hoc loco à propria † dictionis *Recuperandam* ſignificatione recedi 11
oportet propter ll. prædictas, quæ in bonis eſſe dicunt, non tantùm interdictum unde vi, quod actionibus perſonalibus annumeratur, *in l. 1. §. pen. ſup. de interdict.* Sed & quaſvis alias † actio- 12
nes, quocunque tandem modo illæ compara-

13 tæ ſint. Ac licet rei † vendicatione petatur res, non quæ videtur eſſe noſtra, ſed quæ revera noſtra eſt, *l. in rem 23. in pr. ſup. de rei vendic.* tamē cùm poſſeſſio, quæ rei vendicatione repetitur, non penes dominum ſit, ſed penes eum, qui à Domino convenitur, *§. 1. Inſt. de action. & l. ù qui deſti-*
14 *navit. 24. ſup. de rei vendic.* dominus † certè poſſeſſionem non habens perinde judicabitur ac ſi rem ipſam non habeat.

15 Denique regulæ huic non obſtat † *l. minus 204. inf. h. t.* ubi Pomponius ait, minus eſſe actionem habere quàm rem: quoniam † dictio *videtur*; quâ Paulus hic utitur, ſatis arguit eum qui actionem habet, ſaltem fictione juris rem ha-
16 bere. Etenim † verbum *Videtur* regulariter fictionem importat, veluti probat Zaſius *in l. ſi duo patroni. 13. §. idem Julianus. n. 6. ſup. de jurejur. per pr. l. naturaliter. 12. ſup. de acquir. vel amittend. poſſeſſ.*
17 Revera igitur ac propriè † minus eſt habere actionem, quàm rem: cùm multa accidere poſſint, ut quis rem petitam non conſequatur. Sic
18 actio inſtituta per † adverſarii inopiam fit inanis. *l. nam is nullam. 6. ſup. de dol. mal.* Ac quamvis
19 jus actionem non deficiat, ſæpiſſimè tamen † probatio illam deficit, *argumento l. quod debetur. 51. ſup. de pecul.* quibus ſi addantur ſumptus in litē
20 faciendi, aliæq; innumeræ † moleſtiæ, quas Actor ſubire cogitur antè, quàm rem petitam in judicio conſequatur, nemo, opinor, erit, qui nō rem habere, quàm actione illā perſequi malit.

L. 16.

Ulpianus libro 21. ad Sabinum.

¶ *Imaginaria venditio non eſt precio accedente.*

Summaria.

1 *Venditio imaginaria non valet.*
2 *Contractus imaginarii non ſubſiſtunt.*
3 *Imaginarium jura quid vocent?*
4 *Venditio imaginaria non dicitur, quæ interventu precii facta eſt.*
5 *Emptionis ſubſtantia ex precio conſiſtit.*
6 *Emptio ſubſiſtit, licèt precium conventum non ſolvatur.*
7 *Venditio uno nummo non contrahitur.*
8 *Pretium uno nummo non conſtituitur.*
9 *Conductio uno nummo contracta non ſubſiſtit.*
10 *Venditio ſive conductio uno nummo contracta in vim donationis valet.*
11 *Intellectus l. ſi uſusfructus 66. in fin. ff. de jur. dot.*
12 *Uſusfructus cur mulieri uno nummo vendi vel locari à marito poſſit.*
13 *Dos mulieri, ſoluto matrimonio reſtitui debet.*
14 *Uſusfructus nulli alii quam domino proprietatis cedi poteſt.*
15 *Uſusfructus à commoditate uſusfructus differt.*
16 *Uſusfructus rei dotalis mulieri nec donari, nec precariò dari à marito poteſt.*

17 *Donatum non dicitur quod jure cogente datum eſt.*

18 *Precarii natura quæ ſit?*

19 *Dos mulieri reſtituta avocari ab illa non poteſt.*

1 IMaginariam † venditionem Paulus pro non facta habet, *in l. nuda. 55. ſup. de contrah. empt.* ſi-
2 cut & aliâs † contractus imaginarii regulariter nulli ſunt. *l. contractus. 54. ſup. de oblig. & action.*
3 Imaginarium † autem in jure dicitur, quod non verè, ſed ſimulatò, & dicis cauſa fit, ſeu, ut definit Modeſtinus *in d. l. contractus,* in quo fides facti ſimulatur, veritate nō intercedente. Hinc
4 quæritur an imaginaria † venditio ſit, quæ precio interveniente facta eſt? Ulpianus hoc loco illud negat ex ea ratione, quod emptionis ſub-
5 ſtantia † cōſiſtit ex precio, ut refert Papinianus *in l. pacta conventa 72. ſup. de contrah. emption.* Nam emptio & venditio contrahitur ſimulatque de certo precio convenerit, teſte Juſtiniano *in pr. tit. Inſtit. de empt. & vendit.* idque verum eſt, etiamſi precium exiguum ſit, reique venditæ non reſpondeat, *l. ſi quis donationis 38. ſup. eod.* Dixi *Simulatq; de precio convenerit*, ut ſignificarem, ad hoc, ut venditio ſubſiſtat conventionem ejuſmodi ſufficere, nec neceſſe eſſe ut etiam pre-
6 cium † conventum ſolvatur: ſi quidem remitti illud poſtea poteſt, & tamen venditio nihilominus ſuſtinetur ex eo, quod precium ſemel acceſſit eo animo, ut exigeretur, *argumento l. ſi tibi. 5. ſup. de locat.*

Sed

Sed quid ſi uno † nummo venditio contra- 7
cta ſit? reſpondeo venditionem iſtam nullam
eſſe, quia unus nummus precium uſque adeò
non conſtituit, ut potius † precio opponatur, 8
in l. ſi quis antè 10. §. ult. ſup. de acquir. vel amitt. poſſeſ.
ubi Ulpianus de conductione † idem ſtatuit, 9
videlicet quòd nulla ſit, ſi in uno nummo con-
ſiſtat: quod ipſum quoque expreſſum eſt *in l. ſi
quis conduxerit 46. ſup. locat.* Veruntamen hoc ita
accipiendum eſt, ut, licèt venditio vel condu-
ctio hoc caſu imaginaria habeatur, ac proinde
non valeat in vim venditionis vel † conductio- 10
nis, valeat tamen in vim ejus quod actum eſt,
hoc eſt, in vim donationis, veluti docet reſcri-
ptum Impp. Diocletiani & Maximiani *in fine, l.
empti fides. 9. C. de contrah. empt.* Verùm prædictis
graviter adverſari videtur † *l. ſi uſusfructus. 66. in* 11
fin. ſup. de jur. dot. ubi Pomponius ſcribit, uſum-
fructum mulieri uno nummo à marito vendi
vel locari poſſe. Reſpondeo uſumfructum eò
loci nec domino proprietatis, † nec mulieri à 12
marito cedi potuiſſe: domino proprietatis qui-
dem cedi non potuit, quoniam is uſumfru-
ctum hunc marito in dotem dederat, atque ic-
circo jus doti tributum, ut videlicet ſoluto † 13
matrimonio mulieri illa reſtituatur, interver-
tere non poterat, *l. 2. in pr. ſup. ſolut. matrim. dos
quemad. petat.* mulieri verò cedi non potuit, quia
proprietaria illa non erat, atq; hinc petere non
poterat † reſtitutionem uſusfructus, quippe qui 14

ſimulac finitus eſt, non niſi ad dominum pro-
prietatis redit, *§ ult. Inſtit. de uſufr.* Ne itaque re-
gulæ iſtæ, quarú altera uſumfructum alii quàm
domino proprietatis cedi prohibet, altera mu-
lieri ſoluto matrimonio dotem reſtitui vult,
ſeſe invicem hoc caſu perimerent, neceſſariò
mulieri uno nummo uſusfructus vel locandus
vel védendus fuit, quoniam interventus num-
15 mi facit, ut maritus potius † commoditatem
uſusfructus, quàm ipſum uſumfructum in mu-
lierem tranſtuliſſe cenſeatur, & ſic uſusfructus
non ſecus habeatur, ac ſi poſt divortium quoq;
penes maritum eſſet, *per l. arboribus. 12. §. uſufru-
ctuarius. ſup. de uſufr.*

Sed quæritur cur maritus uſumfructum hũc
mulieri non potius donarit, aut precariò dede-
rit, cùm is, qui rem, cujus uſumfructum habet,
alii donat, aut precariò concedit, æquè utendi
fruendi jus retineat, atque is, qui rem iſtam al-
teri locat vel vendit? *d. §. uſufructuarius.* Reſpon-
16 deo † donationem uſusfructus hoc caſu admit-
ti non potuiſſe, quia maritus ad illius reſtitu-
tionem, ſoluto matrimonio, omninò obſtri-
17 ctus eſt: donari † verò non dicitur, quòd jure a-
liquo cogente alteri conceditur, cùm ex mera
liberalitate ac munificentia donatio proficiſca-
tur. *l. Aquilius. 27. & l. donari. 29. ſup. de donat.* Sed
18 nec † precariò mulieri uſusfructus hujuſmodi
dari potuit, quoniam ex natura precarii mari-
tus uſumfructum iſtum quovis tempore pro
arbi-

arbitrio à muliere avocare poſſet: id quod naturæ dotis repugnat, quippe † quæ à muliere, 19
ſimulac illi poſt divortium reſtituta eſt, avocari neutiquam poteſt, *argumento l. unic. C. de rei uxor. act.*

L. 17.

Ulpianus libro 23. ad Sabinum.

¶ *Cùm tempus in teſtamento adjicitur, credendum eſt pro herede adjectum, niſi alia mens fuerit teſtatoris: ſicuti in ſtipulationibus promiſſoris gratia tempus adjicitur.*

Summaria.

1 *Heres reſpectu legatarii debitoris appellatione continetur.*
2 *Promiſſor ſtipulatoris debitor eſt.*
3 *Debitor quis ſit?*
4 *Creditor quinam dicatur?*
5 *Debitor favorabilior eſt creditore.*
6 *Tempus ſolvendi legati in teſtamento adjectum quando favore heredis adjectum eſſe intelligatur.*
7 *Moram facit, qui tempus ſibi præſcriptum labi ſinit.*
8 *Intellectus l. 3. §. pen. ff. de uſur.*
9 *Intellectus l. ſi ita relictum. 43. §. Pegaſus. ff. de legat. 2.*

10 Heres hereditatem, quam poſt mortem ſuam Sempronio vel Pamphilo reſtituere rogatus eſt, alterutri illorum vivus reſtituere non poteſt.
11 Teſtatoris voluntas pro lege habetur.
12 Tempus ſtipulationi adjectum promiſſoris gratia adjectum eſſe cenſetur.
13 Debitor an id, quod in diem certam debet invito creditori ante diem ſolvere poſſit?
14 Creditor pecuniam ante diem ſolutioni præfixum oblatam accipere detrectans an moram faciat?
15 Creditoris periculo an pereat illa pecunia, quæ ipſi ante diem ſolutioni dictam oblata eſt?
16 Pecunia an eo demum loco ſolvenda ſit qui ſolutioni dictus eſt.
17 Tempus inopportunum loco inopportuno æquiparatur.
18 Intellectus l.creditor.102.ff.de ſolution.
19 Dies creditoris cauſa ſolutioni adjectus, à debitore anteverti invito creditore non poteſt.
20 Jus cuipiam quæſitum invito auferri non poteſt.
21 Dies in dubio debitoris gratia ſolutioni adjectus intelligitur.
22 Debitor poteſt dilationi ſibi indultæ renunciare.
23 Creditori invito ante diem ſolvi poteſt, quod in diem certum ipſi debetur.
24 Creditor id, quod in diem debetur, ante diem petere non poteſt.
25 Verbum poſſe quid ſignificet?
26 Poſſe is non dicitur, qui quò minus poſſit, ab alio prohiberi poteſt.

27 Tem-

27 *Tempus medium, quod ad ſolvendum debitor habet, ipſi debitori liberum eſt.*

28 *Liberum illud debitori non eſt, quod, cùm velit, facere nequit.*

29 *Rationes, quibus demonſtratur veriorem eſſe illorum ſententiam, qui id quod in diem certum debetur, etiam invito creditori ſolvi poſſe ajunt.*

30 *Petitionis ac ſolutionis ratio eadem non eſt.*

31 *Obligatio ejus, quod in diem incertum debetur, aliter non diſſolvitur, quàm ſi poſt diei iſtius eventum illud ſolvatur.*

32 *Creditor etiam ante diem petere ſuum à volente debitore poteſt.*

33 *Intellectus l. qui res ſuas. 98. §. mihi dare. ff. de ſolution.*

34 *Intellectus l. pen. ff. de eo quod cert. loc. dar. oport.*

35 *Locus quando ſolutioni adjectus eſt, debitum quidem invito creditori ſolvi in alio quàm conſtituto loco poteſt, ſed ita demũ, ſi tempus intra quod commodè ad locum præfixum perveniri potuit, necdum effluxerit.*

36 *Debitor, ſi pecuniam, quam creditor accipere detrectat, ritè obſignatam deponat, periculo iſtius pecuniæ non ſubjacet.*

37 *Tempore inopportuno non offertur, quod ante tempus conſtitutum offertur.*

38 *Tempore inopportuno petitur, quod ante tempus petitur.*

39 *Plus ſolvit, qui ante tempus ſolvit.*

40 *Citò qui dat, is bis dare creditur.*

1 DEbitoris appellatione † & heres & promiſſor continetur, quoniam uterq; quantumvis invitus ille quidem id, quod ex cauſa te-
2 ſtamenti debet, hic verò illud quod in † ſtipulationem eſt deductum ac promiſſum præſtare
3 cogitur. Generaliter † enim is debitor dicitur, à quo invito res debita exigi poteſt. *l. debitor 108.*
4 *ſup. de verb. ſignif.* ſicut & † contrà creditor eſt & dici poteſt is, cui ex quacunque cauſa & obligatione res ita debetur, ut exigere quandoq; illam poſſit, *l. creditores. 10. cum duabus ſeqq. ſup. de verb. ſignif.* ſiquidem correlativa hæc ſunt, creditor ac
5 debitor: quamvis † in pari cauſa favorabilior ſit debitor quàm creditor, per *l. Arrianus. 47. ſup. de obligat. & action. & l. 1. ſup. de ſolution.* Hinc fit,
6 ut, ſi tempus † ſolvendi legati in teſtamento adjectum ſit, in favorem heredis illud adjectum eſſe cenſeatur: ſic ut in ipſius arbitrio ſit, utrum ante illud tempus, an verò in ipſo tempore præfixo legatum ſolvere, mediique temporis fructus lucrari velit, *l. pen. ſup. de opt. vel elect. legat. l. quod his verbis 83. in pr. ſup. de legat. 3. & l. poſt mortem. 12. C. de fideicom.* Tempus, inquam, ſolvendi legati in teſtamento præfixum ita demum in favorem heredis præfixum intelligitur, ſi tempus illud heres obſervet, nec labi patiatur. Nam
7 lapſu temporis præfixi † mora contrahitur, quę heredi incommoda eſt, veluti docet Anton. Guibertus in cap. 20. n. 5. quæſtionum juris per *l. magnam. 12. C. de contrah. & committ. ſtipul.* Neq; his

his † adverſantur *l. 3. §. pen. ſup. de uſur.* & *l. ſi ita* 8
† *relictũ 43. § Pegaſus. ſup. de legat. 2.* ubi fructus an- 9
tecedentis temporis legatario reſtituendi ſunt, licet reſtitutio fundi impuberi relicti in tempus pubertatis collata fuiſſet: quoniam teſtator hoc caſu magis impuberis cauſa tempus adjeciſſe videtur, quippe cui ſtatim fundum unà cum fructibus præſtitum voluiſſet, ſi pubes fuiſſet, ſuasque res adminiſtrare potuiſſet. Eodemque pertinet *l. cum pater 77. §. à filia. ſup. de legat. 2.* & *l. uxorem. 41. §. Sejum. ſup. de legat. 3.* ubi heres, cujus fidei teſtator commiſit, ut poſt mortem ſuam huic aut illi † hereditatem reſtitue- 10
ret, in poteſtate ſua non habet, ut vivus alterutri illorum hereditatem reſtituere poſſit, quoniam ea teſtatoris voluntas fuit, ut ei demum, qui herede jam defuncto ſuperſtes futurus eſſet, hereditas reſtitueretur, adverſus quam teſtatoris voluntatem neque huic neque illi fideicommiſſario quid præjudicii heres adhuc vivus parere poteſt. Atque hoc eſt quod Ulpianus pro regula hîc tradit, tempus in teſtamento adjectum credi pro herede adjectum eſſe, niſi alia mens † teſtatoris fuerit, quippe quæ aliàs 11
pro lege habetur, ut oſtendit *§. diſponat, Novella 22.* eodemque ſpectat *l. 1. C. de ſacroſ. Eccleſ.*

Quod de herede ſtatutum eſt, idem ad promiſſorem quoque Ulpianus hoc loco accommodat: nam & hujus gratia † tempus in ſtipula- 12
tioni-

tionibus adjectum intelligitur: cui conſentit quoque *l.ſtipulatio iſta.38.§ inter incertam.& l.eum qui.41.§.pen.ſup.de verb.oblig.* ubi diſertè dicitur diei adjectionem pro reo ſive promiſſore eſſe, quod totum tempus medium ipſi ad ſolvendum relinquatur liberum.

Hinc mota eſt inſignis illa quæſtio, an quod
13 in † diem certam debetur, ante diem invito creditori ſolvi poſſit? hoc eſt, an is, qui pecuniam Calendis Martiis dare promiſit, ante iſtas Calendas, fortè Nonis Januariis, aut Idibus Februariis rectè illam creditori invito ſolvat? Doctores communiter hoc affirmant: Verùm ab iis diſſentiunt Æmylius Ferretus, ac Jacobus Cujacius, quorum ille in *d.§. inter incertam.n.3.* hic verò & in hac *l.præſente,& in d.§ inter incertam,*
14 contendit, † creditori invito ante diem ſolvi non poſſe, nec moram eum facere, ſi pecuniam ante diem à debitore oblatam ac depoſitam accipere recuſet: Proindeque pecuniam iſtam,
15 ſi interim pereat, creditoris † periculo non perire, per *l.acceptam 19. C. de uſur.& l.obſignatione.9. C.de ſolut.* quam ſententiam quoque noviſſimè probavit Joannes Borcholten in commentariis ſuis *ad tit.de verb.obligat.cap.6.n.33.& aliquot ſeqq.* Cæterùm fundamenta, quibus & Ferrettus & Cujacius, & hos ſecutus Joannes Borcholten hanc ſuam ſententiam corroborant, potiſſimùm dependent ex *l.pen.ſup.de eo quod cert.loc.dar. oport.l.ſi ſoluturus.39.& l.creditor.102.ſup.de ſolut.* In

d. l. pen. Ulpianus refert pecuniam † invito cre- 16
ditori nullo alio loco ſolvi poſſe, quàm in quo
ſolvenda promiſſa ſit: quod ipſum Scævola
quoque haud obſcurè innuit in pr. *l. qui Romæ*
122. ſup. de verb. oblig. At verò Africanus in *d. l. ſi ſo-*
luturus. inoportunum tempus † conjungit in- 17
oportuno loco, atque alterum alteri par facit.
Itaque nec invito creditori pecunia alio tem-
pore ſive die ſolvi poteſt, quàm quo dari debu-
it: præſertim cùm Africanus ibidem in termi-
nis quoque ſolutionem, quæ tempore inopor-
tuno facta eſt, eodem jure cenſeat, quo illam,
quæ inoportuno loco facta eſt, ac de utraque
ſtatuat, quod debitorem à periculo pecuniæ, ſi
quod interea obtigerit, neutiquam liberet.
Cum quibus, ut opinatur Cujacius in extremo
tractatu 8. ad Africanum, bellè congruit etiam
† Scævola in *pr. d. l. creditor.* quando debitoris de- 18
trimentum eſſe ait, ſi pecunia, quam creditor
ſibi à debitore oblatam ut alia die accepturus
diſtulit, poſtea quaſi ærosa juſſu præſidis ſubla-
ta ſive reprobata ſit. Debitori cur Scævola detri-
mentum adſcribat, ejus vix fingi alia ratio po-
teſt, quàm quòd creditori pecuniam is obtulit
ejuſmodi tempore, quo offerre illam non de-
buit.

Verùm reliqui juris interpretes attenden-
dum eſſe ajunt, utrius creditoriſne an debitoris
cauſa dies adjectus fuerit. Nam ſi † creditoris 19
cauſa dies adjectus ſit, ei invito ſolutionem de-
biti

biti præmaturè & ante diem obtrudi non poſſe concedunt, quod jus ei ſemel conventione
20 † quæſitum invito auferri nequeat. *l. ult. ſup. de pactis.* Sed ſi, ut regulariter fieri ſolet, atque in
21 dubio † quoque præſumitur, debitoris gratia dies adjectus ſit, eo caſu à Ferretto ac Cujacio diſſentiunt, atque ajunt, invito etiam creditori ante diem ſolvi poſſe id, quod in diem certum debetur: quod debitori etiam ex perpetuo jure
22 liceat † dilationi pro ſe introductę renunciare, per *l. pen. C. de pact.* Et hanc ſuam ſententiam
23 quatuor † potiſſimùm textibus niti ſcribunt, quorum unus extet in *l. quod quis. 50. ſup. de oblig. & act.* ubi Pomponius ei, qui aliquo anno dare promiſit, quolibet ejus anni die dandi poteſtatem concedat: alter in *d. §. inter incertam.* ubi Ulpianus diſertè dicat certa die promiſſum vel ſtatim dari poſſe: tertius *in l. continuus 137. §. cum ita. ſup. de verb. oblig.* ubi Venulejus ſimiliter refe-
24 rat ante diem ſolvi poſſe, † quod in diem debetur, licet peti non poſſit: quartus *in l. quod certa 70. ſup. de ſolut.* ubi Celſus prorſus idem ſcribat, videlicet vel ſtatim dari poſſe, quod certa die promiſſum eſt, ſiquidem totum medium tempus ad ſolvendum promiſſori liberum relinqui intelligatur. Verùm cùm textus modò memorati omnes generatim loquantur, nec in ſpecie volenti an invito creditori ante diem ſolvi poſſit, decidant, ac tam à Cujacio, quàm Ferretto de volente creditore duntaxat accipiantur,

tur, Donellus *in §. ult. d. l. eum qui*, de invito cre-
ditore illos exaudiendos eſſe affirmat, idque e-
vincit ex vi ac proprietate † verbi *Poteſt*. Nam in 25
prædictis ll. ſcriptum eſt, in diem promiſſum
ante diem ſolvi poſſe. At poteſt debitor, quod
ſuo jure poteſt, & poteſt ſuo jure, quod invito
creditore poteſt. Neque † enim poſſe dicen- 26
dus eſt id, in quo, quò minus poſſit, jure ab alio
prohiberi queat. Atque hujuſmodi interpreta-
tionem Donellus in citato loco confirmari ait
per rationem tam ab Ulpiano *in d. §. inter incer-
tam.* quàm à Celſo in *d. l. quod certa.* ſubjectam. U-
terque enim debitum, quod certa die promiſ-
ſum ſit, ideò ſtatim ſolvi poſſe ſcribit, quia to-
tum † tempus medium ad ſolvendum promiſ- 27
ſori liberum relinquatur. Liberum † autem id 28
demum dicitur, quod quis ita in manu & pote-
ſtate ſua habet, ut cùm velit, facere poſſit. Quod
ſi igitur creditori ſolutionem ante diem factam
detrectare liceret, liberum certè debitori tem-
pus intermedium ad ſolvendum non relinque-
retur. Atque in hanc ſententiam præter ſuperi-
orum ætatum interpretes ex recentioribus di-
ſertè conſentiunt Donellus *in fine cap. 8. lib. 15.
comment. de jur. civil. & in d. l. eum qui. §. ult. Antonius
Faber in cap. 1. lib. 1. conject.* Et Everhardus Bronc-
horſt *in aſſert. 95. cent. 2. itemq; in aſſert. 63. cent. 4.*
Eamque de jure veriorem eſſe ego ipſe judico,
motus † cumprimis diſcrimine non ſolùm pe- 29
titionis ac ſolutionis, ſed etiam diei certæ & in-

certæ;

certæ: quorum illud Venulejus *in d. §. cum ita:* hoc verò Ulpianus *in d. §. inter incertam.* ſtatuit,
30 ita quidem, ut Venulejus ſolutionem † ejus, quod in diem certum debetur, admittat, ſi ante diem iſta fiat, non verò illius petitionem, quippe quam in diem ſtatutum rejicit: Et Ulpianus ei, qui in diem certam debet, totum tempus medium ad ſolvendum liberum relinquat: e-
31 um verò, qui in diem † incertam debet, ita demum obligationi ſatisfeciſſe ducat, ſi poſt diei iſtius eventum ſolvere paratus ſit. Cujuſmodi diſcrimina nullius momenti erunt, niſi & Venulejus & Ulpianus ſic intelligatur, ut qui in di-
32 em certum debet, etiam invito creditori † ante diem ſolvere poſſit, cùm nihil obſtet quò minus à volente debitore creditor etiam ante diem ſuum petere poſſit, atque is quoque, qui in diem incertam debet, protinus liberetur, ſi ante diei iſtius eventum creditori volenti debitum ſolvat. Ac pro confirmatione ejuſdem
33 hujus ſententiæ plurimum † quoque facit *l. qui res ſuas 98. § mihi dare. ſup. de ſolut.* Ubi Paulus quærit, an Titio ſolutionis gratia adjecto Calendis Januariis rectè ſolvantur ea, quæ mihi Calendis Februariis promiſſa ſunt? ac tandem affirmativè reſpondet ex hac ratione, quòd mihi etiam ſolvi ante Calendas Februarias iſta poſſint, cùm ea obligatio in diem ſit. Cujuſmodi reſponſum niſi de me invito accipiatur, quæſtioni certè propoſitæ illud neutiquam conveniet.

Neq;

Neque aſſertionem hanc infringunt fundamenta iſta, quibus Ferretus ac Cujacius tantopere nituntur. Etenim † oppoſitam *l. pen. ſup.* 34
de eo quod cert. loc. dar. oport. accipio de ejuſmodi caſu, quando tempus, intra quod commodè ad locum præfixum perveniri potuit, omne effluxit, tum enim invito † creditori debitum ſolvi 35
alibi non poteſt, quoniam illud jam certo loco deberi incepit. Quòd ſi verò tempus ejuſmodi necdum effluxerit, etiam invito creditori pecunia in alio quàm conſtituto loco ſolvi poteſt, quia nondum venit illud tempus, quo pecunia certo loco debita dici atque hinc peti poſſit, *per l. 2. §. Scævola. verſ. & generaliter. ibi ante petitionem. ſup. de eo quod cert. loc. dar. oport.* idq; haud obſcurè ſentit Venulejus *in d. §. cùm ita.* ibi vel quia ubiq; poteſt ſolvere.

Deniq; nec objecta *l. creditor. ſup. de ſolut.* huic ſententiæ quicquam obeſt, quoniam ſermo ibi eſt de pecunia † cujus acceptionem creditor 36
fortè occupatus in alium diem diſtulerat, quæ ideò debitori eò loci periit, quia is ſponte illam ad ſe receperat, nec obligationis ſuæ liberationem urſerat. Quod ſi enim debitor pecuniam ſimulac à creditore accepta non fuit, ritè obſignatam depoſuiſſet, ipſo jure ab illius periculo immunis fuiſſet, *per l. obſignatione. 9. C. de ſolut.*

Ex quibus omnibus conſequitur, inoportuno † tempore oblatum illud non cenſeri, quod 37

ante tempus oblatum eſt. Petere quidem Im-
38 portuno † tempore dicitur, qui præmaturè at-
que ante tempus petit. *§. ſi quis agens. verſ. plus au-*
39 *tem. Inſtit. de action.* Sed qui ante tempus † debi-
tum offert, inoportuno tempore non offert,
cùm plus offerat, eaque ipſa oblatione faciat,
ut creditor citius pecunia frui poſſit, *per l. ut ſi*
cui. 12. §. 1. ſup. de verb. ſignif. & hinc quoq; gl. men-
tem eſſe *in l. 1. §. editiones. ad verb. ſumma. ſup. de e-*
dend. teſtatur VVeſenbecius *in §. ex contrario. In-*
ſtit. de legat. idq́ue ipſum præterea trito iſto ada-
40 gio: Bis dat, qui † citò dat, haud parum confir-
matur.

L. 18.

Pomponius libro ſexto ad Sabinum.

¶ *Quæ legata mortuis nobis ad heredem noſtrum tranſeunt, eorum commodum per nos his, quorum in poteſtate ſumus, eodem caſu adquirimus: aliter atq; quod ſtipulati ſumus: nam & ſub conditione ſtipulantes, omnimodo eis acquirimus, etiamſi liberatis nobis poteſtate domini conditio exiſtat.*

Summaria.

1 *Legata in quo differant à ſtipulationibus?*

2 *Legata patri vel domino eius, cui relicta ſunt, eo demum caſu acquiruntur, quando ita comparatæ*

ſunt

ſunt legata iſta, ut poſt mortem legatarii ad heredes tranſeant.

3 Legata purè vel in diem certum relicta heredibus legatarii cedunt.

4 Stipulatio ſervi quando patri non proſit?

5 Perſonalia perſonam contrahentis non egrediuntur.

6 Stipulator electionem ſibi reſervatam ad heredes ſuos tranſmittit.

7 Succeſſionis jus aliquando plus operatur quàm jus poteſtatis.

8 Legata ſub conditione, vel in diem incertum relicta heredi non cedunt, quando legatarius ante conditionis vel diei iſtius eventum deceſſit.

9 Dies incertus conditioni æquipollet.

10 Legata ſub conditione vel in diem incertum relicta patri vel domino non acquiruntur, ſi legatarius conditione vel die iſto exiſtente patris vel domini poteſtate liberatus ſit.

11 Stipulatio ſub conditione contracta in heredem tranſmittitur, etiamſi conditio poſt ſtipulatoris mortem extiterit.

12 Stipulatio conditionalis patri vel domino acquiritur, licet evenerit conditio tum, quando ſtipulator patris vel domini poteſtate exceſſit.

13 Tempus contractus in ſtipulationibus ſpectatur.

14 Tempus exiſtentis conditionis in legatis ſpectatur.

15 Teſtator in dubio heredi potius quàm legatario conſultum voluiſſe cenſetur.

16 *Legatorum conditionalium quæ ſit natura?*
17 *Stipulator & ſibi & heredibus ſuis proſpexiſſe intelligitur.*
18 *Manumiſſo nec prodeſt nec nocet id, quod in ſervitute egit.*
19 *Manumiſſus ex eo quod in ſervitute fecit, non aliter conveniri poteſt, quàm ſi connexum ſit illud cum eo, quod poſt manumiſſionem fecit.*
20 *Manumiſſus patrono ſuo tenetur ex ejuſmodi contractu, qui manumiſſionis cauſa initus eſt.*
21 *Contractus ſervorum tempore ſervitutis initi ne tum quidem valent, quando ſervi iſti manumiſſi ſunt.*
22 *Servus naturaliter ſaltem obligatur.*
23 *Obligatio naturalis actionem non parit.*
24 *Verbum* egit *in l. quod quis. 146. ff. de regul. jur. quid ſignificet?*
25 *Manumiſſus tenetur de delicto, quod in ſervitute commiſit.*
26 *Manumiſſio actionem noxalem directam facit.*

CUjacius *ad l. ſi filiusfam. 78. ſup. de verb. oblig.*
1 ait, in hac l. duas proponi differentias † inter legata & ſtipulationes: quarum prima hæc
2 eſt: legata † quæ poſt mortem legatarii ad ipſius heredem tranſeunt, etiam patri vel domino, ſi in ejus poteſtate legatarius ſit, eodem caſu acquiruntur. Cùm igitur *ex l. ſi poſt diem. 5. §. 1. ſup.*
3 *quand. dies leg. ced.* conſtet, † legata purè vel in diem certum relicta ad heredes legatarii transferri.

ferri, quòd horum dies vivo legatario ceſſerit, *per l. cedere diem. 213. in pr. ſup. de verb. ſignif.* conſequens eſt, ejuſmodi legata patri quoque vel domino legatarii acquiri. Secus ſe res habet in ſtipulationibus, quæ, licet in heredem tranſmittantur, patri tamen vel domino ſtipulatoris non ſemper acquiruntur. Cujus exemplum extat *in §. ſed cum factum. Inſtit. de ſtipul. ſerv.* ubi domino non proficit † ſtipulatio, quâ ſervus cavit, ut ſibi ire, agere liceat, cum facta † perſona- 4
lia ſint, eoq; ad dominum non tranſeant, teſte 5
Paulo *in pr. l. qui heredi. 44. ſup. de condit. & demonſt.* Sic ſtipulator, licet † electionem, quam ſibi reſervavit, ad heredem ſuum tranſmittat, ita ut e- 6
ligere is poſſit utrum voluerit, ſi ſtipulator ipſe vivus non elegerit: patri tamen vel domino, ſi in alterutrius poteſtate ſit, electionem iſtam non acquirit, *per l. ſi ſtipulatus. 76. & l. ult. in pr. ſup. de verb. oblig.* cujus diverſitatis rationem Cujacius *in pr. d. l. ſi ſtipulatus.* hanc reddit, quod jure † ſucceſſionis quis facilius quàm jure poteſta- 7
tis alteri deferat id, quod in ſuam perſonam contulit.

Altera differentia ex contrario ſuperioris regulæ ſenſu elicitur, videlicet † legata, quæ ad 8
heredem legatarii non tranſmittuntur, ea neq; patri vel domino ipſius acquiruntur. Hujuſmodi autem ſunt legata ſub conditione, vel in diem incertum relicta: hæc enim heredi non cedũt, ſi legatarius diem ſuum obierit antè quàm

conditio vel dies ille evenerit: ac proinde nec patri vel domino ipſius legatarii acquirentur,
9 ſi conditione, vel qui † huic æquipollet, die in-
10 certo exiſtente legatarius poteſtate patria † vel dominica liberatus ſit, *d. l. ſi poſt diem. §. ſed ſi ſub conditione.* In ſtipulationibus diverſum fit: Hæ
11 enim † ſi ſub conditione vel in diem incertum factæ ſint, in heredem tranſmittuntur, quamvis conditio poſt mortem ſtipulatoris extiterit. Idem obtinet in ſtipulatore, qui patris vel domini poteſtati ſubjacet: hic enim patri vel domi-
12 no acquirit, quod † in ſtipulationem ſub conditione deduxit, etiamſi extiterit conditio poſtquam è poteſtate patris vel domini ille exceſſit. Cujus differenriæ ratio nulla eſt alia, quàm
13 quod in ſtipulationibus † tempus contractus ſpectetur, *d. l. ſi filiusfam. & l. non omne 144. §. 1. inf.*
14 *h. t.* In † legatis verò attenditur illud tempus, quo conditio exiſtit, *l. legata. 41. ſup. de condit. & demonſt.* Quæ ipſa ratio ex mente tum teſtatoris, tum ſtipulatoris procul dubio dependet. Nam teſtator ex eo, quod ſub conditione legatum
15 reliquit, ita demum illud legatario † delatum voluiſſe intelligitur, ſi conditio exiſtat: ſiquidem heredis potiorem quàm legatarii rationem habuiſſe cenſetur, *per l. unum ex familia 67.*
16 *§. ſi rem tuam. ſup. de legat. 2.* Hinc fit, ut legatis † conditionalibus hæc videatur ineſſe conditio, ſi legatarius vivat, & ideò mortuo eo, ad ipſius legatarii videlicet heredem legatum nõ tranſit.

l. 4.

l.4.ſup.de ann.legat. cùm ſuo magis quàm legata-
rii heredi, quippe quem nec reſpexit, proſpe-
ctum voluiſſe teſtator præſumatur. At verò † 17
ſtipulator non ſibi tantùm, ſed poſteris etiam
ac ſucceſſoribus ſuis conſultum voluiſſe exi-
ſtimatur, *per l ſi pactum 9.in fin. ſup. de probat.* at-
que hinc ab initio ſtipulationem valere volu-
it, etiamſi conditio ei adjecta necdum extite-
rit, *argumento l. ſi Stichum 16. §.1. ſup. de verb. ob-
ligat.*

Atque hinc illud eſt, quod Paulus *in l. quod
quis.146.inf.h.t.* ait, ſervo libero facto † proficere 18
non poſſe id, quod dum ſervus eſt, egit. Quem-
admodum & vice verſa eidem poſt manumiſſi-
onem non nocet id, quod in ſervitute egit: ſic
ut nec ei, nec in eum hoc nomine actio detur,
† niſi connexum id ſit cum eo, quod poſtquam 19
manumiſſus eſt, geſſit: tum enim tempus prius
trahitur ad poſterius, teſte Ulpiano *in l. eum a-
ctum. 17. ſup. de negoc. geſt.* cui Papinianus quoque
ſuffragatur *in l. tutorem 37. §. 1. ſup. de adminiſt. &
peric. tutor. & curat.* Similis exceptio proponitur
ab Imp. Alexandro *in l.3. C. an ſerv. pro ſu. fact. poſt
manumiſſ. ten.* ubi manumiſſum ſuo manumiſ-
ſori ex contractu ante libertatem inito teneri
ait, ſed ita, ſi † contractus iſte manumiſſionis 20
cauſa factus ſit, veluti ſi pecunias ob libertatem
patrono promiſerit. Extra hos caſus nulla in
manumiſſum datur actio ex eo quod in ſervi-
tute egit, quia † contractus habiti in ſervitute 21

pro nullis habentur: neque enim obligatio na-
22 turalis, † quâ ſolâ ſervus tenetur, *per l. ſervi. 14.*
23 *ſup. de oblig. & action.* actionem † aliquam parit, ſicut notant *Dd. ad pr. tituli Inſtit. de obligation.* Ubi
24 prætereundum hoc non eſt, verbum † *Egit*, in allegata *l. quod quis.* generatim pro quovis actu accipiendum non eſſe, ſed illos ſaltem denotare actus, qui cum delicto conjuncti non ſint. Quod ſi enim manumiſſus eo tempore, quo in ſervitute adhuc conſtitutus fuit, delictum aliquod admiſerit, delictum hujuſmod ita non æſtimabitur, ſicut pactum vel contractus in ſervitute ab ipſo initus: verùm hujus delicti nomi-
25 ne conveniri † manumiſſus poteſt ab extraneo, in quem deliquit, *d. l. ſervi, in pr.* quoniam actio quæ erat noxalis, & in dominum dabatur, quamdiu delinquens in ejus poteſtate erat, per
26 † manumiſſionem fit directa, & in ipſum delinquentem redditur. *§. omnis autem. Inſtit. de noxal. action.* id quod *in l. in perſonam. 22. & in pr. l. ad ea quæ 157. inf. h. t.* paulò plenius declarabitur.

L. 19.

Ulpianus libro 24. ad Sabinum.

§ *Qui cum alio contrahit, vel eſt, vel debet eſſe non ignarus conditionis ejus: heredi autem hoc imputari non poteſt, cùm non ſponte cum legatariis contrahit.*

Sum-

SUMMARIA.

1 *Contrahentis intereſt, ut noverit conditionem ejus, cum quo contrahit.*

2 *SCti Macedoniani exceptio eum quoque ſubmovet, qui pecuniam mutuam dedit illi, quem filiumfam. eſſe neſcivit.*

3 *Furtivam rem domino reſtituere tenetur is, qui bona fide illam emit, etiamſi precium, quod ſolvit, non receperit.*

4 *Mercari quis cautè debet.*

5 *Fidejuſſor ſemel acceptus reprobari poſtea non poteſt, quamvis minus idoneus reperiatur.*

6 *Ignorantia ipſo jure juſta regulæ huic locum non facit.*

7 *Ignorantia juſta in fœminis utplurimum præſumitur.*

8 *Conditionem alterius inquirere, viris potius quàm mulieribus convenit.*

9 *Heredes creditorum hereditariorum conditionem ita accuratè inquirere non tenetur ſicut contrahentes.*

10 *Heres liberatur ſimul ac legatum ſervo ſolvit, etiamſi poſtea illud ſervi incuria deperditum ſit.*

11 *Intellectus l. 3. §. ult. ff. quib. ex cauſ. in poſſeſſ. eat.*

12 *Heres adeundo hereditatem an cum legatariis verè non contrahat?*

CONtrahentium † permagni intereſt, ut alter alterius conditionem probè explora- 1

tam habeat. Quod ſi enim quis ignarus conditionis ejus, cum quo contrahit, damni quid ex iſto contractu fecerit, jacturam iſtam nulli alii quàm ſibi adſcribet, cùm melius conditionem ejus explorare debuerit, nec fecerit, *argumento l. quod te. 5. ſup. ſi cert. pet.* Hujus exemplum ſumi
2 poteſt † *ex l. pen. ſup. de SC. Macedon.* Ubi is, qui filiofam. pecuniam dedit mutuam, quam ille poſtmodum dilapidavit, exceptionem SCti Macedoniani ſibi mutuum repetenti oppoſitam excludere ſub hoc prætextu non poteſt, quòd filiumfam. eum eſſe neſciverit, cùm in conditionem illius diligentius inquirere debu-
3 iſſet. Atque ex eodem fundamento qui † rem furtivam emit, eandem domino reſtituere cogitur, quamvis precium, quod ſolvit, non receperit: neque eſt quod de domino hoc caſu que-
4 ratur, cùm cautius † mercari diſcendum ipſi fu-
5 iſſet, *l. 2. C. de furt.* Sic qui fidejuſſorem † minus idoneum ſemel accepit, eundem reprobare poſtea non poteſt: ſiquidem prius facultates ejus diligentius explorare debuiſſet. *l. 3. in fin. ſup. de fidejuſſ.* Quod ſi tamen contrahens ejuſmodi
6 † ignorantiam prætexat, quæ jure ipſo juſta judicetur, regulæ huic locus non erit, per ea quæ
7 notat Decius *hîc n. 3.* Cujuſmodi † ignorantia ut plurimum in fœminis præſumitur, veluti docet Menochius *de arbitr. judic. quæſt. lib. 2. caſ. 182. n. 71. & ſeq.* ubi ait, virilis potius officii eſſe, ſcire
8 ac perſcrutari † hominis conditionem, quàm mulie-

mulieris, idque notari à Tryphoniano *in fine l. ult. ſup. qui pet. tutor. vel cur.*

At verò heredum † potior hoc caſu habetur ratio, quàm contrahentium, neque enim ipſis perinde ut contrahentibus imputatur protinus, ſi legatariorum, aliorumque creditorum hereditariorum conditionem, ſive, ut Cujacius hìc interpretatur, ſtatum exactè adeò exploratum non habuerint. Unde † liberatur heres, ſi ſervo, quem liberum eſſe credit, legatum ſolvat, idque prius quàm in manus domini pervenerit, deperditum ſit, veluti ex Bulgaro docet Cujacius *in cap. 36. lib. 7. obſ.* ubi hâc legem pluribus illuſtrat. Neq; cum his pugnat quod † *in fine l. 3. ſup. quib. ex cauſ. in poſſeſſ. eat.* heres cum legatariis contrahere dicitur, ſimulac hereditatem adierit: quoniam verbum *videtur*, quo Ulpianus eò loci utitur, ſatis arguit, heredem † adeundo hereditatem cum legatariis verè non contrahere: neque enim ſponte cum iis contrahit, hoc eſt, ipſe legatarios non facit, ſed in eos incidit per aditionem hereditatis, *argumento l. defenſor 22. ſup. de tutel. & ration. diſtr.* Atque hinc Juſtinianus *in § heres quoque. Inſtit. de obligat. quæ ex quaſi contr. naſc.* heredem legatorum nomine propriè ex contractu obligatum non intelligi refert.

9 10 11 12

Ad §. 1.

§ Non

§ *Non ſolet exceptio doli nocere his, quibus voluntas teſtatoris non refragatur.*

SUMMARIA.

1 *Petens id, quod reddere tenetur, dolo facit.*

2 *Intellectus l. ult. §. 1. ff. de dol. mal. & met. except.*

3 *Teſtatoris voluntas facere poteſt, ut peti poſſit vel id, quod aliquando reſtituendum eſt.*

4 *Heres debitum purum petere poteſt ab eo, cui ſub conditione illud legatum eſt.*

5 *Legatarius rem ſub conditione ſibi in teſtamento relictam heredi antè reſtituere nō tenetur, quàm ſi cautionem ab ipſo habeat, quod exiſtente conditione legatum reſtituere velit.*

6 *Petens rem ex intervallo reſtituendam dolo non facit.*

7 *Peti poteſt res reſtituenda, dummodò reſtituenda illa ſit alii, quàm à quo petitur.*

8 *Spoliatus ante omnia reſtituendus eſt.*

9 *Poſſeſſione nemo abſq; ſufficienti cauſa cognitione privari debet.*

10 *Poſſeſſionem ſpoliantis ne Princeps quidem confirmare poteſt.*

1 REgula juris eſt, dolo facere eum, qui † petit id, quod reddere tenetur, *l. in condemnatione. 173. §. ult. inf. h. t. & l. dolo 8. ff. de dol. mal. & met. except.* Eodemque pertinent *l. Seja fundos. 73. ſup. de evictiom. l. ſi teſtamento 49. in prin. ſup. de fidejuſſ. l. cùm à matre. 14. C. de rei vendic.* itemq; *l. ult. §. 1. ſup. de dol. mal.*

mal. & met. except. ubi † quæritur, an heres avi ab 2
ipſius nepotibus quindecim, quæ pater illorum
avo debuit, petere poſſit eo caſu, ſi nepotibus
iſtis avus in ſuo teſtamento centena legaſſet, hiſce verbis: Ignoſcite, non potueram vobis amplius relinquere, quoniam à patre veſtro quindecim mutua data recipere non potui? Scævola reſpondet, quindecim iſta peti non poſſe; quòd teſtator verbis iſtis ſatis oſtenderit, ſe nepotibus ſuis liberationem iſtorum quindecim reliquiſſe: proinde exceptione doli heredem ſubmovendum eſſe, quaſi petat id, quod avus penes ſuos nepotes remanere voluiſſet.

Cæterùm regula prædicta ſuas quoque habet exceptiones: quarum una in §. præſente traditur, videlicet, ſi voluntas † teſtatoris petenti 3
non refragetur, tum enim peti res poteſt, etiamſi aliquando reſtituenda illa ſit, *argumento l. legata 41. ſup. de cond. & demonſtrat.* Ejusq; inſigne exmplum proponitur *in pr. l. 5. ſup. de dol. mal. & met. except.* ubi Paulus doli exceptione heredem
ſubmoveri non vult, ſi debitum † purum exigat 4
ab eo, cui teſtator illud ſub conditione legavit: cùm deficere iſta conditio poſſit. Heredi itaque debitor reſtituere tenetur id, quod teſtatori purè debuit, dummodo cautionem heres præſtet,
quod † exiſtente conditione legatum reſtitue- 5
re velit. Et aliâs generaliter prædictæ regulæ lo-
cus non eſt, ſi res non ſtatim, ſed ex † intervallo 6
ſit reſtituenda: tum enim petitori commodum
tem-

temporis intermedii denegandum non eſt, ſicuti patet *ex l. ult. §. 1. ſup. ut legat. ſervand. cauſ. caveat.* Deinde regula propoſita locum non ha-
7 bet, ſi quis petat id, quod reſtiturus † quidem eſt, ſed alii quàm ei à quo petit, veluti docet exemplum, quod refert Paulus *in l. ſi ſocer. 44. §. 1. ſup. ſolut. matrim. quemad. dos pet.* Denique nec ſpoliato regula hæc opponi poteſt, quoniam ante
8 † omnia ei reſtitui oportet rem, cujus poſſeſſione dejectus eſt, etiamſi nihil omnino juris in re iſta habeat, *l. ſi quis. 7. C. ad l. Jul. de vi publ.* Eum namque favorem jura poſſeſſioni ob bonum
9 publicum indulſerunt, ut † neminem, quicunque tandem is ſit, abſq; judiciorum ordine poſſeſſionis jure privari velint, quemadmodum videre eſt ex iis, quæ præter alios notant *Sichard. ad l. cum ſervum 6. n. 6. C. de ſerv. fugit. Menoch. lib. 2. de arbitr. judic. quæſt. caſ. 20. n. 1. & ſeq. & de recup. poſſ. remed. 1. n. 329. Andreas Geil. in obſ. 76. lib. 2. pract. obſervat. Didac. Covarruvias in cap. 23. n. 3. verſ. huic etiam opinioni accedit, lib. pract. quæſtion. Matth. de Afflict. deciſ. Neapol. 97. n. 3. Catheran. deciſ. Pedem. 116. n. 6. & conſ. 67. n. 28. Marant. conſ. 10. n. 26. Port. conſ. 56. n. 6. & conſ. 182. n. 1. Tib. Decian. reſp. 37. n. 19. & 26. vol. 3. & reſp. 67. n. 23. vol. 5. Schurf. conſ. 58. n. 2. cent. 2. & conſ. 6. n. 7. cent. 3.* ubi ait, ne judicis quidem eam eſſe poteſtatem, ut ſine ſufficienti cauſæ cognitione quempiam poſſeſſione ſpoliare poſſit: quod ipſum quoq; tradit *Tib. Decian. in reſp. 46. n. 15. vol. 1.* ubi quod de judice Schurf-
ſius

ſius dicit, etiam ad † Principem accommodat, videlicet quòd reſtitui ſpoliatus debeat, quamvis violentiam ſpoliantis poſſeſſionem Princeps confirmaſſet: quod ipſum quoque conſulendo ſecutus eſt *VVeſenbecius in conſil. 48. n. 53. & ſeq.* 10

L. 20.

Pomponius libro ſeptimo ad Sabinum.

¶ *Quotiens dubia interpretatio libertatis eſt, ſecundum libertatem reſpondendum erit.*

Summaria.

1 *Liberalis cauſa quæ ſit?*

2 *Poſſeſſor in pari cauſa non ſemper vincit.*

3 *Libertas in dubio palmam obtinet.*

4 *Libertas omnibus rebus favorabilior eſt.*

5 *Servus, qui in teſtamento liber eſſe juſſus eſt, libertate potitur, etiamſi conditio, ſub qua in eodem teſtamento legatum ipſi eſt relictum, prorſus defecerit.*

6 *Servus manumiſſus eſſe cenſetur eo caſu, quando dubium exiſtit utrum manumiſſus ſit.*

7 *Libertatis favor benigniores ſententias exprimit.*

8 *Libertatis cognitio non ad arbitrum, ſed ad majorem judicem ſpectat.*

9 *Servitus illa dura quatenus olim in uſu fuit, hodie ſublata eſt.*

10 *Servitutis veſtigia in ruſticis colonis, ac propriis hominibus adhuc paſſim in Germania conſpiciuntur.*

11 *Liberalium cauſarum uſus hodie quoque magnus eſt.*

1 QUando † cauſa liberalis movetur, altero ſe liberum aſſerente, altero verò ſervitutem prætendente, eoque res devenit, ut conſtare non poſſit, libérne an ſervus ille pronunciandus ſit, quòd neuter ſuam intentionem ſatis probârit: hoc caſu, licet communis juris obſer-
2 vatio ſententiam † in pari ejuſmodi causâ pro poſſeſſore ferri velit, *per l. in pari 128. in pr. inf. h.t.* tamen quòd fieri ea ratione poſſit, ut in ſervitu-
3 tem trahatur is, qui revera liber eſt, ideo † ſecundum libertatem, ut Pomponius hoc loco refert, reſponderi jura volunt: præſertim cùm
4 libertas omnibus aliis † rebus favorabilior ſit, teſte Gajo *in l. libertas. 122. inf. h.t.* Hinc fit, ut ſi
5 ſervus † in teſtamento liber eſſe juſſus ſit, eique ſimul legatum ſub conditione relictum, deficiente conditione nihilominus libertas ei competat, *l. ſi ſervus. 19. ſup. de ſtat. liber.* Quin imò ſi de manumiſſione ſervi lis ſit, ac dubitetur utrum
6 dominus eum † manumiſſum voluerit, in dubio iſto liber pronunciabitur, veluti tradit Pau-
7 lus *in l. in obſcura. 179. inf. h.t.* Etenim † favor libertatis ſæpe & alias benigniores ſententias exprimit, ut notat Marcianus *in l. pœnales 32. §. ult.*

ſup.

ſup.ad l.Falcid. Atque ex eodem favore hoc quoque receptum fuit, ut de libertate adiri arbiter non poſſet, verùm † cognitio ejus ad majores judices ut Prætores ac præſides referenda eſſet. *l.nõ diſtinguemus.32.§.de liberali.ſup.de recept.arbitr.* 8

Etſi autem dura illa ſervitus optima ratione hodie eſt † abolita, totumq; manumiſſionis ac 9
judiciorum liberalium jus ab uſu noſtro receſſit: ipſa tamen ſervitus, quam Principes, cæteriq; Domini hodie pro diverſa Germaniæ conſuetudine † in ruſticis, colonis, adſcriptitiis, & 10
propriis hominibus habent, etiámnum in uſu eſt, & ſi de illa fortè controverſia exiſtat, non ſolùm utiliter illa agitari, ſed decidi etiam poterit commodiſſimè ex his, quæ de cauſis † liberali- 11
bus in jure noſtro prodita ſunt, veluti Oldendorp.*in act.9. claſſis 3.*eruditè hoc demonſtrat.

L. 21.

Ulpianus libro 27. ad Sabinum.

§ *Non debet, cui plus licet, quod minus eſt non licere.*

SUMMARIA.

1 *Minus utiq; licet ei, cui plus licet.*

2 *Occidi qui poteſt, is & contumelia affici multò magis poteſt.*

3 *Alienari te invito quod poteſt, id ignorante & abſente te magis alienari poteſt.*

4 Præſentia ejus, quo invito negocium expediri poteſt, neceſſaria non eſt.

5 Scientia ejus non requiritur in iſto actu, qui ipſo invito expediri poteſt.

6 Donare qui poteſt, is & vendere poteſt.

7 Concedere quid in jure ſignificet?

8 Donare propriè dicitur is, qui rem donatam amplius habere non vult.

9 Venditio non eſt ſine receptione precii.

10 Uſu finito recipitur ea res, quæ in uſum iſtum ab altero conceſſa eſt.

11 Intellectus l.ult.C.de jur.emphyteut.

12 Emphyteutica res cur invito domino donari alteri poſſit?

13 Conſultum quivis ſibi potius vult quàm alii.

14 Liberalitas impediri non debet.

15 Emphyteuta jus ſuum alteri invito domino vendere non poteſt.

16 Præſes provinciæ cur deportandi jus non habuerit?

17 Magiſtratus ea, quæ ſunt meri imperii, arrogare ſibi non poteſt, niſi ſpeciatim illa lege conceſſa habeat.

18 Deportandi jus is demum habet, cui lege illud nominatim conceſſum eſt.

19 Gladii jus cui tributum eſt, is nec ſecuri, nec laqueo, nec veneno, nec ullo alio modo hominem necare poteſt.

20 Latrunculator poteſtatem judicandi de re pecuniaria non habet, licet ipſos latrones perſequi poſſit.

21 He-

21 *Hereditatis pars repudiari non poteſt.*
22 *Hereditas eſt individua.*
23 *Heres non admittitur, niſi in univerſum jus defuncti ſuccedat.*

IPſa ratio naturalis hoc dictat, ut ei, cui † plus licet, utiq; liceat & id, quod minus eſt. Unde 1
qui † occidere adulterum poteſt, multò magis 2
contumelia afficere eum poterit, ſicut ratiocinatur Papinianus *in l. nec in ea. 22. §. pen. ſup. ad l. Jul. ſup. de adult.* Sic qui invitis † alienare poteſt, 3
multò magis iiſdem & ignorantibus & abſentibus alienare poterit. *l. qui poteſt. 26. inf. h. t.* Nam plus eſt invito aliquo alienare poſſe, quàm † 4
abſente & ignorante; quoniam abſens forſitan alienationi contradicturus non fuiſſet. Et aliâs tritum eſt fruſtra expectari † præſentiam aut 5
ſcientiam ejus, quo invito etiam actus expediri poteſt. *per l. aliquando 13. §. ult. ſup. ad SC. Velleian.* Atq; huc pertinet etiam *l. cui jus eſt. 163. inf. h. t.* ubi Ulpianus & vendendi † & concedendi jus tri- 6
buit ei, cui jus eſt donandi: quod plus ſit donare, quàm vendere vel † cõcedere, hoc eſt, uſum 7
rei permittere, ut interpretatur Scævola *in pr. l. Lucius. 88. ſup. de legat. 1.* Qui enim † donat, gratui- 8
tò rem alienat; & quidem ea mente, ut illam ſtatim donatarii fieri, nec ullo caſu ad ſe reverti velit. *l. 1. in pr. ſup. de donat.* Sed qui † rem vendit, 9
precium ejus loco recipit. *§. precium autem. Inſtit. de empt. & vendit.* Et qui alteri rem in uſum † 10

concedit,ita concedit,ut eam rem finito uſu re-
cipiat, veluti natura eorum, quæ locata, cõmo-
data, mutua data, vel ſimili aliquo modo con-
ceſſa ſunt, ſatis arguit, *per l. videamus 11. §. pen. ſup.*
locat. l. 3. §. 1. ſup. commodat. l. 2. in pr. & l. 3. ſup. ſi cert.
11 *pet.* Verùm his adverſari † videtur *l. ult. C. de jur.*
emphyteut. ubi ex reſcripto Imp. Juſtiniani jus
emphyteuticum ſine domini conſenſu vendi
nequit : quod tamen ex ejuſdem Juſtiniani mẽ-
te donari poteſt, quamvis domini conſenſus
non interveniat, ut notant *Doctores communiter*
ad §. adeò autem. Inſtit. de locat. & conduct. Reſpon-
12 deo † jus emphyteuticum ideo ſine domini vo-
luntate donari poſſe, quia nunquam aut rariſſi-
mè in donationem iſtam dominus conſenſu-
13 rus eſſet, ſed ſemper † ſibi potius, quàm alteri
14 jus illud donatum vellet, id quod † liberalita-
tem emphyteutæ maximoperè impediret. Qui
verò jus emphyteuticum vendit, is ſine ulla ſua
injuria illud domino vendere poteſt, cùm per-
inde emphyteutæ ſit, à Domino vel ab alio
quopiam precium ſui juris ac meliorationum
15 conſequatur. Itaq; Juſtinianus † domino prius
denunciari iſtam venditionem voluit, ut, ſi ipſe
emere vellet, aliis præferretur, quemadmo-
dum hoc pluribus declarat Donellus *in cap. 14.*
lib. 9. comment. de jur. civil.

Deinde cum eadem hac regula pugnat *l. 1. §.*
deportatos autem. ſup. de legat. 3. & l. inter pœnas. 6. §. 1.
ſup. de interdict. & releg. ubi Ulpianus jus depor-
tandi

tandi in inſulam † præſidi provinciæ datum eſ- 16
ſe negat: cùm tamen eundem præſidem idem ille Ulpianus *in l. illicitas. 6. §. pen. ſup. de offic. præſid.* & gladii & in metallum damnandi jus habere diſertè ſcribat. Reſpondeo † magiſtratum ea, 17
quæ meri ſunt imperii, jure magiſtratus ſibi arrogare nõ poſſe, niſi ſpeciatim illa lege conceſſa habeat, *per l. aut damnum. 8. §. 1. ſup. de pœn.* Cùm igitur præſidi Provinciæ jus gladii atque in metallum damnandi duntaxat nominatim conceſſum ſit, ad † jus deportandi certè, licèt minus 18
hoc ſit, extendi iſta poteſtas non poteſt: præſertim cùm Ulpianus *in §. 1. d. l. aut damnum.* jus † 19
gladii ita ſtrictè accipiat, ut nec ſecuri, nec laqueo, nec veneno, nec quo alio modo necandi poteſtatem præſidi conceſſam eſſe ſtatuat. Eodemque pertinet *l. ſolemus 61. §. 1. ſup. de judic.* ubi † latrunculatori poteſtas de re pecuniaria judi- 20
candi non datur, cùm tamen eidem & conquirendi & perſequendi latrones poteſtas fuerit, ut patet *ex fine Novella 8.* Denique regulæ huic non obſtant *l. 1. & l. 2. ſup. de acquir. vel omitt. heredit.* ubi † partem hereditatis repudiare nemini 21
licere ſcriptum eſt, quamvis tota hereditas repudiari poſſit: quoniam † hereditas eſt res indi- 22
vidua, *l. Pomponius 8. ſup. de rei vendic.* Unde etiam heredi incumbit, ut aut † in omne defuncti jus 23
ſuccedat, aut univerſum repudiet. *l. heres. 37. ſup. de acquir. vel omitt. hered.*

L. 22.

Ulpianus libro 28. ad Sabinum.

¶ *In perſonam ſervilem nulla cadit obligatio.*

SUMMARIA.

1 *Servi ex delictis ita obligantur, ut manumiſſi etiam obligati maneant.*
2 *Servi contrahentes naturaliter ſaltem obligantur.*
3 *Obligationis civilis effectus.*
4 *Servitus morti comparatur.*
5 *Actio nulla eſt cum ſervo.*
6 *Actio ſine obligatione nulla eſt.*
7 *Servus in judicio verſari non poteſt.*
8 *Servus expedire non poteſt iſtum actum, qui per hominem liberum expediri debet.*
9 *Servus judex eſſe non poteſt.*
10 *Tutela ſervo demandari non poteſt.*
11 *Reipublicæ cauſa ſervus abeſſe non poteſt.*
12 *Servus in teſtamento teſtis eſſe non poteſt.*
13 *Compromiſſum in arbitrium ſervi factum, nullum eſt.*
14 *Servi iſtius, quem omnes liberum eſſe putant, actitata rata habentur.*
15 *Obligatio naturalis ſolo æquitatis vinculo ſuſtinetur.*
16 *Homines omnes jure naturali æquales cenſentur.*
17 *Connani error.*
18 *Fidejuſſor pro ſervo acceptus obligatur.*

19 Ser-

19 *Servi nomine ſolutum ceu indebitum repeti non poteſt.*

20 *Servus in quibus caſibus naturaliter non obligetur.*

21 *Dominus in iis caſibus actione de peculio non tenetur, in quibus ſervus ejus nec naturaliter obligatur.*

22 *Delicta ſervum perinde ut hominem liberum ligant.*

23 *Delicta cuivis homini interdicta ſunt.*

24 *Servi ex contractibus aliter non obligantur, quàm ſi peculium habuerint.*

25 *Contrahens cum homine malæ fidei de ſe queri debet, ſi læſus ab ipſo fuerit.*

26 *Servus delicti ab ſe commiſſi nomine conveniri non poteſt.*

27 *Dominus ratione delicti à ſervo commiſſi actione noxali tenetur.*

28 *Iudicium inter homines liberos duntaxat conſiſtit.*

29 *Noxa caput ſequitur.*

QUod Ulpianus hîc indiſtinctè ait, in perſonam ſervilem nullam cadere obligationem: hoc idem ille Ulpianus *in l. ſervi, 14. ſup. de oblig. & act.* ita diſtinguit, ut † ſervi ex delictis 1 quidem obligentur, & obligati remaneant, ſi manumittantur: Ex contractibus autem civiliter non obligentur, ſed † naturaliter ſaltem & 2 obligentur & obligent. Itaque quod ad con-

3 ventiones attinet, obligatio civilis, quæ † videlicet juris neceſſitate quempiam adſtringit ad quid dandum vel faciendum, *per l. 3. in pr. ſup. de oblig. & act.* ſervos non tenet, quoniam jure civili ſervi pro nullis habentur, *l. quod attinet 32. inf.*
4 *h.t.* ſic quidem ut & † morti ſervitus cōparetur, *in l. ſervitutem 209. inf. h.t. & in l. cum hic. 32. § ſi donator. ſup. de donat. in vir. & uxor.* Atque ob eandem
5 hanc cauſam nec ulla † cum ſervo eſt actio, veluti refert Gajus *in l. cum ſervo. 107. inf. h. t.* ſiqui-
6 dem naſci actio † nulla poteſt, ubi nulla obligatio ſubeſt, *per §. pen. Inſt. de noxal. action.* Quamvis nec ex hoc fundamento cum ſervo actio eſſe poſſit, quod judicium, in quo proponenda eſt actio, *per l. nihil aliud. 51. ſup. de oblig. & actio.*
7 cum † ſervo neutiquam conſiſtat, *l. ſervus 6. C. de judic.* Eodemque ſpectat, quod Paulus *in pr. l. in*
8 *his 175. inf. h. t.* ait, ſervum intervenire † non poſſe in his officiis, quæ per liberas fieri perſonas
9 leges deſiderant. Unde ſervus † nec judex eſſe
10 poteſt, *l. cum Prætor 12. §. pen. ſup. de judic.* nec † tu-
11 tor, *§. 1. Inſtit. qui teſtam. tut. dar. poſſ.* nec † Reipub. cauſa ſervus abeſſe poteſt, *l. ult. inf. h. t.* nec in te-
12 ſtamento † teſtis eſſe poteſt, *l. qui teſtamento 20. §. ſervus quoque. ſup. qui teſtam. facer. poſſ.* nec in arbi-
13 trium ſervi † compromitti poteſt, *l. Pedius 7. §. 1. ſup. de recept. arbitr. & l. illa verba. 68. ſup. de verb. ſi-*
14 *gnif.* quamvis ea, quæ à ſervo, quem † omnes liberum eſſe putârunt, geſta ſunt, ob utilitatem publicam poſtmodum rata haberi ſoleant, *per*

l. 3.

l.3.ſup.de offic. Prætor. At verò naturalis † obliga- 15
tio, quæ videlicet ſolo æquitatis vinculo ſuſti-
netur, *per l. Stichum. 95. §. naturalis. ſup. de ſolut.* in
ſervum perinde ut in hominem liberum cadit,
quia jure † naturali omnes homines liberi at- 16
que æquales cenſentur, *d.l.quod attinet. §. jus au-
tem gentium. Inſtit. de jur. nat. genti. & civil.* Idque,
licèt ſecus ſentiat † Connanus *in cap. 3. n. 4. lib.* 17
2. ſuorum comment. effectus hujus obligationis
ſatis arguit. Nam † fidejuſſor pro ſervo acce- 18
ptus tenetur: nec ceu indebitum † repeti po- 19
teſt, quod quis nomine ſervi ſolvit, *l.naturaliter.
13. & l.ſi quod 64. ſup. de condict. indeb.* Verùm Cu-
jac. *in cap. 11. lib. 8. obſ.* quatuor caſus excipit, in
† quibus nec naturali jure ſervus teneri poſſit, 20
videlicet ſi ſervus extra peculii cauſam pro alio
intervenerit, ſi compromiſerit, ſi judicio con-
demnatus fuerit, & ſi actori in judicio jusjuran-
dum detulerit; atque ideò nec de peculio actio-
nem † adverſus dominum hiſce caſibus com- 21
petere affirmat, *l.ſi fidejuſſor. 59. ſup. de condict. in-
deb. l.ſervus 19. cum l.ſeq. ſup. de fidejuſſ. l. 3. §. ſi ſervus.
ſup. de pecul. & l.ſervus. 20. ſup. de jurejuran.*

Denique ex delictis † ſervi non minus quàm 22
homines liberi obligantur, *d.l.ſervi.* Jura enim à
quovis † exigunt, ne quid delinquat: Unde et- 23
iam ll. quæ delictis poſitæ ſunt, omnes omni-
no homines ligant. Sed leges, quæ contractibus
ſcriptæ ſunt, extra cauſam † peculiarem ſervos 24
non tenent, quoniam de ſe queri debet, qui in

25 rebus † contrahendis fidem ſequitur ejus hominis, cui vix unquam eſt ſyncera fides, quemadmodum eruditè hoc declarat Cujacius *in tract.7.ad African.ad l.heres.21.§.ſervo tuo.ſup. de fide-*
26 *juſſ.* Etſi autem ſervi ex delictis † non naturaliter modò, ſed civiliter quoque, & ſic efficaciter obligantur; tamen conveniri eo nomine ſervi
27 non poſſunt, verùm adverſus dominos † ipſorum actione noxali ob delicta ejuſmodi agetur, *l.1.& tot.tit.ſup.de noxal.action.* quoniam judi-
28 cia & lites duntaxat † inter homines liberos exercentur, *d.l.ſervus, cui conſentit l. vix certis.53. ſup.de judic.* De ſervo loquor, quia ſi manumiſſus is fuerit, non cum domino, ſed cum ipſo manumiſſo patrati delicti nomine agetur, & ut dici-
29 tur, noxa † caput ſequetur.

Ad §. 1.

¶ *Generaliter probandum eſt, ubicunq; in bonæ fidei judiciis confertur in arbitrium domini vel procuratoris ejus conditio, pro boni viri arbitrio hoc habendum eſſe.*

Summaria.

1 *Arbiter ad viri boni judicium arbitrari debet.*
2 *Affectio privata homines ſæpius in transverſum rapit.*
3 *Arbitrium ex privata affectione fieri non debet.*
4 *Alii ne feceris quod tibi fieri non vis.*

5 Ar-

5 *Arbitrium iniquè factum ad boni viri arbitrium reduci debet.*

6 *Sententiæ arbitri ſtari oportet, quamvis illa iniqua ſit.*

7 *Conciliatio hujus regulæ cum l.diem proferre 27.§. ſtari autem.ff.de recept.arbitr.*

8 *Intellectus l.ſocietatem.76.ff.pro ſoci.*

9 *Arbitri, ad quem ex compromiſſo itum eſt, munus admodum ſtrictum eſt.*

10 *Sententia arbitri, in quem compromiſſum eſt, ita demum infringitur, ſi dolo malo lata ſit.*

11 *Arbiter, in quem compromiſſum eſt, ſi arbitrari nolit, rem in iſto ſtatu relinquit, in quo antè compromiſſum fuit.*

12 *Arbitrium quando ad boni viri arbitrium reduci debeat?*

13 *Arbitrium in contractibus bonæ fidei æquitati potius quàm certæ perſonæ inſertum intelligitur, atq; hinc ſemper arbitrio boni viri reſpōdere debet.*

14 *Arbitrium in contractibus ſtricti juris pro arbitrio boni viri non antè accipitur, quàm ſi ipſorum contrahentium arbitrium electum ſit.*

15 *Arbiter extraneus in contractibus ſtricti juris aſſumptus æquipollet iſti arbitro, in quem compromiſſum eſt: atq; hinc ſententiæ ipſius ſtandum eſt, quantumvis iniqua illa ſit.*

16 *Arbitrium extranei in contractibus bonæ fidei corrigi poteſt, ſi iniquum fuerit.*

17 *Voluntates ultimæ quatenus ratione arbitrii cum contractibus bonæ fidei conveniant.*

18 Le-

18 *Legatum, quod teſtator in alterius arbitrio poſuit, præſtari debet, etiamſi arbitrium is non fecerit.*

19 *Contrahentium arbitrio an contractus committi poſſit?*

20 *Obligatio ipſa in arbitrium debitoris conferri non poteſt.*

21 *Obligatum ſeſe alteri eſſe nemo facilè patitur.*

22 *Debitoris arbitrio committi poteſt quid, qualéve aut etiam quando debeat.*

23 *Legatum quatenus in heredis arbitrium conferri poſſit?*

24 *Verba,* Cùm voluerit, *quomodo differant à verbis,* Si voluerit.

IS, in cujus arbitrium quid confertur, ex ſententia Ulpiani, quæ hoc loco proponitur, bo-
1 ni viri † judicium in arbitrando adhibere debet. Etenim bona fides exigit, ut tale arbitrium præſtetur, quale viro bono convenit, veluti refert Paulus *in pr. l. ſi in lege. 24. ſup. locat.* Itaque non
2 † ex affectione privata, quæ homines ſæpius in
3 tranſverſum rapit, ſed ex judicio † boni viri arbitrium ſuum moderabitur, non ſecùs ac ſibi
4 ab † aliis fieri vellet, veluti docet Bart. *in l. 1. ſup. de ſolut.* Unde ſi arbitrium, quod is fecit, cum manifeſta iniquitate conjunctum fuerit, judex in-
5 terpellatus illud corriget, † atque ad boni viri arbitrium reducet, teſte Paulo *in l. unde. 79. ſup. pro ſoc.* Verùm huic regulæ utpote generaliter hoc loco propoſitę è diametro adverſatur *l. diem*

pre-

proferre.27.§.ſtari autem.ſup.de recept.arb. ubi † ſen- 6
tentiæ arbitri ſtari oportet, ſive æqua, ſive ini-
qua ſit. Nec diſſentit Proculus *in l.ſocietatem 76.*
ſup. de ſoc. Reſpondeo † utramque iſtam l. loqui 7
de ejuſmodi arbitro, ad quem ex compromiſſo
itum eſt, ſicuti Proculus ipſe declarat † *in fine* 8
d.l.ſocietatem. Hujus autem arbitri functio † ad- 9
modum ſtricta eſt, ita quidem, ut in ipſius ar-
bitrio acquieſcendum ſit, ſive arbitratus ſit, ſi-
ve non. Quod ſi enim arbitratus fuerit, arbi-
trio ejus, ut modò dixi, ſtabitur, ſive æquum il-
lud ſit, ſive iniquum: dummodo † dolus non 10
intervenerit, *l.3. C. de recept. arb. & l. ita demum.*
31.ſup.eod. Sin verò arbitrari nolit, aut non poſ-
ſit, ad alterius arbitrium non recurritur, † ſed 11
res in eodem ſtatu manet, in quo antè compro-
miſſum fuit, *per l. in compromiſſis 45. & l. arbiter.*
50.ſup. de recept. arbitr. At verò hîc ſermo eſt de
contractibus, iis potiſſimùm, qui bonæ fidei
ſunt: in his † enim arbitrium ad boni viri arbi- 12
trium redigi debet, etſi nominatim perſona ſit
comprehenſa, cujus arbitratu fiat: quoniam
hoc caſu arbitrium † non tam perſonæ, quàm 13
ipſi æquitati, quæ certis perſonis non circum-
ſcribitur, inſertum videtur, *d.l.ſocietatem. in fine.*
Dixi *potiſſimum*, ut ſignificarem in contractibus
ſtricti juris arbitrium non ſemper pro arbitrio
boni viri † accipi, ſed tum demum, ſi ipſorum 14
contrahentium arbitrium electum ſit, veluti
patet *ex l.3. C. de dot.promiſſ.* cum qua congruunt

quoq;

quoque *l. ſi libertus 30. ſup. de oper. libert. & l. cùm
poſt.69.§.gener.ſup. de jur. dot.* Quod ſi enim arbi-
15 trium † in extraneum collatum fuerit, ſtrictè
arbitrium illud intelligitur, perinde ut in com-
promiſſis. Unde ſi promittam tibi opus facere
arbitratu Seji, non prius teneor, quàm ſi Sejus
arbitratus fuerit: cui arbitrio, ſi à Sejo factum il-
lud ſit, parere etiam cogor, quantumvis iniquũ
ſit, *per l. ſi quis. 43. & l. ſeq. ſup. de verb. oblig.* Secus
ſe res habet in bonæ fidei contractibus: in his e-
16 nim, licet † arbitrium extranei electum ſit, ex-
tranei quidem arbitrium expectatur, nec antè,
quàm is arbitretur, contractus ſubſiſtit, ſed ſi
arbitratus fuerit, nec boni viri arbitrio arbitri-
um ipſius reſponderit, judex aditus illud corri-
get, atque ad boni viri arbitrium reducet, *l. ſi
coita.75.& l.ſeq.ſup.pro ſoc.l.ſi merces 25. in pr.ſup. lo-
cat.l.ult.C.de contrah.empt.*

17 Cæterùm ultimæ † voluntates cum contra-
ctibus bonæ fidei in hoc quidem conveniunt,
quòd utrobique arbitrium in alterum colla-
tum pro arbitrio boni viri accipitur, *l.1. §. 1. ſup.
de legat.2.& l.ſi filiæ.43.ſup.de legat.3.* Sed ab iiſdem
in eo diſcrepant ultimæ voluntates, quod lega-
18 tum in teſtamento relictum præſtari † opor-
tet, ſive is, cujus arbitrio illud teſtator præſtari
voluit, arbitratus ſit, ſive non ſit, textus eſt
expreſſus *in l. ult. §.1. verſ. cenſemus itaque. C. comm.
de legat. & fid.* Cujus diſcrepantiæ ratio non ex
favore ſolùm, ſed mente quoque teſtatoris de-

pen-

ſpendet, quippe qui arbitrium hoc non obligationis, ſed ſolutionis differendæ cauſa adjeciſſe præſumitur, quamvis nec heres, nec legatarius hoc caſu in pœnam incidat, ſi is, cui arbitrium à teſtatore commiſſum eſt, arbitratus non fuerit, *l. mulcta. 6. in pr. & l. in teſtamento 27. ſup. de condit. & demonſt.*

Ex prædictis itaque intelligitur, rem arbitrio † contrahentium quoque committi poſſe, ſive 19 bonæ fidei, ſive ſtricti juris contractus ſit: cui magnoperè adverſantur *l. quod ſæpe. 35. §. 1. ſup. de contrah. empt. l. ſtipulatio. 17. & l. à Titio. 108. §. ult. ſup. de verb. obligat.* ubi contractus non valere dicitur, ſi in arbitrium debitoris conditio collata fuerit. Reſpondeo in iſtis ll. ipſam † obligatio- 20 nem in arbitrium debitoris conferri, id quod jus non patitur, ſicut videre eſt ex *l. ſub hac conditione 8. ſup. de oblig. & action.* cùm ea communiter hominum natura ſit, ut non † facilè ſeſe ob- 21 ſtrictos velint præſtandis hiſce, quæ ſibi oneri eſſe viderint, *argumento l. eum de indebito 25. ſup. de probat.* atque hinc debitoris arbitrio committi nequit, an debeat: ſed quando, vel quid aut quale debeat: id verò in † arbitrium ipſius rectè 22 confertur, *l. 2. §. Scævola. ſup. de eo quod cert. loc. dar. oport.* Eodemque pertinet *l. fideicommiſſa. 11. §. hoc autem legatum. ſup. de legat. 3.* ubi valet legatum heredis arbitrio ſic commiſſum, *tùm voluerit*, licet non valeat, ſi † ita in arbitrium ipſius colla- 23 tum ſit, *ſi voluerit, d. l. fideicommiſſa. §. quanquam autem*

tem. Etenim his verbis *Si voluerit*, in arbitrium
14 heredis confertur, an debeat, ſed illis † verbis *Cum voluerit*, arbitrio heredis non committitur an legatum debeat, ſed quando debeat: cujuſmodi legatum ab herede heredis præſtandum eſt, ſi heres vivus ſe dare illud velle conſtituat, *per l. centeſimis. 46. §. pen. ſup. de verb. oblig.* Plura de hac queſtione qui ſcire volet, is legat Joh. Borcholten *in ſuo comment. de verb. oblig. cap. 6. n. 76. & aliquot ſeqq.* ubi eam prolixè ſimul ac eruditè explicat.

L. 23.

Ulpianus libro 29. ad Sabinum.

§ *Contractus quidam dolum malum duntaxat recipiunt, quidam & dolum & culpam, dolum tantùm depoſitum & precarium, dolum & culpam mandatum, commodatum, venditum, pignori acceptum, locatum, item dotis datio, tutelæ, negotia geſta, in his quidam & diligentiam: ſocietas & rerum communio & dolum & culpam recipit: ſed hæc ita, niſi ſi quid nominatim convenit, vel plus vel minus in ſingulis contractibus: nam hoc ſervabitur quod initio convenit. Legem enim contractui dedit, excepto eo, quòd Celſus putat, non valere, ſi convenerit, ne dolus præſtetur.*

Hoc

Hoc enim bonæ fidei judicio contrarium eſt, & ita utimur. Animalium verò caſus morteſq; quæ ſine culpa accidunt, fugæ ſervorum, qui cuſtodiri non ſolent, rapinæ, tumultus, incendia, aquarum magnitudines, impetus prædonum à nullo præſtantur.

SUMMARIA.

1 *Homines naturâ ſic affecti ſunt, ut ſibi magis, quàm alteri conſultum cupiant.*

2 *Alter alterius negocia ex bona fide agere debet.*

3 *Præſtare dolum vel culpam quid ſignificet?*

4 *Damni cauſa utplurimum ex dolo culpáve alterius provenit.*

5 *Dolus quid denotet?*

6 *Dolus malus commiſſus eſſe dicitur, quando conſultò id actum eſt, ut alter lædatur.*

7 *Culpæ vocabulum quid ſignificet?*

8 *Culpa in rebus alienis propriè committitur.*

9 *Culpa, quam quis in rebus ſuis admittit, pœnam non meretur.*

10 *Culpa tam in faciendo, quàm in non faciendo conſiſtit.*

11 *Negligentia alia magna eſt, alia minor, alia minima.*

12 *Culpa pro quantitate negligentiæ alia lata eſt, alia levis, alia leviſſima.*

13 *Zaſius præter latam ac levem culpam, nullam aliam agnoſcit, ſed malè.*

14 Culpæ leviſſimæ quoq; jura meminerunt.

15 Diligentia leviſſimæ culpæ opponitur.

16 Culpæ vocabulum in jure ſimpliciter prolatum levem duntaxat culpam denotat.

17 Culpa leviſſima à levi culpa diſcernenda eſt.

18 Culpæ latiſſimæ jura nuſquam mentionem fecerunt.

19 Culpa latior alia non eſt, quàm ea, quæ dolo comparatur.

20 Culpa magna non differt ab ea, quæ vulgò lata nuncupatur.

21 Culpa lata quænám dicatur?

22 Alienas res ſibi commiſſas qui ea diligentia non curat; qua res ſuas curare ſolet, is in lata culpa eſt.

23 Latæ culpæ reus eſt is, qui non intelligit, quod omnes ſanæ mentis homines intelligunt.

24 Culpam latam committit, qui non obſervat id quod publicè affixum, vel præconis voce proclamatum eſt.

25 Artis, quam quis profitetur, ignoratio latam culpam inducit.

26 Ignorata ne quis affectet.

27 Culpa lata quatenus dolus dicatur?

28 Repræſentans cum eo quod repræſentat, idem non eſt.

29 Dolus aliquando à lata culpa ſeparatur.

30 Culpa lata in cauſis civilibus duntaxat pro dolo habetur.

31 Criminales cauſæ latã culpam pro dolo non habent.

32 Cri-

32 *Criminales cauſæ quomodo vocabula explicata velint?*

33 *Odioſa ſtrictam interpretationem exigunt.*

34 *Homicida ordinaria l. Corneliæ de Sicariis pœnâ non tenetur, quando latam ipſius culpam duntaxat accuſator probavit.*

35 *Culpa levis cadit in eos, qui res alienas non curant eo modo, quo diligens paterfam. res ſuas curare ſolet.*

36 *Culpa leviſſima ei adſcribitur, qui res alienas non curat ita, ut diligentiſſimus quiſque res ſuas curaſſet.*

37 *Furtum an ſit caſus fortuitus?*

38 *Caſus fortuitus quinam dicatur?*

39 *Caſuum fortuitorum enumeratio.*

40 *Caſus fortuitus præſtandus eſt, quando contrahens omne rei periculum per conventionem in ſe recepit.*

41 *Conventio contractui dat legem.*

42 *Conventione an induci poſſit, ne dolus præſtetur?*

43 *Dolus præteritus conventionem admittit.*

44 *Dolus in omni contractu præſtandus eſt, dummodo futurus ſit & adhuc committendus.*

45 *Depoſitarius regulariter ex depoſito nullam habet utilitatem.*

46 *Depoſitarius de dolo in re depoſita commiſſo tenetur.*

47 *Culpa in contractibus ſtricti juris obligationem perpetuam facit.*

48 *Dolus nemini lucroſus eſſe debet.*

49 *Poſſidere quando cenſeatur is, qui dolo poſſidere deſiit?*

50 *Culpa lata in quovis contractu perinde ut dolus præſtari debet, etiamſi lex doli præſtationem ſolummodo injunxerit.*

51 *Depoſitum tam latæ culpæ, quàm doli præſtationem exigit.*

52 *Precarium & latam culpam, & dolum recipit.*

53 *Culpa lata tantiſper pro dolo habetur, dum conſtiterit legem de dolo loquentem latam culpam ſub dolo comprehenſam nolle.*

54 *Precarium totum pendet ex liberalitate ejus, qui rem precariò concedit.*

55 *Precarium quovis tempore revocari poteſt.*

56 *Depoſitum ſaltem deponentis gratia fit.*

57 *Negligenti homini qui cuſtodiendum quid committit, de ſe queri debet, ſi illud levi depoſitarii culpa perierit.*

58 *Depoſitarius in quibus caſibus leviſſimam nedum levem culpam præſtare teneatur?*

59 *Dolum ac latam culpam duntaxat debitor præſtare tenetur tum, quando in ſolius creditoris commodum contractus initus eſt.*

60 *Culpa levis nedum dolus ac culpa lata præſtanda eſt, quando contractus tam debitoris quàm creditoris utilitatem reſpicit.*

61 *Venditor de culpa levi tenetur, ſi res vendita perierit, vel deterior facta ſit.*

62 *Locationis contractus tam locatoris quàm conductoris commodo cedit.*

63 Con-

63 Conductor tenetur de damno, quod ipſius culpa vel levi in re locata datum eſt.
64 Intellectus l. ſi merces. 25. §. pen. ff. locat.
65 Intellectus §. pen. Inſtit. de locat. & conduct.
66 Conductor quatenus de culpa leviſſima teneatur?
67 Socius ſuo ſocio de culpa levi tenetur.
68 Communio rerum ſic comparata eſt, ut vel levis culpæ præſtationem exigat ab eo, qui rei communi damnum dedit.
69 Creditor ratione pignoris, quod accepit, etiam ad levis culpæ præſtationem obſtringitur.
70 Intellectus l. prætor ait. 9. §. eſt præterea. ff. de reb. autor. judic. poſſid.
71 Pignus prætorium ac judiciale qui habet, de dolo duntaxat tenetur.
72 Dos tàm uxoris, quàm mariti commodo cedit.
73 Intellectus l. in rebus. 17. in pr. ff. de jur. dot.
74 Maritus quando ratione dotis accepta de leviſſima culpa teneatur?
75 Depoſitarius levem culpam non præſtat, quando ſuas quoq; res negligentius curat.
76 Maritus levem culpam præſtat, quamvis in rebus ſuis negligens fuerit.
77 Culpam leviſſimam debitor præſtare tenetur, quãdo in ipſius ſolummodò commodum contractus cedit.
78 Commodatum regulariter commodatarii gratia fit, atq; hinc commodatarius de leviſſima quoq; culpa tenetur.
79 Culpa utrum lata, levis, an leviſſima ex contractu

præſtanda ſit, id verò pendet ex ratione perſonæ, in cujus utilitatem contractum eſt.

80 Intellectus l. ſi cum venderet. 13. §. ult. ff. de pignor. action.

81 Precarium utile propemodum ei non eſt, qui precarium rogavit.

82 Precarium donationem ſapit.

83 Commodatum ortum ſuum ex liberalitate trahit.

84 Commodatum revocari antè non poteſt, quàm præſcriptus utendi modus finitus ſit.

85 Mutuum ſolius debitoris cauſa contrahitur.

86 Mutuum qui accepit, cur fortuitum quoq; caſum præſtare teneatur?

87 Dominium rei mutuò acceptæ in accipientem tranſit.

88 Res quævis ſuo domino perit.

89 Mandatum mandantis gratia contrahitur.

90 Mandata utplurimum non ſine maxima induſtria expediuntur.

91 Mandatarius cur quamvis culpam præſtare teneatur?

92 Tutela pupilli commodum reſpicit.

93 Tutor de quanàm culpa teneatur?

94 Reſcripta Impp. ſaltem ad facti propoſiti ſpeciem directa ſunt.

95 Negotiorum geſtio uſui ſaltem eſt illi, cujus negotia geruntur.

96 Negociorum geſtor de omni culpa tenetur, quia gerendis negotiis abſentis ſeſe ultrò offert.

97 Cul-

97 *Culpam leviſſimam mandatarius, tutor ac negociorum geſtor ex Cujacii ſententia, perinde ut commodatarius præſtare tenetur.*

98 *Verba hæc,* In his quidam & diligentiam, *quid in præſente hac l. ſibi velint?*

99 *Caſus fortuiti providentia humana caveri non poſſunt.*

100 *Caſus fortuitos nemo præſtare tenetur.*

101 *Incendium an ſit caſus fortuitus?*

102 *Incendium ruinæ atq; naufragio comparatur.*

103 *Incendium culpa inhabitantium fieri præſumitur.*

104 *Incendium fortuitò exortum non punitur.*

105 *Incendium culpâ alterius factum pro naturâ cujuslibet contractus punitur.*

106 *Incendium lata culpa factum etiam corporaliter puniri poteſt.*

107 *Vicinis damnum incendio datum quando reſarciendum ſit ab eo, cujus culpa illud factum eſt?*

108 *Dominus quatenus teneatur de incendio culpâ familiæ facto?*

109 *Servos notoriè noxios qui alit, ipſorum delictum, quod admiſerint, præſtare tenetur.*

110 *Damnum qui dat, fuſtibus vel relegatione puniri debet, ſi tantum in ære non habuerit, quod damno reſarciendo ſufficiat.*

111 *Homo liber pro homine libero non tenetur.*

112 *Perſona conjunctæ culpam inſons non portat.*

113 *Familiam vitæ improbatæ qui ſciens alit, de ipſius delicto tenetur.*

114 *Dominus ex delicto familiæ tenetur, ſi deliquerit in eo, in quo opera ipſius utitur.*

115 *Incendium dolo malo factum capitale eſt.*

116 *Incendiarii hodie igni cremantur.*

117 *Incendii materia a quibus tractata ſit?*

1 CUm homines † naturâ ita cóparati ſint, ut ſuis magis quam alienis rebus ſtudeant, aliorumq́ue incommoda ſic, ut bona fides deſiderat, non declinent: Legumlatores malo ejuſmodi commodius occurri haud poſſe putârunt, quàm ſi in ſpecie ſtatuerent, non ſolùm
2 quid in contractis negociis alter † alteri ex bona fide debeat, ſed etiam quid præſtari oporteat ab eo, qui alteri officium debitum non præſtitiſſet, ſive res ipſius ex fide non egiſſet.

Præſtari autem voluerunt dolum, culpam, & caſum fortuitum, non quidem conjunctim in quovis contractu, ſed ita, ut in quibuſdam contractibus, quemadmodum Ulpianus *in hac l.* refert, dolus duntaxat: in quibuſdam dolus & culpa ſimul: in quibuſdam præter dolum ac culpam etiam caſus fortuitus præſtaretur, hoc eſt, ut penſaretur illud damnum, quod contrahentium alter ex alterius dolo ſive culpa fecit.
3 Nam præſtare † dolum vel culpam μετωνυμικῶς hìc dicitur, non qui dolum ſive culpam committit, ſed qui damnum dolo culpáve ſua datum reſarcit, ut ſit cauſa pro effectu, ſive id quod antecedit pro eo quod ſequitur. Etenim

ex

ex dolo † ſive culpa ceu cauſa damnum alteri 4
utplurimum adfertur.

Per dolum † intelligo fraudulentam machi- 5
nationem alterius decipiendi cauſa adhibitam,
per l.1.§.dolum.ſup.de dol.mal. Quotieſcunque igi-
tur de induſtria quid ſimulatur,& tamen reipſa
id conſultò agitur, ut alter deceptus lædatur:
toties † dolus malus verè admiſſus eſt, veluti 6
eruditè hoc declarat Donellus *in cap.40.lib.15.*
comm.de jur.civil.

Culpam verò † appello inertiam, ſive ut in- 7
terpretatur Gajus *in l.ſocius.72.ſup.pro ſoci.* atque
hunc ſecutus Juſtinianus *in §.pen.Inſtit.quib.mod.*
re contrah.oblig. deſidiam, qua quis in re aliena
facit, quod fieri non debet, vel negligit, quod
fieri oportet. *In re aliena*, inquam, quoniam † 8
culpa propriè in rebus alienis committitur: ac
licet quis ex neglectu rei propriæ quoque com-
mereri culpam poſſit: culpa † tamen ejuſmo- 9
di non punitur, perinde ut punitur ea, quæ in
geſtione rerum alienarum commiſſa eſt, *argu-*
mento l.etiam filios 18.§.1.ſup.ſolut.matrim.quem.dos
petat. Proinde † culpa non tantùm conſiſtit in 10
faciendo, veluti ſi quis per imprudentiam fran-
gat, quod frangendum non erat, vel jaculatu-
rus feram hominem trajiciat: ſed etiam in non
faciendo, veluti ſi hominem ægrotum negli-
gat, vel agrum non colendo corrumpi ſinat,
quemadmodum docet Cujacius *in cap.24.lib.*
19.obſer.per d.l.ſocius.& l.ſi ſervum 91.in princ.ſup.de

verb. oblig. quibus conſentit etiam *§. præterea. Inſtit. de l. Aquil.*

Cæterùm culpa pro quantitate deſidiæ ſive negligentiæ cõſideratur, ita quidem, ut, quem-
11 admodum † negligentia alia enormis eſt ac magna, alia mediocris, alia minima : ſic etiam culpa, referente Duareno *in pr. cap. ult. de commodato, & in l. ſi mora 9. ſup. ſolut. matrim. quemad. dos*
12 *petat*. alia ſit † lata, alia levis, alia leviſſima. Et licet recentiores nonnulli interpretes, è quorum
13 numero etiam eſt † Zaſius *in cap. 2. n. 9. lib. 1. ſingular. reſponſ.* itemque Donellus *in cap. 7. lib. 16. comment.* de jur. civil. duplicem duntaxat culpam cõſtituant, latam videlicet ac levem, quòd veteribus JCtis plures culpæ ſpecies cognitæ non fuerint : mihi tamen hâc in parte Duarenus, cui Hotomannus quoq;, Julius Pacius *ad l. pignus. 9. n. 20. C. de pignor. action.* & Anton. Faber *in cap. 5. lib. 3. conject.* adſtipulantur, magis placet. Præterquam enim quod Ulpianus *in pr. l. in lege*
14 *44. ſup. ad l. Aquiliam.* culpæ † leviſſimæ diſertè meminit: Hoc quoque ex l. præſente liquet, di-
15 ligentiam, † quæ leviſſimæ culpæ opponitur, à culpâ diſcerni, ſicut & ab eâdem diſcernitur *in l. ſi ut certo. 5. §. nunc videndum. ſup. commodat.* atq; *in l. cum res. 47. §. pen. de legat. 1.* ubi diſertè levis culpa nominatur : quemadmodum & aliâs culpæ
16 † vocabulum ſimpliciter in jure prolatum, nullam aliam quàm levem culpam denotat, veluti notat Accurſius *in l. in venditionem. 8. §. de tempore.*

ad

ad verb.ex culpa.ſup.de reb. autor.judic. poßid. Leviſſima igitur † culpa, quæ, ut dixi, per diligentiæ 17
vocabulum in hac lege exprimitur, cum culpa levi non congruit, ſed ab ea differt. Et niſi etiam ab eadem diſtinguenda eſſet, Ulpianus certè hic, cùm dixiſſet, quoſdam cōtractus dolum & culpam recipere, ſine cauſa ſubjeciſſet, quoſdam & diligentiam recipere: vana inquam, hæc repetitio eſſet, nec ullius momenti culpæ & diligentiæ, hoc eſt, levis ac leviſſimæ culpæ ſeparatio cenſeri poſſet. Neque tamen hinc inferendum eſt, eſſe etiam culpam, quæ † latiſſima 18
ſit: quia núſquam dictio latiſſimæ culpæ apud juris autores reperitur: neque ulla † etiam cul- 19
pa latior dici poteſt eâ, quæ dolo eſt proxima, adeoque dolo comparatur in iis cauſis, in quibus dolus præſtandus eſt: Ea verò eſt culpa lata. Nam quod Celſus *in l. quod Nerva.32. ſup. depoſ.* latiorem culpam dolum eſſe ſcribit, idipſum Gajus *in l.1.§. is quoq;. ſup.de obligat.& action.* itemque Paulus *in l.magna. 226.ſup. de verb.ſignif.* magnæ † culpæ tribuit: Magna autem culpa ab eà, 20
quæ lata dicitur, non differt, cùm utrumque nomen ſit poſitivi gradus, & tam latæ quàm magnæ culpæ eadem definitio competat, id quod ex ſeqq. perſpicuum magis evadet. Itaque culpæ vocabulum in jure plures diverſas ſpecies non complectitur, quàm has tres, latam, levem, ac leviſſimam.

Lata culpa, quæ, ut modò dixi, aliquando

† la-

21 † latior vocatur, quia ſcilicet latior eſt, quàm levis, dicitur eſſe, quando quis eam diligentiam, quam natura hominum deſiderat, non
22 adhibet: veluti ſi res † alienas ſuæ fidei commiſſas eâ diligentiâ non curet, quâ ſuas curare ſolet, *d.l.quod Nerva. & l. mulier 22. §. ſed enim. ſup.*
23 *ad SC. Trebell.* vel ſi id non † intelligat, quod omnes homines ſanæ mentis intelligunt, *l.cedere diem 213. §. ult. & l.latæ.223.in pr. ſup.de verb.ſignif.*
24 Unde † in lata culpa eſt, qui non obſervavit, quod publicè affixum, vel præconis voce proclamatum eſt. *per l.ſed ſi pupillus 11. §.proſcribere.ſup. de inſtit. action.* Ejuſdemq́ue culpæ reus eſt, qui
25 peccat † in ea arte, quam profitetur, quodq́ue
26 ſuæ profeſſionis non eſt, id facit: cùm † affectare non debeat, in quo intelligit, vel intelligere debet inſcitiam ſuam alii periculoſam futuram eſſe, *l.idem juris 8.ſup.ad l. Aquil.* Quod igitur dicitur latam culpam eſſe, ſi quis non intelligat, quod omnes intelligunt, id hanc habet ſignificationem, ut, ſi quis fecerit aliquid, ex quo periculum certò imminere omnes ſani homines intelligant, id latæ culpæ adſcribatur, ſive ſciat id periculum ſubeſſe, ſive ignoret: hoc ipſo enim in latam culpam incidit, quod noluit ſcire, aut etiam ſimulat ſe ignorare id, quod omnes homines norunt. Quam ob cauſam quoq́ue hæc culpa *in d. l. quod Nerva.* dolus dicitur,
27 † non quòd revera & abſolutè dolus ſit, ſed quòd interpretatione atque effectu juris pro dolo

dolo habeatur. Siquidem lata culpa, ut Ulpianus *in l. 1. §. pen. ſup. ſi menſ. falſ. mod. dixer.* refert, dolo comparatur, ſeu potius, ut idem Ulpianus *in l. 1. §. non aliâs. ſup. ſi is qui teſtam. lib. eſſ. juſſ. & l. quæſitum 8. §. eum quoque. ſup. de precar.* loquitur, dolo proxima, dolum † repræſentat. Quod ve- 28
rò alteri comparatur, vel illud repræſentat, id per rerum naturam idem non eſt, quod eſt illud, cui comparatur, vel quod repræſentatur. Quò accedit & hoc, quòd tam Alexander *in l. 1. C. depoſit.* quàm Diocletianus ac Maximianus Impp. *in l. tutori. 20. C. de negoc. geſt. & in l. quicquid. C. arbitr. tutel.* latam † æquè ac levem culpam à 29
dolo diſcernunt.

Neque tamen in omnibus cauſis lata culpa dolum repræſentat, ſed iis ſaltem † quę reſpici- 30
unt contractus vel quaſi contractus, *d. §. eum quoque. l. 2. C. de in lit. jurand.* idemq́ue in quaſi delictis receptum eſt, veluti patet *ex §. 1. Inſtit. de oblig. quæ ex quaſ. delict. naſc.* Et niſi in contractibus vel quaſi delictis hoc receptum eſſet, quivis facilè ignorantiam ſuæ malitiæ ac protervitati prætenderet, teſte Connano *in cap. 4. n. 7. lib. 7. comment. jur. civil.* At verò in cæteris delictis, lata culpa † dolo non comparatur, neque et- 31
iam perinde ut dolus punitur, veluti patet *ex l. in furti 50. §. ult. ſup. de furt. l. 3. §. 1. ſup. de injur. & l. in lege 7. ſup. ad l. Cornel. de ſicar.* Nam in criminalibus † cauſis verba non abuſivè, ſed propriè, nec 32
civiliter, ſed naturaliter accipienda ſunt, ne in

pœna-

33 pœnalibus atque † odioſis interpretatio laxior admittatur, contra quàm traditum eſt ab interpretibus *in l. ſi Præſes. 35. ſup. de pœn. & in l. factum 155. §. ult. inf. h.t.* Quam ob cauſam is, qui, ut ex-
34 empli loco hoc referam, homicidii † quempiam accuſat, intentionem ſuam probaſſe non dicitur, etiamſi latam culpam in eo, quem accuſat, fuiſſe probaverit, *argumento l. illud. 13. in pr. ſup. de liberal. cauſ.* idq; ſingulariter etiam notat Jaſon *in l. 1. n. 33. ſup. de legat. 1.*

35 Levis † culpa eſt, quando quis non providet id, quod à diligente patrefam. provideri potuit: ſeu, ut Alciatus *in d. l. latæ. n. 5.* definit, quando quis rem alienam ea diligentia non curat, quâ cæteri patresfam. res ſuas curare ſolent, tametſi aliâs in rebus ſuis minimè ſit diligentior: veluti ſi rem pignori ſibi datam à murium corroſione non cuſtodiat, *per l. ea igitur. 14. ſup. de pignor. act.*

36 Leviſſima † culpa eſt, quando quis rem alienam ea diligentia non curat, quâ diligentiſſimus quiſque res ſuas curaſſet, veluti ſi paſſus ſit rem commodato datam à furibus auferri, cùm quoquo modo hoc præcavere potuiſſet. *l. cum duobus. 52. §. damna. ſup. pro ſoc.* Furtum enim utplurimum fit culpa ejus, cui res furtim ſurrepta eſt, quia videlicet ſatis diligenter rem non cuſtodivit: quamvis interdum & ſine ejus culpa furtum fiat, teſte Ulpiano *in l. eum qui 14. §. idem ſcribit. ſup. de furt.* atque hoc reſpectu furtum

† ca-

† caſibus fortuitis annumeratur *in pr.l. in ratione* 37
30. ſup. ad l. Falcid. Eodemq; pertinet *§.item is cui. Inſtit.quib.mod.re contrah.oblig.*

Denique caſus fortuitus † eſt vis major, ſive 38
damnum fatale, quod conſilio prudentiaque humana prævideri non potuit, *d. §. damna. l.quæ fortuitis. 6. C. de pignor. action. l.in rebus 18. in pr.ſup. commod.*ubi Gajus inter cæteros caſus fortuitos, quibus reſiſti non poteſt,latronum † hoſtiúm- 39
ve incurſum, piratarum inſidias, naufragium, ſervorumque, qui cuſtodiri non ſolent, fugas numerat: quibus *in l.1.§.& ille. ſup.de oblig. & act.* ruina quoque annumeratur : tametſi caſuum fortuitorum ea ſit ratio,ut nec dici, nec enumerari facilè omnes poſſint,quemadmodum refert Imp. Juſtinianus *in l.ult. §. 1. C. de tempor. appellation.* Eodemq; pertinet *l. 2.§.ſi eo tempore. ſup. de admin.rer. ad civit.pertin.*

His ita præmiſſis, inquirendum nunc eſt, quid in ſingulis contractibus ratione doli, culpæ, vel caſus fortuiti præſtandum ſit ? Sanè ſi initio conventio de interitu ſive periculo rei debitæ † præſtando inita ſit, conventioni iſti 40
ſtabitur, in tantum, ut quamvis caſu ea res poſtea perierit, debitor nihilominus æſtimationem ejus præſtare teneatur,*d.l.quæ fortuitis.l.1.C. commod.l.1. §. ſæpe evenit. ſup.depoſ.* Etenim † con- 41
ventio,ut Ulpianus hic loquitur,contractui dat legem,hoc eſt,formam & temperamentum, ut jam ex ipſa conventione de contractu judice-

tur,

tur,veluti declarat Donellus *in l.legem. 10.n.4. C.*
42 *de pact.* Illud tamen nulla † conventione effici poteſt, ne dolus præſtetur, *l.ſi unus.27.§.illud.ſup. de pact.l.in commodato.17.in pr.ſup. commod.* Dolus, inquam,futurus & adhuc committendus, nam
43 de præterito † dolo & paciſci & tranſigere quis poteſt,*per l.4. C. de tranſact.* Hotomannus *in l.juriſgentium. 7.§.ſed & ſi quis. ad verb. ne depoſiti agat. ſup.de pact.*Itaque conventio ſic iniri non poteſt,
44 ne † quis teneatur de damno, quod ſua malitia ſive dolo ſit daturus: ſiquidem in omni contractu dolum præſtari jura volunt. Nec quicquam refert, utrum in eo contractu debitoris utilitas verſetur, an non. Nam & in depoſito
45 † nulla utilitas verſatur depoſitarii, & tamen
46 dubium eſt nullum, quin depoſitarius † teneatur præſtare damnum, quod ipſius dolo in re depoſita datum eſt, *l.1.§.non tantum. & §.ult.ſup.*
47 *depoſ.* Idque multò magis † in contractibus ſtricti juris obtinet, quippe in quibus culpa, nedum dolus, obligationem perpetuat, *per l.ſi ex legati 23. & l.ſi ſervum 91.in princ. ſup. de verb. oblig.* Idque juſtiſſima ratione nititur: neque enim
48 rationi naturali congruit, ut cuiquam dolus † ſuus lucroſus ſit, *l.1.in pr.ſup.de dol. mal.* Quin & impunitate doli propoſita homines invitarentur ad fraudandum, ubi potius conveniebat metu pœnæ eos ab ejuſmodi delicto deterreri, *argumento l.illud.5.in pr.ſup.de pact.dotal.* Hinc nemo dolo ſuo efficere poteſt, ut ejus rei nomine

tene-

teneri deſinat, quâ antè tenebatur. Sic Paulus *in l. qui dolo. 131. inf. h. t.* pro poſſeſſore damnari vult eum, qui dolo poſſidere deſiit: quod par ſit conditio ejus, qui quid poſſidet, vel habet, atque ejus, cujus dolo factum eſt, quò minus poſſideret vel haberet, ut ait Ulpianus *in l. parem. 150. inf. hoc tit.* cui conſentit. *l. ad ea 157. §. 1. inf. eod.* Ejuſque rei exempla extant *in l. ſed etſi. 25. §. perinde. ſup. de here.l. petit. in l. ſi ſervus. 22. §. ult. ſup. de noxal. action. & in pr. l. Julianus 9. ſup. ad exhib.*

Cæterùm conditio ejus, qui poſſidet, atque ejus, qui dolo † poſſidere deſiit, reſpectu incommodi duntaxat par eſt: neque enim is, qui dolo malo poſſidere deſiit, eatenus poſſidere intelligitur, ut etiam præſcribere, aliáve poſſeſſionis commoda capere poſſit, veluti docet Dynus *in c. pro poſſeſſore 36. n. 3. ext. eod. in 6.* Dolus igitur in omnibus contractibus præſtatur, & cum dolo etiam lata † culpa, uſque adeò quidem, ut quamvis lex aut edictum nominatim adverſus dolum duntaxat actionem conſtituerit, lata culpa tamen ſub dolo contineatur, ac proinde etiam ſine exceptione cum dolo præſtanda ſit. Sic † depoſitum, ut Ulpianus hoc loco teſtatur, dolum malum duntaxat recipit, ſive, ut idem *in l. 1. §. ult. ſup. depoſ.* loquitur, in depoſiti actionem dolus duntaxat venit: Et tamen *ex l. 1. C. eod.* conſtat latam culpam quoq; in depoſito præſtandam eſſe.

49 / 50 / 51

M De

52 De precario † idem hoc loco conſtitutum eſt, videlicet eum qui precario rogavit, ſolum dolum præſtare: & tamen eundem ad præſtationem culpæ latæ obſtrictum eſſe, idem Ulpianus docet *in l. quæſitum. 8. §. eum quoque. ſup. de precar.*

Neque hæc ſunt contraria, dolum ſolum venire, & nihilominus latam culpam præſtari:
53 quoniam & lata † culpa, quemadmodum ex prædictis liquet, interpretatione juris pro dolo habetur tantiſper, dum manifeſtè conſtiterit, legem, quæ de dolo loquitur, nolle, ut ſub dolo lata culpa quoque comprehendatur: tum enim ſententia legis ſequenda eſt, nec doli vocabulo lata culpa continebitur: id quod docet & exemplo quoque illuſtrat Paulus *in l. in lege 7. ſup. ad l. Cornel. de ſicariis.* Ratio autem, quare dolus ac lata culpa duntaxat in precario præſtetur, ab Ulpiano *in d. §. eum quoque.* hæc redditur,
54 quia † precarium totum deſcendit ex liberalitate ejus qui precario conceſſit. Ut igitur initio ei, qui dedit, liberum fuit non dare: ita eidem
55 † liberum eſt, revocare id, quod dedit, quocunque tempore voluerit. *l. 1. & l. 2. ſup. de precar.* ſibi ergo imputet, ſi ab homine negligente, cui precario dedit, precarium tempeſtivius non revocaverit.

De depoſito Cujacius *in tract. 5. ad Afric. ſuper l. ſi ſervus. 108. §. cum quid. ſup. de legat. 1.* hanc reddit rationem, quia ſolius dantis utilitas in depoſito

ver-

verſatur: ſiquidem deponentis duntaxat gratia
† depoſitum fit, nec ullum inde commodum ad 56
depoſitarium regulariter redundat. Unde de ſe
queri debet, qui † negligenti homini rem cu- 57
ſtodiendam commiſit, *§ pen. Inſtit. quib. mod. re con-
trah. oblig.* At verò ſi † depoſitarius precium pro 58
cuſtodia acceperit, vel ultrò ſe depoſito non ro-
gatus obtulerit, tum leviſſimam quoque cul-
pam præſtare tenebitur, *l. 1. §. ſi veſtimenta. & §.
ſæpe evenit. ſup. depoſ. l. ſi ut certò 5. §. nunc videndum.
ſup. commod.* Et ad ejuſdem culpæ præſtationem
depoſitarius obligabitur, ſi ipſius gratia depo-
ſitum factum ſit: veluti ſi pecuniam depoſitam
in eum finem acceperit, ut illa, ſi occaſio tule-
rit, tanquam mutua uteretur. Hæc pecunia,
inquam, periculo depoſitarii erit, dummodo
ad ipſius petitionem depoſita ſit, nec deponens
propoſitum deponendi aut fœnerandi habue-
rit, *l. 4. in princ. ſup. ſi cert. pet.*

Itaque pro regula habebitur, quòd accipiens
ſive debitor nihil amplius, quàm dolum † & 59
latam culpam præſtare teneatur eo caſu, quan-
do ſolius dantis ſive creditoris utilitas in con-
tractu verſatur. Quod ſi verò in contractibus u-
triuſque contrahentis, & dantis & accipientis
utilitas verſetur, præter dolum ac latam cul-
pam, levis † quoque culpa præſtanda eſt, *d. §.* 60
nunc videndum. Exempli gratia: emptio & vendi-
tio utriuſque contrahentis gratia celebratur,
atque ideò ſi res † vendita perierit aut deterior 61

facta ſit, tenebitur venditor, ſi ipſius dolo, lata aut levi culpâ id factum ſit: ſin aliter, liberabitur, *per §. cum autem. Inſtit. de empt. & vendit.* Quod de emptione ac venditione dictum eſt, idem de locatione ac conductione intelligi debet: nam
62 & hic contractus † in utriuſque contrahentis tam locatoris, quàm conductoris commodum
63 cedit, atque ideò locati actione † conductor obſtringitur, ſi ipſius dolo, lata vel levi culpa res locata deterior facta ſit, vel etiam prorſus perierit, textus *hic & in d. §. nunc videndum.*

Verùm huic adverſatur *l. ſi merces. 25. § pen. ſup.*
64 *locat.* ubi Gajus † ab eo, qui columnā tranſportandam conduxit, tum demum culpam abeſſe ſcribit, ſi omnia fecerit, quæ diligentiſſimus quiſque facturus fuiſſet. Idem Juſtinianus *in §.*
65 *pen. Inſtit. eod.* ſtatuit † de eo, qui uſum veſtimentorum aut jumenti conduxit, ab hoc enim talem cuſtodiam deſiderat, qualem diligentiſſimus paterfam. ſuis rebus adhibet: quibus verbis leviſſimam culpam ſignificari definitio culpæ leviſſimę ſuperiùs tradita ſatis oſtendit. Vulgò reſpondent ſuperlativum *diligentiſſimus* in duobus iſtis locis pro poſitivo accipiendum eſſe, perinde ac ſi & Juſtinianus & Gajus dixiſſent eam diligentiam in hoc contractu adhibendam eſſe, quam diligens paterfam. ſuis rebus adhibere ſoleat. Sed mihi magis probantur
66 ii, qui dictionem *diligentiſſimus* in propria † ſignificatione accipiunt, atque in utroque textu con-

conductorem ad præſtationem culpæ leviſſimæ teneri ajunt: tum quòd conductor columnæ tranſportandæ ad exactiſſimam diligentiam ſe adſtringere videtur, hoc ipſo, quòd rem fragilem, quæ videlicet facilimè frangi poteſt, tranſportandam conducit: tum verò quòd is, qui pro uſu veſtimentorum aut jumenti mercedem dedit aut promiſit, commodatario ſimilis eſt, quem de leviſſima culpa teneri docet Juſtinianus *in §. item is cui. Inſtit. quib. mod. re contrah. obligat.*

Ad eundem hunc ordinem pertinet etiam ſocietas, quippe in qua omnium ſociorum contrahentium utilitas vertitur: quocirca ſocius † 67
ſocio quoque de levi culpa tenetur, *§. ult. Inſtit. de ſociet. l. & ideo 26. & l. cum duobus. 52.* §. utrum ergo. ſup. eod.

De communione † rerum, quippe in qua id, 68
quod in res communes impenditur, atque inde percipitur, ad omnes pertinet, idem reſpondet Pomponius *in l. ſi is. 20. ſup. commun. divid.* cum quo conſentit etiam reſcriptum Impp. Diocletiani & Maximiani *in fine l. pen. C. eod.*

Sic cùm pignus utriuſq; tam debitoris, quàm creditoris gratia contrahatur, teſte Juſtiniano *in §. ult. Inſtit. quib. mod. re contrah. oblig.* fit, ut creditor † quoque in cuſtodiendo pignore ſaltem 69
de dolo, lata & levi culpa teneatur, *d. §. nunc videndum. l. ea igitur. 14. ſup. de pignor. act.* Neque obſtat † *l. Prætor ait. 9. §. eſt præterea. ſup. de reb. autor.* 70
jud.

jud.poſſid. quoniam loquitur de pignore prætorio
71 rio ac judiciali, in quo dolus † duntaxat præſtatur: at hîc ſermo eſt de pignore conventionali, de quo Ulpianus ipſe *in d. §. eſt præterea.* ſimiliter affirmat, quòd non tantùm dolus, verùm culpa quoq; in eo veniat.

Idem de dotis datione ſcriptum eſt *in l. ſi constante. 24. §. ſi maritus. & in l. ult. ſup. ſolut. matrim.*
72 *quemad. dos petat.* quoniam † dos etiam utriuſq; & mariti & uxoris gratia conſtituitur, *d. §. nunc videndum.* mariti quidem, ut conſtante matrimonio illa fruatur, uxoris verò, quia per dotem hoc conſequitur, ut maritus onera matrimonii ſuſtineat, *l. pro oneribus. 20. C. de jur. dot.* Neque his
73 obſtat *pr. l. in rebus 17. ſup. de jur. dot.* unde † nonnulli colligunt, in dotis datione leviſſimam quoque culpam præſtandam eſſe: quoniam id
74 non fit ex natura contractus, ſed quia † maritus, ſalva fide, diligentiam rebus dotalibus minorem, quàm rebus propriis adhibere non poteſt, *d. l. quod Nerva. in fine.* Quod igitur *in pr. d. l. in rebus.* de marito dicitur, *quia ſua cauſa dotem accipit*, tanquam nimis conciſè dictum ex aliis locis interpretandum eſt, & quidem ex iis, quæ in illa ipſa lege ſequuntur. Quin imò maritus ſi in rebus dotalibus eam diligentiam non præſtiterit, quam in ſuis rebus præſtare ſolet, dicitur eſſe in lata, non in leviſſima culpa. Quod ipſum de ſocio quoque expreſſum eſt *in l. ſocius ſocio. 72. ſup. pro ſocio.* Neque tamen hinc tollitur diffe-

differentia inter hoſce contractus atque depoſitum, quippe in quo ſimiliter culpa præſtatur à depoſitario, ſi is in rebus ſuis fuerit diligentior quàm in re depoſita, *d. l. quod Nerva.* Quoniam depoſitarius † culpam levem non præ- 75
ſtat, ſi res propria negligentius curare ſoleat: maritus verò & ſocius † levem iſtam culpam 76
ſemper præſtant, etiamſi in ſuis rebus negligentes fuerint.

Cæterùm ſi ſolius accipientis ſive debitoris utilitas in contractu verſetur, præter dolum † 77
omnis etiam leviſſima culpa præſtanda eſt: veluti videre eſt in commodato, quod regulariter † commodatarii gratia fit, ac proinde leviſ- 78
ſimam quoque culpam, nedum levem ac latam vindicat, *§. item is cui. Inſtit. quib. mod. re contrah. oblig. & d. § nunc videndum. Regulariter,* inquam, quia interdum ſolius commodantis gratia, nonnunquam utriuſque & commodantis & commodatarii cauſa commodatum contrahitur, veluti docent exempla, quæ refert Ulpianus *in d. l. ſi ut certo. §. interdum.* & Gajus *in pr. l. in rebus 18. ſup. commod.* Unde in commodato etiam † non 79
ſemper culpa leviſſima, ſed pro ratione perſonæ, in cujus utilitatem contractum eſt, nonnunquam dolus ac lata culpa duntaxat: aliquando præter dolum & latam culpam levis ſaltem culpa præſtabitur. Ac licet Ulpianus *in l. ſi cum venderet 13. §. ult. ſup. de pignor. act.* pignus † quoad culpam commodato comparet: non 80

tamen propterea in commodato perinde ut in pignore regulariter duntaxat culpa levis præſtabitur: quoniam in genere quidem hi contractus conveniunt in eo, quòd in utroq; culpam præſtari oporteat: ſed in ſpecie hoc diſcriminis habent, quòd creditor, cui res pignori eſt data, ad tantam diligentiam obſtrictus non eſt, quã- tam commodatarius in re ſibi commodata præſtare tenetur: ut ſic quod in una l. deeſt, ex aliis ſupplendum ſit.

81 Sed quid dicendum † de precario, quod & ipſum duntaxat accipientis gratia fit, & tamen, veluti ex prædictis patet, dolum duntaxat recipit. Cujacius *in tractatu 5. ad African. ſuper d. §. cùm quid.* hoc ideò fieri exiſtimat, quòd nulla propemodum utilitas ſit ejus, qui precario rogavit, cùm poſtulanti quovis tempore etiam in continenti precarium reſtituere teneatur: cui accedit & iſta ratio, quam paulò ſuperius precario adſcripſi. Quamvis dici etiam poſſit precarium
82 † ad donationes magis, quàm ad contracti negocii cauſam ſpectare, *per l. interdictum. 14. ſup. de*
83 *precar.* Et licet commodatum † quoque à liberalitate ſuam ducat originem: ſiquidem & hoc ab initio liberum eſt commodato non dare: tamen ubi ſemel datum eſt, liberalitatis eſſe deſinit, atque in neceſſitatem obligationis tranſit.
84 Commodare enim eſt præſcripto † utendi modo quid utendum dare, qui modus, cùm ſemel initio præſcriptus eſt, ante quàm finitus ſit,

res

res commodato data revocari non poteſt. *l. in commodato.17.§.ſicut.ſup.commod.*

Verùm in mutuo † hoc peculiare eſt, quòd, 85
etſi ſolius accipientis cauſa contrahitur, tamen
præter culpam leviſſimam, etiam † caſum for- 86
tuitum recipit, *d. § item is cui.* ratio in promptu
eſt, quia dominium rei † mutuò datæ in accipi- 87
entem transfertur. *l.2.§ appellata.ſup.ſi cert.pet.* un-
de meritò etiam ipſi tanquam domino † res 88
iſta perit. *per l.pignus 9.C.de pignor. act.*

Sed quæritur cur Ulpianus in hac l. manda-
tum, tutelam, ac negociorum geſtionem annu-
meret iis contractibus, qui præter dolum, cul-
pam etiam recipiunt: cùm tamen & manda-
tum, & tutela, & negociorum geſtio inſerviant
ſaltem ei, cujus mandatum vel tutela, vel nego-
cia geruntur, atque ita è numero ſint illorum,
quorum utilitas ſoli danti cedit? Reſpondeo;
mandatum quidem † mandantis gratia contra- 89
hi, atque iccirco etiam regulariter dolum dun-
taxat recipere, *per l.ſi procuratorem. 8. §. ult. & l. idemq́; 10.in pr.ſup. mandat.* quoniam verò utpluri-
mum † mandata ſic comparata ſunt, ut non ſi- 90
ne maxima diligentia & peritia expediri poſ-
ſint: hinc fit ut à mandatario nonnunquam † 91
omnis culpa præſtanda ſit: cùm, qui mandatum
ſuſcipit, eam ipſam induſtriam ac diligentiam,
quæ ad expeditionem iſtius mandati requiri-
tur, in ſe recipere intelligatur. *l. à procuratore. 13. & l. in re mandata. 21. C. mandat.* quò apprimè

quoque faciunt illa, quæ ſcribit Gilbertus Regius *cap.19.lib.κἰναντιοφανῶν.*

Eadem ferè eſt ratio tutelæ: etſi enim hæc
92 non tutoris, ſed † pupilli gratia ſuſcipitur: tutor tamen in tota adminiſtratione tutelæ non
93 ſolùm de † dolo ac lata culpa tenetur, ſed levem quoque culpam præſtare cogitur, *l.1.in pr. ſup. de tutel. & rat. diſtr. & l. quicquid 7. C. arbitr. tutel.* id quod favore pupillorum inductum eſt, ne videlicet ad ipſorum injuriam tutelæ beneficium convertatur. Neque ex eo, quod *in l.4. C. de peric. tut.* caſus fortuitus ſaltem à periculo tutoris excipitur, inferri ex quorundam interpretum ſententia debet, tutorem de leviſſimâ etiam
94 culpâ teneri: quoniam † reſcripta Impp. non ſunt juris regulæ, quibus in univerſum quid deciditur, ſed ad ſolam facti propoſiti ſpeciem pertinent: ſic in ſpecie oppoſitæ l. conſulti ſaltem fuerunt Impp. de caſu fortuito, non de culpa leviſſima, de qua ſi conſulti etiam fuiſſent, utique, ex iſtorum interpretum placito, nec culpam leviſſimam à tutore præſtandam eſſe reſcripſiſſent.

95 Denique nec † negociorum geſtio ejus, qui negocium gerit, ſed ſaltem abſentis cauſa ſuſcipitur: & tamen negociorum geſtor præter dolum, cui lata culpa hoc caſu includitur, levem quoque culpam præſtare tenetur, *l. ſi negocia. 11. ſup. de negot. geſt. & l. tutori 20. C. eod.* cujus nulla eſt alia ratio, quàm quod is, qui abſentis nec conſen-

ſentientis negotiis † gerendis ultrò ſeſe offert, 96
periculo hujuſmodi ſeſe ſubjicere intelligatur, dum tacitè idoneum ſe gerendis iſtis negociis profitetur. Neque huic obſtare nonnulli volunt *§.1.Inſtit.de oblig.quæ ex quaſi contract.naſc.* ubi leviſſimæ quoque culpæ præſtatio negotiorum geſtori injungitur, quoniam reſpondent plerique §. iſtum loqui de ejuſmodi caſu, quando alius diligentior negociis abſentis adminiſtrandis ſeſe obtulit, cui geſtor cedere noluit, veluti demonſtrant ea quæ Everh. Bronchorſt *in aſſert. 74. cent. 1.* tradit. Verum-enimverò Cujacius *in tractatu 5. ad Africanum. ſuper d. §. cum quid.*
de mandato, tutela † ac negociorum geſtione 97
aliter ſentit, atque in his tribus, perinde ut in commodato leviſſimæ quoque culpæ præſtationem exigit, quòd hæc amicitiæ officia in hac vitæ ſocietate perneceſſaria ſint, atque hinc juſtè damnetur is, qui non ſtrenuè ac diligenter illa geſſerit. Quocirca opinatur Cujacius, quatuor hoſce contractus, videlicet commodatum, mandatum, tutelam & negociorum geſti-
onem, in hac præſente l. ſignificari † his verbis: 98
In his quidam & diligentiam. Quam aſſertionem haud parum confirmare videtur textus *in l. ſi mater.24.C.de uſur.*

Cæterùm quod attinet ad caſus † fortuitos, 99
qui videlicet nulla providentia humana caveri
potuerunt, hi certè à nullo † præſtantur, cùm 100
quævis res, quæ ſic perit, domino ſuo pereat,

per ea quæ tradit VVeſenb. *in d. §. item is cui. n. 7.*
101 Quod autem Ulpianus ſub hujus l. finem ad † caſus fortuitos & incendium refert, id verò non minimam contrarietatem parit. Etſi enim idipſum Ulpianus etiam *in d. l. ſi ut certò. §. quod verò. & in d. l. cum duobus. §. damna.* ſtatuit, eiq́ue Gajus quoque *in l. 1. §. & ille quidem. ſup. de oblig. &*
102 *act.* ſuffragatur, dum † incendium æquè ac ruinam & naufragium caſum majorem appellat, cui humana infirmitas reſiſtere non poſſit: tamen idem Ulpianus *in l. ſi ſervus 27. §. ſi fornacarius. ſup. ad l. Aquil.* contrarium inducit hoc i-
103 pſo, quòd incendium † culpæ miniſtrorum adſcribit, cum quo, ut declarat Cujacius *in fine cap. 29. lib. 17. obſ.* congruit etiam *l. ſi vendita. 11. ſup. de peric. & commod. rei vendit.* ubi Alfenus Varus diſertè ſcribit incendium ſine culpa fieri non poſſe: eamq́ue culpam *in l. qui inſulam. 30. §. ult. ſup. locat.* idem Alfenus in habitantes, ſive eos, quorum miniſterio quis domi ſuæ utitur, expreſſe transfert: quod ipſum facit etiam Paulus *in l. 3. §. 1. ſup. de off. præfect. vigil.* ubi inter cætera, inhabitantium culpa plerunq́ue incendia fieri dicit. Contrarietas iſta diſſolvi poteſt diſtinctione perſonarum. Nam reſpectu ejus qui culpâ vacat, incendium eſt caſus fortuitus, ſed reſpectu illius, cujus culpa illud factum eſt, caſibus fortuitis annumerari non poteſt. Etſi igitur culpa habitantium incendium exortum fuiſſe præſumitur: aliorum tamen intuitu illud ſic compa-

ratum

ratum eſt, ut provideri non potuerit. Unde in dubio incendium culpa inhabitantium factum eſſe præſumitur tantiſper, dum ab his caſus fortuitus probatus fuerit, videlicet ignem vel è cœlo injectum, vel ex vicinorum ædibus immiſſum fuiſſe, veluti docet Zaſius *in paratit. de offic. præfect. vigil. n. 5.* cui præter alios adſtipulantur Maſcardus *in concluſ. 892. n. 3. vol. 2. de probat. Menochius lib. 2. de arbitr. jud. quæſt. caſ. 390. n. 6. & And. Geil. in obſer. 21. n. 3. lib. 2. practic. obſervat.*

Ex quibus omnibus ſatis intelligi poteſt, incendium non uno eodemque modo vindicandum eſſe. Quod ſi enim illud è cœlo † immiſ- 104
ſum, vel alio quopiam caſu fortuito exortum fuerit, damnum inde datum à nullo præſtabitur, quemadmodum Ulpianus *in fine hujus l.* concludit, cum qua convenit etiam *d. l. quæ fortuitis. & l. pen. ſup. de incend. ruin. naufrag.* ubi Marcianus ait, incendium fortuitò factum venia indigere. Sin verò culpa † cujuſpiam incendium factum 105
fuerit, damnum inde datum pro naturâ uniuſcujuſque contractus præſtabitur, ita quidem, ut, ſi res, quæ incendio periit, commodata ſit, leviſſimam culpam à commodatario præſtari oporteat: Sin conducta, ultra levem nulla alia culpa levior præſtetur: ſi verò depoſita vel precariò data ſit, depoſitarius, iſque qui precarium accepit, ad præſtationem iſtius demum damni teneatur, quod lata culpa datum eſt, *argumento eorum, quæ tradit Didac. Covarruvias in cap. 6. §. 8. n.*

18. de

18.*de matrimon.* eodemque faciunt ea, quæ ſcribunt Menochius *in d.caſ. 390.n.10. & ſeq. &* Sebaſt. Medices *in quæſt. 7.n.12. & 25.part. 2.de caſib.fortuit.* Neque ad præſtationem damni dun-
106 taxat obſtringitur is, cujus † culpa incendium factum eſt, ſed pro judicis arbitrio, corporaliter quoq; puniri poteſt, maximè ſi in culpa lata ſit: tametſi pœna iſta corporalis neque ad membri alicujus abſciſſionem, neque etiam ad mortem extendi debeat, quemadmodum refert Menochius *in d.caſ.390.n.6.*

Qua occaſione de duobus potiſſimùm quæri poteſt, quorum primum eſt, an etiam is, cujus
107 culpa incendium † extitit, vicinis damnum reſarcire teneatur, ſi horum ædes incendio iſto conflagrârint, vel aliàs læſæ ſint? Interpretes communiter reſpondent, damnum vicinis ita datum penſandum eſſe, *per l. capitalium. 29. §. incendiarii.ſup.de pœn. & l. qui occidit. 30. §.pen.ſup. ad l. Aquil.* Verùm hoc ita demum obtinet, ſi de homine, cujus culpâ incendium illud exortum eſt, certò conſtiterit. Neq; enim quiſquam inhabitantium de incendio tenetur, ſi ignoretur is, à quo verè illud profectum eſt, per ea quæ Menochius *in d.caſ.390.n.12.itemq; And. Geil. in obſ.22.n.3.lib.2.practic. obſ.* prolixius hâc de re tradunt.

Alterum, de quo hîc quæri ſolet, dominum
108 † reſpicit, an videlicet is de incendio culpa familiæ facto teneatur? Hujus quæſtionis reſolutio

tio peti poteſt *ex d.l.ſervus.§. Proculus ait.* ubi Ulpianus ex ſententia Proculi ſtatuit, dominum de incendio culpâ ſervorum immiſſo teneri, ſed ita, ſi noxios † ſervos habuerit: Sin verò ſer- 109
vi alioqui frugi ædificium incuria quadam incendiſſent, dominum culpâ carêre, atque iccirco liberandum eſſe ait, ſi ſervum noxæ dederit. Quod ſi de ſervis antiquitus conſtitutum fuit: hoc certè tempore, quo perſonarum ſervitus exolevit, operaque hominum liberorum domini utuntur, paterfam. de familiæ delicto haud tenebitur, ſi fortè ipſo inſcio ignem incuſtoditum habuerit: Verùm illa ipſa perſona, cujus negligentia incendium exortum eſt, incendii iſtius † nomine tenebitur, ac ſi in ære 110
non habuerit tantùm, quod damno reſarciendo ſufficiat, verberibus & fuſtibus, vel etiam relegatione culpa iſta vindicabitur, argumento ejus, quod ſcribit Gajus *in l. qui ædes 9. ſup. de incend. ruin. naufrag.* Neque enim auditum eſt in jure, ut homo liber pro homine † libero igna- 111
rus atque inſons teneatur: quin nec patrem pro filio, nec filium pro patre, nec virum pro uxore, nec uxorem pro viro, nec quemvis alium pro perſona † ſibi conjunctiſſima obligari le- 112
ges volunt, quemadmodum & inſcriptio & contextus tituli 12. atque ſequentis 13. libri 4. Codicis demonſtrant. Unde etiam Menochius *in d.caſ.390.n.21.* dominum ex facto ſuæ familiæ obligari negat, niſi ejuſmodi alat familiam,

quæ

113 quæ in vulgus vitæ ſit † improbatæ, atq; ad delinquendum prompta, *d. §. Proculus ait*: vel et-
114 iam familia deliquerit † in eo, in quo dominus ipſius operâ utitur. *d.l.ſi ſervus. §. ſi fornacarius.& §.ult. Inſtit.de oblig. quæ quaſ.ex delict.naſc.* Quod ipſum And.Geil.*in d. obſ.21. n. 6.* exemplo ſtabularii illuſtrat: hic enim, ſi ignem aut candelam in ſtabulo negligenter cuſtodiat, indeque incendium exiſtat, dominum ſuum eo nomine obligatum reddit, quoniam in officio ſibi commiſſo peccat: ſed ſi in alio loco incendium culpa ſtabularii factum ſit, dominus non tenebitur, quia extra officium ſibi demandatum ſtabularius deliquit. Atque hæc in præſenti de incendio culpâ cujuſpiam orto dicta ſunto.

115 Cæterum ſi dolo † malo incendium factum eſt, incendiarius de jure civili vel ex l. Cornelia de ſicariis, capite plecti, vel etiam vivus exuri debet, ſi nimirum conditio perſonæ id exegerit, veluti colligere eſt ex his, quæ & Gajus *in l. qui ædes 9. ſup. de incend. ruin. naufrag.* & Ulpianus in *l. ſi quis dolo.10. ſup.ad l. Cornel.de ſicar. necnon in l.ult.ſup.de incend.ruin.naufr.* & Calliſtratus in *l. capitalium 28. §. incendiarii ſup. de pœn.* notant. Quibus conſentit etiam *l. data 11. C.de his qui accuſ. non poſſ.* itemque Paulus in fine *tit.3.lib. 5.recept.ſentent.* Quamvis hodie ex criminali or-
116 dinatione Carolina † incendiarii hujuſmodi igni necentur, ſicut patet ex art.*125.* Plura qui ſcire hac de re volet, is conſulat ea, quæ tra-

dunt

dunt Marcellus Cala *in tractat. de mod. articul. & proband. gl. un. §. 2. n. 192. Jul. Clarus lib. 5. ſentent. §. ult. quæſt. 68. n. 20. Mynſing. in obſ. 88. cent. 6. Matthæus de Afflict. in deciſ. Neapol. 57. Robertus Maranta in conſ. 145. Portius conſ. 72. n. 4. & 8. Tib. Decianus reſp. 29. n. 15. vol. 1. & VVeſenbecius in conſ. 57. n. 14.* Quibus adjungi poſſunt illa, † quæ noviſſimè à Scabinis VVittenbergenſibus ac Lipſenſibus *in quæſt. 74. part. 4. conſultat. Saxonic.* notata ſunt. 117

L. 24.

Paulus libro quinto ad Sabinum.

¶ *Quatenus cujus interſit, in facto, non in jure conſiſtit.*

SUMMARIA.

1 *Verbum Intereſſe an veteribus ICtis inſolens fuerit?*
2 *Id quod intereſt qualiter ab Accurſio definiatur?*
3 *Id quod intereſt cur utilitas nominetur?*
4 *Quantum cujuſq; interſit, certò definiri non poteſt.*
5 *Precium, & id quod intereſt an idem ſint?*
6 *Id quod intereſt in facto conſiſtit.*
7 *Ius ſemper certum ac definitum eſt.*
8 *Facta incerta ſunt.*
9 *Id quod intereſt quomodo à judice definiri debeat?*
10 *Certi caſus in l. unic. C. de ſentent. quæ pro eo quod inter. profer. quinam dicantur?*
11 *Incerti caſus qui ſint?*

12 *Certos atq; incertos caſus aliter Donellus, quàm Cujacius exponit.*

1 FUlgoſio & quibuſdam aliis verbũ † *Intereſſe* inſolẽs eſſe, atq; ex gloſſis in legem irrepſiſſe videtur: ſed nõ eſt ita. Nam verbũ hoc paſſim in Jure tam civili quàm Canonico reperitur, & quidem in eadem ſignificatione, in quâ Imp. Juſtinianus *in l.unic.C.de ſentent.quæ pro eo quod inter.profer.* illud uſurpat, veluti patet *ex principio l. debitor.82.ſup.de legat.7.* (tametſi in hac l. quædam exemplaria pro verbo *Intereſſe*, vocabulum *Interuſurium* repoſitum habeant.) *c.ſacro.48. ibi excommunicator condemnetur ad intereſſe excommunicato. ext. de ſentent. excommun.c.ſi facta. ſi de feud. defunct. content.ſit int.domin.& agnat.vaſall.*

2 Cæterum id quod † intereſt ab Accurſio definitur damnum emergens ac lucrum ceſſans ex eo quod fieri debuit, nec factum eſt. Tantum enim mea interfuiſſe dicitur, quantum, ut exponit Paulus *in principio l.ſi commiſſa 13.ſup.rem rat. haber.* mihi abeſt, quantumq; lucrari potui. Non tamen ſimpliciter hìc agitur in id, quod mihi abeſt, ſed in id, ut conſequar æſtimationem ejus, quod habui, nunc verò mihi abeſt, quodq; lucratus nõ ſum, cùm lucrari potuiſſem. Quod ipſum, videlicet conſequi quod habui, quodq; lucrari potui, utrumq; mihi eſt utile. Unde à veteribus quoque id, quod cujuſq; intereſt, u-

3 tilitas † nominatur, ſicuti videre eſt *ex l.2.ſup. de*

eo cert.

*eo cert.loc. dar.op.l.proinde.22.ſup.ad l.Aquil.l.ſi ſteri-
lis. 21. §. cùm per venditorem.ſup.de act.empt.& l.pen.
ſup.ſi quis caut.jud.ſiſt.cauſ.fact.non obtemp.*

Quanta † verò illa utilitas ſit, nec definitum 4
eſt, nec certa juris regula definiri poteſt: ſiqui-
dem variæ perſonarum, locorum & temporum
circumſtantiæ faciunt, ut utilitas iſta interdum
tanti ſit, quanti eſt ipſa res: quo caſu rei † pre- 5
cium, idque quod intereſt, idem ſunt, veluti pa-
tet *ex l. inde Neratius 23. ſup. ad l. Aquil.* aliquando
pluris, ut refert Ulpianus *in pr.l. 1.ſup. de act.empt.*
nonnunquam etiam minoris, ut docet idem
Ulpianus *in fine l. Julianus 9. ſup. ad exhib.* cui con-
ſentit *l.ult.ſup.de ſtipul.prætor.*

Atque hanc ob cauſam Paulus hoc loco, id
quod cujuſque † intereſt, non in jure, ſed in fa- 6
cto conſiſtere ait. Jus enim † ſemper certum ac 7
definitum eſt, ſed factum † incertum: ideoque 8
veritas ejus tota in probationibus conſiſtit, *per
l. ubi autem. 75. §. qui id. ſup. de verb. oblig.* Et, ut ex
Papiniano reſpondet Marcianus *in l. 1. §. quorum
alterum. ſup. ad SC. Turpil.* in arbitrio judicantis
eſt: tametſi judex illud, quod videlicet cujuſq; † 9
intereſt, ita arbitrari debeat, ut in caſibus certis
duplum ejus, quod in obligationem venit,
non excedat: in caſibus verò incertis veram æ-
ſtimationem ejus non egrediatur, *l.un.C.de ſen-
tent.quæ pro eo quod inter.profer.*

Caſus certi † hìc denotant res certas, quæ vi- 10
delicet certam quantitatem vel naturam, ſeu, ut

 Cujac.

Cujac. *in cap.31. lib.9. obſ.* interpretatur, certam pecuniæ ſummam, certúmve corpus conti-
11 nent. Quæ verò neque † certam pecuniæ ſummam, neque certum corpus habent, eæ res ſive caſus incerti ſunt: licet Donellus *in cap.17. & ſeq.*
12 *libri 26. comment. de jur. civil.* caſus † certos vocet illos, ſi in obligationem deducta ſit aut certa quantitas, aut, ut quid detur. Itaque ex Donelli ſententia caſus incerti erunt, in quibus vel incerta quantitas, vel ut quid fiat, in obligationem venit. Cum quibus ſi conferantur ea, quæ Johan. Vaudus *in cap.8. lib.2. variarum quæſtionum.* & Ant. Guibertus *in cap. 4. quæſtionum juris* hac de re ſcripſerunt, perſpicua magis evadent ea, quæ aliâs ſatis obſcura ſunt.

L. 25.

Pomponius libro undecimo ad Sabinum.

¶ *Plus cautionis in re eſt, quàm in perſona.*

Summaria.

1 *Cautio pignoratitia creditorem ſecurum reddit.*
2 *Pignori incumbere ſatius eſt, quàm in perſonam agere.*
3 *Poſſidere tutius eſt, quàm in perſonam agere.*
4 *Furti agere poteſt creditor ob ſurreptam rem pignori ſibi datam, quamvis debitor, qui pignori rem dedit, ſolvendo ſit.*

5 Cre-

5 *Creditor, quò minus ſuum à debitore conſequatur, facilè impediri poteſt.*
6 *Cautio fidejuſſoria an pignoratitiæ cautioni præſtet?*
7 *Satiſdationes prætoriæ fidejuſſorem exigunt.*
8 *Fidejuſſor facilius conveniri, quàm pignus diſtrahi poteſt.*
9 *Pignoris diſtractio non ſine exiguo temporis intervallo permittitur.*
10 *Fidejuſſor jure veteri conveniri à creditore poterat, etiam antè quàm bona debitoris principalis excuſſa fuiſſent.*
11 *Cautionem idoneam quis præſtitiſſe dicitur, ſive pignore, ſive fidejuſſore caverit.*
12 *Cautio pignoratitia debitum certius ſervat quàm fidejuſſoria.*
13 *Fidejuſſor æquè ac debitor principalis foro cedere, aut fidejuſſionem abjurare poteſt.*

EX omnibus † cautionibus nulla creditorem tam ſecurum reddit, quàm pignoris datio: quod ſatius ſit rem ſibi devinctam habere, ſeu, ut loquitur Juſtinianus *in §. unde conſtat. Inſt. de oblig. quæ ex delict. naſc.* pignori † incumbere, ſive, ut habet Ulpianus *in l. 1. §. 1. ſup. de ſuperfic.* poſſidere, quàm † in perſonam agere. Ex quo fundamento etiam creditor, cui ſurrepta eſt res pignori data, furti † actionem eo nomine habet, quamvis debitor ſolvendo ſit, *l. itaq; fullo 12. §. ult. ſup. de furt.* ſiquidem fieri poteſt, ut † debi-

1 2 3 4 5 (margin)

tor antè quàm res exigatur, ſolvendo eſſe deſinat, vel creditum abjuret. Verùm huic adverſari videtur *l. prætoriæ. 7. ſup. de ſtipul. prætor.* ubi Ul-
6 pianus † cautionem fidejuſſoriam, quæ videlicet in perſonam eſt, pignoratitiæ præferre videtur, hoc ipſo, quòd debitorem, qui fidejuſſorem dare debuit, liberari negat, ſi pignus dede-
7 rit. Reſpondeo Ulpianum eò loci loqui de † ſatiſdationibus prætoriis, quæ fidejuſſorem exigunt, non quòd in eo plus cautionis ſit, quàm
8 in pignore: ſed quòd † facilius fidejuſſor conveniri, quàm pignus diſtrahi poſſit.

Etenim ad pignoris diſtractionem, ſicut videre eſt *ex l. ult. C. de jur. domin. impetr.* longiore
9 † circuitu devenitur, quàm ad ſolutionem à fidejuſſore faciendam, quippe qui jure veteri et-
10 iam antè quàm bona debitoris † principalis excuſſa fuiſſent, conveniri à creditore poterat, veluti liquet *ex l. 4. C. de fidejuſſ.* Aliàs extra ca-
11 ſum prædictum pignoratitia † cautio æquè admittitur atq; fidejuſſoria, & idoneè caviſſe quis dicitur, ſive pignore, ſive fidejuſſore caverit, *per l. ſi mandatu. 59. §. ult. ſup. mandat. & l. promiſſor. 21.*
12 *§. ult. ſup. de pec. conſtit.* licet † pignoratitia cautio fidejuſſoriæ in hoc præſtet, quod debitum cer-
13 tius ſervat: cùm fidejuſſor non † minus quàm debitor principalis foro cedere, aut fidejuſſionem abjurare poſſit.

L. 26.

Ulpianus libro triceſimo ad Sabinum.

¶ *Qui poteſt invitis alienare, multò magis & ignorantibus & abſentibus poteſt.*

Hujus l. interpretatio dependet ex iis, quæ notavi ad l. *non debet. 21. ſup. h. t.*

L. 27.

Pomponius libro 16. ad Sabinum.

¶ *Nec ex prætorio, nec ex ſolenni jure, privatorum conventione quicquam immutandum eſt, quamvis obligationum cauſæ pactione poſſint immutari & ipſo jure, & per pacti conventi exceptionem: quia actionum modus vel lege vel per prætorem introductus privatorum pactionibus non infirmatur, niſi tunc, cùm inchoatur actio, inter eos convenit.*

SUMMARIA.

1 Pacta utplurimum contractibus inſeri ſolent.
2 Contractuum ſubſtantialia quæ ſint?
3 Stipulationis ſubſtantiale quódnam ſit?
4 Emptionis ac venditionis ſubſtantiale eſt precium.
5 Locationis ac conductionis contractus non ſubſiſtit, niſi merces intervenerit.

6 Societas non eſt, niſi rerum in ſocietatem deductarum ſit communio.

7 Contractuum ſubſtantialia conventione immutari non poſſunt.

8 Contractuum naturalia quæ dicantur?

9 Contractuum naturalia ſunt vel interna, vel externa.

10 Contractuum naturalia interna quæ vocentur?

11 Emptioni ac venditioni translatio dominii neceſſariò adhæret.

12 Societatis naturale internum eſt lucri & damni partitio.

13 Contractuum naturalia interna perinde ut illorum ſubſtantialia per conventionem immutari non poſſunt.

14 Contractuum naturalia externa quæ dicantur?

15 Contractuum naturalia externa pactione immutari poſſunt.

16 Evictio venditioni naturaliter ineſt.

17 Venditor de evictione non tenetur, ſi convenerit, ne illa præſtetur.

18 Mutui naturale externum quodnám ſit?

19 Mutuum ſubſiſtit, etiamſi melius aut deterius redditum fuerit, dummodo ejuſdem generis ſit, quod redditum eſt.

20 Vinum novum ex conventione pro veteri vino reddi poteſt.

21 Contractuum accidentalia quænám dicantur?

22 Contractuum naturalia interna Cujacius perinde habet, ut ipſorum ſubſtantialia.

23 Con-

23 Contractuum naturalia externa, eorumq; accidentalia Cujacius adminicula contractuum vocat.

24 Jus publicum privatorum hominum arbitrio infringi non poteſt.

25 Contractus forma ſi immutetur, contractus non eſt.

26 Contractuum adminicula formam contractuum non perimunt.

27 Conventionem contractui dare legem quomodo intelligendum?

28 Actionum forma legibus conſtituta pactionibus privatorum hominum immutari non poteſt.

29 Jus ſolenne idem eſt quod jus publicum.

30 Obligationum cauſæ mutari per conventiones poſſunt.

31 Species ex genere infertur, non contra.

32 Ratio generalior eſt, quàm idipſum, cujus ratio redditur.

33 Obligationum cauſæ quando immutari poſſint?

34 Pactum ex intervallo interpoſitum contractui ex parte actoris non ineſt.

35 Pactum in continenti contractui adjectum actionem informat.

36 Pactum ex intervallo contractui adjectum non attenditur, niſi per exceptionem opponatur.

37 Pactum quodnám contractui inſit?

38 Pactum ex intervallo adjectum contractui non ineſt.

39 Emptor evictionis nomine experiri non poteſt, ſi poſt

emptionem contractam pactum de cautione ob evictionem præſtanda cum venditore inierit.

40 *Actio ex pacto non datur.*

41 *Pactum contractui ſtricti juris in continenti adjectum an ex parte actoris æquè illi inſit, atque ineſt, ſi initio bonæ fidei contractui adjectum fuerit?*

42 *Pactum actionem ex contractu competentem informat, ſi ex parte actoris illud contractui inſit.*

43 *Contractus bonæ fidei contractibus ſtricti juris opponuntur.*

44 *Incluſio unius eſt excluſio alterius.*

45 *Stipulatio eſt contractus ſtricti iuris.*

46 *Stipulationi id ſaltem ineſt, quod in eam nominatim deductum eſt.*

47 *Mutui obligatio ulterius quàm acceptum eſt, non ligat.*

48 *Contractus bonæ fidei quamvis pactionem admittunt.*

49 *Pactum in continenti adjectum actiones ex contractibus ſtricti juris deſcendentes æquè atq; actiones bonæ fidei, ex ſententia Zaſii informat.*

50 *Intellectus l. lecta. 40. ff. ſi cert. petat.*

51 *Diſtingui non debet, quod lex non diſtinguit.*

52 *Stipulatio per pactum in continenti adjectum reformatur.*

53 *Pactum conditionale puræ ſtipulationi ineſt.*

54 *Contractus ſtricti juris non reſpuunt iſta pacta quæ actionem informant.*

55 Mu-

55 *Mutuum ita contrahi non poteſt, ut ex pacto undecim debeat, qui decem duntaxat mutua accepit.*

56 *Sors particulatim ſolvi poteſt, ſi in initio contractus id convenerit.*

CUm pacta in contractibus † utplurimum 1 interponi ſoleant, haud abs re quæri ſolet, quem effectum illa in ſingulis contractibus ſortiantur? ſciri autem illud non poteſt, niſi ſubſtantialia ſingulorum contractuum ab his, quæ illis inſunt, vel accidunt, accuratè diſcernantur. Quod ut paulò plenius explicetur, ſciendum eſt, ex communi interpretum ſententia, ut refert Gabr. Mudæus *in ſuo tract. de contr. empt. part. 5. n. 13.* in contractibus quædam eſſe ſubſtantialia, quædam naturalia, quædam deniq; accidentalia.

Subſtantialia † ſunt, quæ formam contra- 2 ctui indunt, & ſine quibus contractus conſiſtere omninò nequit: ut in contractu † ſtipulatio- 3 nis ſubſtantiale eſt interrogatio, & ad eam facta reſponſio, *l. 1. ſup. de verb. oblig.* in contractu † em- 4 ptionis venditionis precium. *§ precium autem. Inſtit. de empt. & vendit.* in conttactu locationis † & 5 conductionis merces. *l. 2. in pr. ſup. locat.* in contractu † ſocietatis ſubſtantiale eſt rerum com- 6 munio. *l. 1. in fine ſup. pro ſoci.* Atque hujuſmodi † 7 ſubſtantialia nulla conventione immutari poſſunt, neque enim emptio ſine precio: nec loca-

tio ſine mercede: nec ſocietas ſine communio-
ne rerum: nec ſtipulatio ſine intrrogatione ac
reſponſione ſubſiſtere poteſt.
8 Naturalia † illa ſunt, quæ contractui legis
autoritate inſunt, etiamſi de illis inter contra-
hentes nominatim nihil convenerit. Suntque
hæc, ut ſcribit Zaſius *in cap. 12. n. 5. lib. 1. ſingul. re-*
9 *ſponſ.* interna, † vel externa. Naturalia † interna
10 dicuntur, quæ contractui perpetuò inſunt, ei-
que neceſſariò adhærent, ut in contractu em-
11 ptionis † venditionis dominii translatio: in
12 contractu ſocietatis † damni & lucri partitio.
13 Et nec hæc conventione aliqua † immutari
poſſunt: neq; enim pactio hujuſmodi iniri po-
teſt, ut rei venditæ dominium in emptorem
non transferatur. *l. cum manu. 80. §. ult. ſup. de con-
trah. empt.* neque etiam pacto fieri poteſt, ut al-
ter ſociorum lucrum, alter damnum ſentiat. *l.*
14 *ſi non fuerint. 29. §. ult. ſup. pro ſocio.* Naturalia † ve-
rò externa Zaſius nuncupat, quæ ex conſuetu-
15 dine quadam † contractibus inſunt, atque hæc
pactione immutari poſſunt, ne præſtentur: ve-
16 luti † evictio naturaliter quidem emptioni in-
17 eſt, ſed ita, ut ſi pactio inita ſit, ne † præſtetur,
venditor ad illam non obligetur. *l. cum ea. 68. in*
18 *pr. ſup. de eviction.* Ejuſmodi naturale † in mutuo
eſt, ut in eadem bonitate reddatur quod datum
19 eſt. Et tamen dubium non eſt, quin † mutuum
valeat, ſi ejuſdem generis res reddita fuerit, et-
iamſi deterior, vel etiam melior illa ex pactione
red-

reddatur, teſte Mudæo *in d.part.5.n.16.* Atq; hinc pactione fieri poteſt, ut † vinum novum pro ve- 20
tere, quod datum eſt, ex cauſa mutui reddatur, licet vinum vetus novo præſtet, quemadmodum notant interpretes *ad l.3.ſup.ſi cert.pet.*

Accidentalia deniq; vocantur illa, quę omninò extra † naturam contractus ſunt, qualia ſunt 21
illa, ut res vendita ſub conditione vel ad diem tradatur, vel ut emptori ſit locata tantiſper dum precium ſolvat, *l.cum venderem 21.ſup. locat.*

Hanc interpretum diſtinctionem Cujacius *in cap.28. libri 14. obſ.* ad duo capita reducit, ut videlicet quædam ſint ſubſtantialia, quædam adminicula contractus, atq; ita † naturalia inter- 22
na ad ſubſtantialia refert, naturalia † verò ex- 23
terna perinde ut accidentalia adminiculis annumerat, quod, ſalva contractus ſubſtantia, pactionibus immutari queant. Idq; ipſum à Pomponio in præſenti hac l. expreſſum eſſe interpretes nonnulli opinantur, dum nec ex prætorio, nec ex ſolenni jure privatorum † conventi- 24
one quicquam vult immutari, ne videlicet ad cujuſvis privati hominis arbitrium jus publicum infringatur. Etenim quilibet contractus ſua habet ſolennia, hoc eſt, propriam ſubſtantiam, atq; eſſentialem à jure præſcriptam † for- 25
mam, quæ ſi immutetur, contractus corruat neceſſe eſt, *per l. Julianus. 9.§.ſed ſi quis.ſup.ad exhib.* At verò obligationum cauſæ, ſive, ut iſti interpretan-

26 pretantur, contractuum † qualitates & adminicula ſecus ſe habent. Hæc enim formam contractuum non perimunt, proindeque pactionibus pro arbitrio contrahentium immutari poſſunt. Atq; ad hæc contractuum adminicula, illi ipſi interpretes pertinere ajunt tritam illam
27 juris regulam, qua contractus † ex conventione legem ac formam accipere dicuntur, *in l.1. §. ſi convenit. ſup. depoſ.*

Verùm Petrus Faber l. hanc nihil aliud ſibi velle ſcribit, quàm quòd modus actionum à
28 Prætore vel lege conſtitutus † privatorum pactionibus infirmari nequeat, propterea quòd
29 nec ex ſolenni ſive † publico, ut nominatur *in fine l. neq; pignus. 45. inf. h. t.* nec ex Prætorio jure quicquam privatorum pactionibus immutari
30 poſſit: quamvis cauſæ † obligationum mutari queant. Atque ideo, ut ratio deciſionis quæſtioni propoſitæ reſpondeat, particulam, *Quia*, initio legis ponendam eſſe ait: ſiquidem aliâs ex eo, quod modus actionum pactione privatorum non infirmatur, abſurdè inferretur, nec jus publicum privatorum pactione immutari poſ-
31 ſe: cùm Logici non ex ſpecie † genus, ſed potius
32 ex genere ſpeciem inferant, rationemq; † ſemper generaliorem eſſe velint, quàm eſt illud ipſum, cujus ratio redditur. Verumenimverò cùm hæc lectio nova ſit, nec ullius exemplaris fide munita, lectioni vulgari inſiſtere malim: præſertim cùm pro illa interpretatio ejuſmodi affer-

afferri poſſit, quæ & juri & rationi conveniat:
videlicet nec ex Prætorio, nec ex ſolenni jure
quicquam privatorum conventione immutan-
dum eſſe: quamvis obligationum cauſæ pactio-
nibus immutari poſſint. Immutantur autem
† obligationum cauſæ tum in initio, quando 33
videlicet obligationes contrahuntur, tum ex
intervallo, ſi nimirum pacta poſt obligationes
jam contractas, ſuper adminiculis interponan-
tur: tametſi hoc caſu, quando videlicet contra-
ctæ ſunt obligationes, ex iiſque actio jam nata
vel inchoata eſt, actio iſta amplius privatorum
pactionibus infirmari nequit, ne pactum ex † 34
intervallo interpoſitum ex parte agentis con-
tractui ineſſe videatur. *l. juriſgentium. 7. §. quinimò.*
ſup. de pactis. Itaque licet obligatio in ingreſſu
contractus & ipſo jure, & per pacti conventi
exceptionem immutari poſſit: exceptionem ta-
men iſtam opponi neceſſe non eſt, quoniam a-
ctio, niſi ad pactum † illud conformetur, ipſo 35
jure nulla eſt. Secus ſe res habet, ſi ex intervallo
pactum adjectum fuerit, veluti ſi poſt emptio-
nem jam contractam convenerit, ne venditor
de evictione teneatur: nam hujuſmodi † pa- 36
ctum nullius eſt efficaciæ, niſi per exceptionem
opponatur, *per l. pacta conventa 72. ſup. de contrah.*
empt. Unde ſatis liquet, ea demum pacta † con- 37
tractui ineſſe, quę in continenti adjiciuntur, ſeu
ut loquitur Ulpianus *in d. §. quin imò.* quæ in in-
greſſu cõtractus facta ſunt, antè videlicet quàm
is per-

is perfectus ſit & abſolutus, ſicut declarat Donellus *in l. in bonæ fidei. 13.n.10. & ſeq. C. de pact. per l. initio. 5. C. de pact. int. empt. & vendit.* Nã pacta, quæ
58 † ex intervallo adjecta ſunt, contractui non inſunt, ac proinde actionem ex contractu deſcendentem non informant, quantumvis reo exce-
59 ptionem pariant. Proinde emptor † ſi poſt emptionem jam contractam, & ſic ex intervallo cum venditore paciſcatur, ut ob evictionem ſatiſdet, evictionis hujus nomine experiri non
40 poteſt, quoniam † actio ex pacto non datur. *d. §. quinimò.*

Qua occaſione explicare libet difficillimam illam quæſtionem, in qua enodanda tàm veteres, quàm recentiores interpretes ita laborârunt, ut ne adhuc quidem ſatis inter ipſos con-
41 veniat: An ſcilicet pactum † contractui ſtricti juris in continenti adjectum æquè illi ex parte Actoris inſit, atque ineſt illud, quod initio bonæ fidei contractui adjectum fuit? Cujacius *in d. §. quinimò. ad verb. in bonæ fidei judiciis. & in tract. 8. ad Africanum ſuper l. Titius. 24. inf. de præſcript. verb. itemq; in cap. 24. lib. 10. obſervat.* ad hanc quæſtionem negativè reſpondet, videlicet pactum ex continenti factum in ſtricti juris contractibus
42 ex parte † actoris non ineſſe, hoc eſt, actionem ſtricti juris ex pacto ejuſmodi non informari: hoc ut ſtatuat, duobus potiſſimùm movetur fundamentis. Primùm enim ex eo, quod non ſolùm Ulpianus *in d. §. quinimò.* ſed etiam Imp.

Maxi-

Maximinus *in d. l. in bonæ fidei.* ſolis bonæ fidei
contractibus hoc tribuunt, ut pacta in conti-
nenti illis adjecta ex parte actoris inſint, Cuja-
cius concludit ſecus eſſe in ſtrictis contracti-
bus, quòd hi contractibus † bonæ fidei oppo- 43
nantur, teſte Juſtiniano *in §. actionum autem. In-*
ſtit. de action. Et aliâs regulare ſit, incluſionem
† unius eſſe excluſionem alterius, *argumento l.* 44
cum prætor. 12. ſup. de judic. Deinde contractus ſtri-
cti juris ſuâ naturâ ita comparatos eſſe ſcribit,
ut pacta quantumvis ſtatim ac in continenti ad-
jecta, illis tamen ad agendum ineſſe non poſ-
ſint. Nam ad † contractus ſtrictos & ſtipulatio 45
& mutuum refertur. Nihil autem ex † ſtipula- 46
tione eſſe poterit, niſi in eam nominatim & ex-
preſſis verbis ſit deductum. *l. quicquid 99. ſup. de*
verb. oblig. Nec † mutui obligatio, cùm re con- 47
trahatur, ſupra quàm numeratum eſt, contra-
hi poteſt, *per l. ſi tibi. ſup. de pact. & l. cum ultra. 9.*
C. de non num. pecun. idque plenius intelligitur
ex iis, quæ haud ita pridem notavi *ad l. rogaſti*
11. §. 1. ſup. ſi cert. petat. Hinc igitur infert, omnia
illa pacta, quæ hiſce contractibus adjiciuntur,
ineſſe iis non poſſe, repugnante videlicet ipſo-
rum natura, quæ talis ſit, ut ſine re aut verbis
nullam ex pacto obligationem recipiat: cùm è
diverſo † contractus bonæ fidei quamvis pa- 48
ctionem ut naturæ ſuæ convenientem admit-
tant. Atque hanc Cujacii ſententiam inter a-
lios amplectuntur etiam Donellus *in d. l. in bo-*

næ fidei. n. 31. VVeſenb. *in paratit. ff. de pact. n. 9. circa finem.* Borcholt *in commentariis ſuis de pact. cap. 6. n. 46.* & noviſſimè Everhardus Bronchorſt *in aſſertione ſua 23. cent. 1.* Nec eadem Alciato *hic. n. 42.* diſplicet.

Verumenimverò Zaſius *hic n. 34.* pro contraria propugnat ſententia, videlicet pacta in continenti adjecta etiam contractibus ſtricti juris
49 ineſſe, hoc eſt, actiones ex contractibus † ſtrictis deſcendentes æquè ac actiones bonæ fidei informare, ſic ut ſolennes ipſarum formulæ antiquitus conſtitutæ ipſo jure vel minuantur vel augeantur. Ad cujus confirmationem Zaſius non ſolùm *l. lectam. 40. ſup. ſi cert. petat.* ſed etiam *l. petens. 27. C. de pact.* adducit: quòd *in d. l. petens.* Impp. Diocletianus & Maximianus pro illo ſententiam ferri velint, qui petit ex ſtipulatione, cui pactum ſit adhibitum, ſive ante ſive pòſt ſtatim illud adhibitum fuerit. Et verò *in d. l. le-*
50 *cta,* Paulus † diſertè ſcribat pacta in continenti facta ſtipulationi ineſſe, nec diſtinguat, ex u-
51 trius, actorisne an Rei parte inſint, unde & † indiſtinctè ex utriuſque tam actoris quàm Rei parte illa ſtipulationi ineſſe Zaſius ſtatuit, *per l. de precio. 8. ſup. de publ. in rem action.* Quæ quidem ſententia non ſolùm communibus veterum interpretum ſuffragiis recepta eſt, ſed eandem quoque ex recentioribus approbârunt Coſtalius *hîc ferè in princ.* Cont. *lib. 1. diſp. cap. ult.* Connanus *lib. 5. comm. jur. civil. cap. 2. n. 7.* Duarenus

nus *in d. §. quinimò.* & Hotomannus *in illuſtr. quæſt.37.* Eandemque ego de jure veriorem eſſe exiſtimo.

Præterquam enim, quòd Paulus hìc nominatim illos perſtringit, qui pactum hujuſmodi ad exceptionem duntaxat prodeſſe volebant, ut ſcilicet reo defenſionem pareret: hoc quoq; negari nòn poteſt, ſtipulationem † per pactum 52
in continenti adjectum ita reformatam fuiſſe, ut creditor, cùm ex ſtipulatione integram ſortem, ejuſque uſuras una vice petere potuiſſet, nunc vi pacti adjecti non niſi partem ſortis ejuſque partis uſuras ſingulis menſibus petere poſſit: alioquin ſi integram ſortem, ejuſque uſuras una vice peteret, plus petendo cauſa caderet, *per §. plus autem. Inſtit. de action.* Quò facit etiam *l. 4. §. ult. ſup. de pact.* ubi † pactum condi- 53
tionale puræ ſtipulationi ineſſe dicitur, uſque adeò, ut ſtipulator ſortem, quam unà cum uſuris purè primùm ſtipulatus fuerat, vi pacti confeſtim interpoſiti petere non poſſit, donec uſuræ ſolvantur.

Neque adverſantur huic ſententiæ oppoſiti textus *in d. §. quinimò. & d. l. in bonæ fidei.* quod enim eò loci de bonæ fidei judiciis aſſeritur, id in d. l. lecta etiam ad contractus ſtricti juris accommodatur, & ſic quod uno loco prætermiſſum eſt, id alio ſuppletur. Neque ſequitur, pacta ex continenti appoſita formant actionem in bonæ fidei judiciis. Ergo contrarium ſit in

ſtrictis judiciis: præſertim cùm bonæ fidei judicia ibi ſaltem loco exempli referantur, atque hinc judicia ſtricta non excludant. Neque et-
54 iam exiſtimandum eſt contractus † ſtrictos pacta hujuſmodi, quæ videlicet actionem informent, ſuâ naturâ averſari: cùm quod ad ſtipulationem attinet, actio ex ſtipulatu ita concipiatur, quaſi pactum nominatim in ipſa ſtipulatione expreſſum & compromiſſum fuiſſet, atque hoc reſpectu etiam pactum hujuſmodi ex ſti-
55 pulatione eſſe dicatur. Ac licet mutuum † ita contrahi non poſſit, ut ex pacto undecim debeat, qui decem duntaxat mutua accepit, propterea quòd pacto iſto ſubſtantia mutui invertitur: contrahi tamen obligatio mutui ſic poteſt, ut ex pacto, quod confeſtim mutuo eſt adjectum, novem ſaltem debeat, cui decem fuerunt credita, *d. l. rogaſti.* §. *1.* quo caſu creditoris actio ita informatur, ut de jure non niſi novem petere poſſit. Sic quamvis natura mutui hæc ſit, ut ſors una vice reddatur: tamen ſi in ingreſſu
56 † hujus contractus convenerit, ut particulatim reddere ſortem liceat, fortè ſingulis menſibus centum, donec integra ſors exolvatur: conventio ſive pactum hujuſmodi mutuo inerit ex parte actoris, quoniam creditor quovis menſe non niſi centum petere poteſt.

L. 28.

Ulpianus libro 36. ad Sabinum.

¶ *Divus Pius reſcripſit, eos, qui ex liberalitate conveniuntur, in id quod facere poſſunt, condemnandos.*

SUMMARIA.

1 *Donator id ſaltem præſtare tenetur, quod ære alieno atq; alimentis deductis ſupereſt.*

2 *Æris alieni deductio non cuivis permiſſa eſt.*

3 *Liberalitas donatori damnoſa eſſe non debet.*

4 *Donatio, quæ fit ob cauſam, non gaudet iſto privilegio, quod donationi abſolutæ ſive ſimplici tributum eſt.*

5 *Intellectus l. Neſennius. 41. in pr. ff. de re judicat.*

6 *Dos à marito petitur non ut donum, ſed ut debitum.*

7 *Intellectus l. ſi extraneus. 33. ff. de jur. dot.*

8 *Donator privilegio ſibi à D. Pio indulto uti ſaltem poteſt adverſus donatarium.*

9 *Privilegium donatori competens ad fidejuſſorem vel heredes donatoris non extenditur.*

IN numerum perſonarum iſtarum quas non † in ſolidum, quod debent, ſed in id ſaltem, 1 quod facere poſſunt, jura damnari volunt, refertur etiam is, qui ex cauſa donationis convenitur, teſte Juſtiniano *in §. ſed etſi quis. Inſtit. de action.*

action. cui conſentit Paulus *in l. inter eos 19. §. 1. ſup. de re judic.* ubi ſimul hoc addit, donatorem ſolum præter alimenta omne æs alienum quoque, quo aliis eſt obſtrictus, deducere, atque ad illius demum, quod his deductis ſupereſt, præſtationem teneri: cæteris namq; perſonis hujuſmodi
2 † æris alieni deductio indulta non eſt, quemadmodum patet *ex l. & exheredatum. 49. ſup. de re judic.* Eodemque ſenſu intelligendum eſt principium *l. in condemnatione 173. inf. h. t.* Cujus nulla
3 alia ratio fingi poteſt, quàm ne donator † ſua liberalitate inops fieri periclitetur, *l. ne liberalitate 50. ſup. de re judic.* ſive ut loquitur Modeſtinus *in l. ad res donatas. 62. ſup. de ædil. edict.* ne ſuæ liberalitatis pœnam patiatur. Atque hæc quidem
4 locum habent † in donatione ſimplici & abſoluta; quæ ex mera liberalitate proficiſcitur: quoniam privilegio hoc non gaudet is, qui ob cauſam donat. *argumento l. hoc jure. 19. §. 1. ſup. de donat.* ſicut & eodem privilegio excluditur is, qui jam ſolvit, quod ad alimenta, hoc eſt, victum amictúmve ſuum deducere potuiſſet, *per l. nam & maritus 9. ſup. de condict. indebit.*

5 Prædictis non parum obſtare † videtur *l. Neſennius 41. in pr. ſup. de re judic.* ubi maritus in ſolidum convenire poteſt eum, qui pro muliere, cui donare volebat, dotem promiſit. Reſpondeo privilegium hoc, cujus conſtitutio D. Pii meminit, eo demum caſu admitti, ſi donatarius ipſe rem ſibi donatam à donatore exigat; at verò in

rò in ſpecie oppoſitæ *l. Neſennius.* donator dotem, quam marito promiſit, non marito, ſed ipſius uxori donatam voluit. Maritus igitur dotem † iſtam non tanquam donum, ſed velut debitum non minus exigere in ſolidum poteſt, 6
quàm is, cui donator à donatario delegatus rem donatam dare promiſit, *l. qui id. 33. §. ult. ſup. de donat. & l. pen. ſup. de novat.* Neque infringit hanc ſolutionem *l. ſi extraneus 33. ſup. de jur. dot.* quoniam † loquitur eò loci Ulpianus de ejuſmodi 7
extraneo, qui ſimpliciter dotem marito donationis cauſa promittit, ac proinde tam erga maritum, quàm mulierem donandi affectionem habuiſſe cenſetur: id quod vel ex eo quoque liquet, quia Ulpianus ad ſententiæ ſuæ confirmationem allegat D. Pii conſtitutionem, qua donator adverſus † nullum alium quàm donatarium niti poteſt, *d. §. ult.* veluti hoc pluribus 8
declarat Ant. Faber *in cap. 13. libri 2. conject.*

Illud denique omittendum hìc non eſt, beneficium ſive privilegium conſtitutionis D. Pii perſonale eſſe, ac proinde ſoli donatori † competere, nec ad fidejuſſorem vel heredes ipſius 9
extendi: ſiquidem & fidejuſſor & heredes donatoris, ſi à donatario conveniantur, in ſolidum condemnantur, *l. etſi fidejuſſor. 24. cum l. ſeq. ſup. de re judic.*

L. 29.

Paulus libro octavo ad Sabinum.

¶ *Quod initio vitioſum eſt, non poteſt tractu temporis convaleſcere.*

SUMMARIA.

1 *Vicioſum quod eſt initio, tractu temporis neq; in pactis, neq; contractibus, neq; etiam in cauſis teſtamentariis convaleſcit.*

2 *Stipulationis vocabulo omnes contractus denotantur.*

3 *Sacra vel publica res in ſtipulationem deduci non poteſt.*

4 *Sententia ab initio nulla tractu temporis non confirmatur.*

5 *Poſſeſſio initio vicioſa tractu temporis non convaleſcit.*

6 *Obligatio pupilli ſine tutoris autoritate initio facta non convaleſcit, etiamſi poſtea tutoris autoritas acceſſerit.*

7 *Tempus obligationem nec inducit, nec tollit.*

8 *Actus civilis non ex futuro, ſed præſenti tempore æſtimatur.*

9 *Conditionalia ex tempore præſenti ſtatum non capiunt.*

10 *Intellectus l.ult.C.ſi maj.fact.alien.ſine decret.fact.rat.habuer.*

Tam-

TAmetſi regula hæc cauſas teſtamentarias † potiſſimum reſpicit, earumq́; gratia etiam primò conſcripta eſt, ut docent exempla, quibus & Celſus *in l.1.*& Papinianus *in l.3.*& Ulpianus *in l.pen. ſup. de reg. Caton.* utuntur, quibus adjungi quoque poteſt *l. pen. inf. h.t.* Paulus tamen *in l. ſi tibi. 17. §. ſi pactus. ſup. de pact.* itemq́ue *in l.inter ſtipulantem.83.§.pen.ſup.de verb. obligat.* ſatis oſtendit, eandem ad pacta quoque ac contractus pertinere: ſiquidem ſtipulationis † vocabulo, cujus *in d. §. pen.* meminit, omnes contractus denotantur, veluti notant interpretes *ad pr.l.eandem 9. ſup.de duob. reis conſtit.* Atq; hujus exemplum extat *in §.idem juris eſt. Inſtit.de inut.ſtipul.* ubi ſtipulatio † de re ſacra vel publica facta invalida dicitur, etiamſi poſtea res iſta prophana aut privata efficiatur. Eidemq́ue regulæ in ſententiis, uſucapionibus, & quibuſcunque aliis negotiis locum eſſe docet. *l.ſi expreſſim. 19. ſup. de appell.* ubi ſententia † contra leges lata, & ſic ab initio nulla, tractu temporis, id eſt ex poſt facto non confirmatur, quamvis appellans fatalia appellationis labi paſſus ſit. Neque etiam poſſeſſio † initio vicioſa tractu temporis convaleſcit, *§.pen.Inſtit.de uſucap.* ubi heres rem, quam defunctus initio mala fide poſſidet, uſucapere non poteſt, etiamſi bona fide illam annos complures poſſideat. Sic obligatio † pupilli initiò ſine tutoris autoritate contracta non convaleſcit tempore, ſi videlicet poſtea ex in-

1 2 3 4 5 6

tervallo autoritas iſta interveniat, teſte Gajo *in l. obligari. 9. §. pen. ſup. de aut. & conſ. tut. & curat.*

Cur autem id, quod ab initio non valuit, tractu temporis firmari nequeat, ejus rationem Joh. Ramus, itemque Hieronymus Cagnolus
7 petunt ex tempore, quòd ſicut † obligationem nec inducere nec tollere poteſt, *per l. obligationum. 44. §. 1. ſup. de oblig. & actio.* ita nec ſine alterius cauſæ adminiculo actum reparare, ſive eum, qui ab initio invalidus fuit, confirmare poteſt. Quò accedit, quòd jura quemvis actum ci-
8 vilem † ex tempore præſenti æſtimant, nec ipſius ſtatum ex tempore futuro, ſive ut Hotomannus *in pr. illuſt. quæſt. 36.* loquitur, ex incerto futuri temporis eventu pendere volunt, ſecundum *l. continuus. 137. §. cùm quis. ſup. de verb. oblig.*
9 Unde cùm conditionalia † ex præſenti tempore ſtatum non capiant, nec in conditionalibus regulæ huic locum eſſe conſequitur *d. l. pen. ſup. de reg. Caton. & l. exiſtimo. 98. in pr. ſup. de verb. oblig.* excepta heredis inſtitutione, quæ ſub conditione facta eſt; nam & ad hanc regulam præſentem pertinere oſtendit Ant. Faber *in principio*
10 *cap. 19. lib. 12. conjectur.* Ac licet hujus † regulæ exceptio, quam pleriq; & *in l. ult. C. ſi maj. fact. alien. ſine decret. fact. rat. habuer.* proditam eſſe ajunt, à nonnullis vera exceptio eſſe negetur, propterea quòd eò loci non ſolùm tempus, de quo l. præſens loquitur, verùm ratihabitio ejus, qui jam

25. annis major factus eſt, alienationem initio vitioſè factam corroboret: mihi tamen illa ipſa l. eatenus regulæ hujus exceptio eſſe videtur, quatenus alienatio ejuſmodi ſilentio quinquénnii firmatur. Cujus confirmationis exemplum quoq; extat *in l. un. §. 1. C. de contract. judic.*

L. 30.

Ulpianus libro 36. ad Sabinum.

¶ *Nuptias non concubitus, ſed conſenſus facit.*

Summaria.

1 *Nuptiæ perinde ut ſponſalia ſolo conſenſu contrahuntur.*

2 *Nuptiæ cur hypothecis comparentur?*

3 *Sponſalia futurum matrimonium inducunt.*

4 *Nuptiæ perſiciunt promiſſionem in ſponſalibus factam.*

5 *Nuptias conſenſus facit, non concubitus.*

6 *Nubenti fœminæ quod legatum eſt, debetur ſimulac uxor ducta eſt, etiamſi in cubiculum mariti necdum venerit.*

7 *Intellectus l. pen. ff. quand. dies legat. ced.*

8 *Nuptiarum cauſa efficiens nihil operatur, niſi adſit perſona nuptiis idonea.*

9 *Mares quando nuptiis ſint idonei?*

10 *Fœmellæ anno ætatis duodecimo completo nubere poſſunt.*

11 Nuptiæ conſiſtunt etiamſi pompa nuptialis non intervenerit.

12 Uxor legitima dicitur, quæ maritali affectione habetur.

13 Intellectus l. mulierem. 5. ff. de rit. nupt.

14 Mulieris deductio in domum mariti an ad contrahendas nuptias ſit neceſſaria?

15 Intellectus l. cum in te. 6. C. de donat. ant. nupt.

16 Nuptiæ quando in dubium vocantur, tum demum attendi debet, utrum mulier in domum mariti deducta ſit?

17 Nuptiæ quorum conſenſu indigeant?

18 Parentum conſenſus in liberorum nuptiis & naturali & civili ratione requiritur.

19 Liberorum voluntas rata prius non eſt, quàm à parente approbata fuerit.

20 Heres invito agnaſci non poteſt.

21 Conſentire intelligitur qui non contradicit, neq; etiam evidenter diſſentit.

22 Pactum dotale præſente nec contradicente patre conſcriptum valet, quamvis à patre ſubſcriptum non ſit.

23 Parentis juſſus an in liberorum nuptiis præcedere debeat?

24 Liberi ex nuptiis ſine parentis conſenſu contractis nati an legitimi ſint?

25 Ratihabitio pro juſſu habetur.

26 Conſenſus pòſt interveniens perinde habetur ac ſi initio interpoſitus ſit.

27 Verbum Debere *quid arguat?*

28 Pa-

28 Parentum conſenſus an jure Canonico quoq; in liberorum nuptiis neceſſariò requiratur?

29 Matrimonium eſt res ſpiritualis.

30 Uxor de jure Canonico à patre peti ac deſponſari debet.

31 Puella de voluntate parentum nubere debet.

32 Intellectus c.ſufficiat.27.q.2.

33 Legis vocabulo Canones juris Pontificii non denotantur.

34 Matrimonium rei ſpirituali nonnunquam comparatur.

35 Patria poteſtas quatenus in ſpiritualibus attendatur?

36 Jus divinum vult, ut parentum conſenſus in liberorum nuptiis accedat.

37 Parentum conſenſum in liberorum nuptiis deſiderari exemplis tum ſacris, tum prophanis probari poteſt.

38 Puellæ votum Deus ratum ante non habuit, quàm à patre ipſius probatum fuiſſet.

39 Matrimonium ſine parentum conſenſu contractum dirimi non poteſt, ſi copula carnalis intervenerit.

40 Mulieris pudicitia amiſſa recuperari non poteſt.

41 Prohibita fieri aliquando ſuſtinentur, ſi facta fuerint.

42 Liberi an poſſint exheredari ex hac cauſa, quòd ſine parentum conſenſu nuptias contraxerunt.

43 Exheredationis cauſæ quot ſint?

44 *Parentes liberos matrimonium abſq; ipſorum conſenſu ineuntes bonis uſq; ad legitimam privare poſſunt.*

NUptiæ cum ſponſalibus in hoc quidem
1 conveniũt, quòd tam nuptiæ, quàm † ſpõſalia ſolo conſenſu contrahuntur, *l. 4. in pr. ſup. de ſponſal. & l. 4. in fine. ſup. de fid. inſtr.* ubi nuptiæ
2 eadem de † cauſa hypothecis comparantur: verùm in eo nuptiæ ac ſponſalia differunt, quòd
3 conſenſus in † ſponſalibus futurum, in nuptiis autem præſens matrimonium reſpicit, hoc eſt, in ſponſalibus interponitur conſenſus ad hunc finem, ut nuptiæ ſtatim non ſint, ſed ut ſponſalia conſtituantur. In nuptiis conſenſus ad hoc interponitur, ut nuptiæ ſtatim ſint. Unde rectè dicitur, ſponſalia eſſe promiſſiones de accipiendo conjuge, qualibuſcunq; tandem verbis fi-
4 ant: Nuptias † verò eſſe, quibus conjux accipitur, ac promiſſio prius facta perficitur. Itaq; nu-
5 ptias facit † nón concubitus, ſed, ut Ulpianus hìc refert, conſenſus, ſive, ut idem ille Ulpianus *in l. cum hic ſtatus 32. §. ſi mulier. ſup. de donat. int. vir. & uxor.* interpretatur, maritalis affectio. Cujus exemplum inſigne extat *in l. cui fuerit. 15. ſup. de condit. & demonſt.* ubi quæritur, utrum fœmella
6 iſta, cui legatum † adſcriptum eſt ſub hac conditione, ſi in familia nupſiſſet, conditionem hanc impleviſſe videatur, ſimul ac uxor ducta eſt, an verò ad hoc etiam exigatur, ut in cubicu-

lum

lum mariti venerit? Et reſpondet Ulpianus ex ſententia hujus regulæ, conditionem impletam eſſe eo ipſo momento, quo uxor eſt ducta, etiamſi in cubiculum mariti necdum venerit. Neq; enim iſtorum ſententia recepta eſt, quibus nuptiæ contractæ non videbantur, niſi corpore conjuges conveniſſent, ſicut patet *ex l. pen. C. de inceſt. nupt.*

Verùm prædictis adverſari † videtur *l. pen. ſup. quand. dies legat. ced.* ubi puellæ legatum ſub ſimili conditione relictum eſt, nec tamen Labeoni nupta videtur illa, quæ virum pati non poteſt: Reſpondeo verba Labeonis non ad efficientem nuptiarum cauſam, quæ nudo conſenſui adſcribitur, ſed ad nuptiarum materiam pertinere: quemadmodum igitur † cauſa efficiens tum eſt efficax, quando materia non deſtituitur: ita etiam conſenſus facit nuptias, modò adſint cætera, quæ ad legitimas nuptias lex requirit: inter cætera autem requirit partes genitales, ac præterea ætatem † nuptiis idoneam, quam jus civile in maſculis poſt annum 14. completum, in fœmellis verò † exacto anno duodecimo eſſe ſtatuit. *l. ult. C. quand. tutor. vel curat. eſſe deſ.* eodemq; pertinet *l. in cauſis. 10. C. de repud.* Ergo de jure civili ſolo conſenſu ſine concubitu nuptiæ fiunt etiam antè quàm mulier in domum mariti deducta ſit. Neque enim ex eo, quòd mulier in domum mariti deducta vel non deducta eſt, definiri debet nuptias contractas

vel

vel non contractas eſſe: cùm deductio iſta ad
11 pompam † nuptialem pertineat, ſine qua nuptiæ conſiſtunt, *per l. ſi donationum. 22. C. de nupt.* Unde etiam Juſtinianus *in § ſui autem. Inſtit. de he-*
12 *red. quæ ab inteſt. def.* legitimam † uxorem eam definit eſſe, quæ affectione maritali habetur: cujuſmodi affectione idem quoque nuptias fieri ſcribit *in Novella 22.* Cui non obſtat Pompo-
13 nius *in l. mulierem 5. ſup. de rit. nupt.* quia † loquitur de muliere quæ abſenti nubit, quo caſu conſenſus mutuus ita demum apparet, ſi in
14 † domum mariti mulier deducta ſit. Sicuti & in caſu *d. l. cui fuerit.* id, quod mulieri promiſſum eſt ſub hac conditione, ſi nupſiſſet, antè exigi non poteſt, quàm mulier in domum mariti deducta ſit: quia diſertè hoc ipſum conſtitutum eſt *in l. ſancimus 24. C. de nupt.* tum quòd deductio iſta in dubio contracti matrimonii argumentum ſit: tum quòd vulgus hominum id tempus pro nuptiis habere ſoleat, non quo vir ac mulier in matrimonium conſentiunt, ſed quo pompa nuptialis celebratur. Ex quo hoc etiam
15 † intelligitur *l. cùm in te 6. C. de donat. ant. nupt.* quæ ſimiliter prædictæ aſſertioni opponi ſolet, ideo deductionem ejuſmodi attendere, quia
16 † dubium fuit utrum à ſponſo, an verò à marito donatio facta fuiſſet: in quo dubio ad diſtinctionem hanc recurri jura volunt, utrum donatio facta ſit ante vel pòſt quàm mulier in domum mariti deducta eſt; Atque hoc modo diſcrepan-

tiam

tiam iſtam conciliandam eſſe, haud obſcurè Pacius quoque *in quæſt. 47. cent. 5. ll. concil.* innuit.

Porrò quod de † conſenſu ad contrahendas 17
nuptias neceſſariò dixi, id de ſolo conſenſu eorum, qui nuptias ineunt, accipiendum non eſt: cùm & parentes, in quorum poteſtate hi ſunt, conſentire in iſtas nuptias oporteat. *l. 2. ſup. de rit. nupt. & l. neq; filium 12. C. de nupt.* idq; † tam 18
naturalis, quàm civilis ratio ſuadet, ut refert Juſtinianus *in pr. Inſtit. de nupt.* Naturalis quidem, quoniam naturâ æquum eſt, ut parentibus liberi pareant, atque ipſorum, à quibus tanto labore ad illam uſque ætatem educati ſunt, conſenſu quævis agant, *per l. 2. ſup. de juſtit. & jur.* Civilis verò, quia † patria poteſtas voluntatem li- 19
berorum ita cohibet, ut rata prius illa non ſit, quàm parentum conſenſu firmata fuerit, per ea, quæ notavi *ad l. 4. ſup. h. t.* cui accedit & hoc, quantum ad filiumfam. attinet, quòd per ipſius nuptias † patri invito ſuus heres agnaſci non 20
poſſit. *§ ſed ſi quis. Inſtit. de adopt.* Utrum autem expreſsè parens conſentiat, an tacitè, nihil intereſt: nam & is † conſentire intelligitur, qui non 21
contradicit, aut evidenter non diſſentit, veluti ex reſcripto Imp. Antonini refert Ulpianus *in l. 2. § ult. ſup. ſolut. matrim. quemad. dos petat.* cui conſentit Paulus *in l. in ſponſalibus. 7. ſup. de ſponſal.* Quam ob cauſam † etiam pactum dotale præ- 22
ſente nec contradicente patre conſcriptum va-

 let,

let, etiamſi pater non ſubſcripſerit, *l. 2. C. de nupt.*

Cæterùm Imperator Juſtinianus *in principio tituli Inſtit. de nupt.* parentis conſenſum tantope-
23 rè † in liberorum nuptiis requirit, ut juſſum illius præcedere quoque velit: quod Bartolus & quidam alii interpretes ita ſtrictè accipiunt, ut
24 exiſtiment liberos ex nuptiis ſine † parentis conſenſu contractis procreatos legitimos non eſſe, ſed ſpurios remanere, tametſi parens poſtea conſenſum ſuum interpoſuerit, *per l. Paulus. 11. ſup. de ſtat. homin.* cum qua congruit & Paulus *in l. eos qui. 65. §. 1. ſup. de rit. nupt.* & Imp. Gordianus *in l. etſi contra. 6. C. eod.* ubi uterque eos demum liberos legitimos pronunciat, qui nati ſunt pòſt quàm juſtæ nuptiæ effectæ ſunt. Verùm Coſtalio *in l. 2. ſup. de rit. nupt.* hoc ſummam injuſtitiam habere videtur: cui Hotomannus quoq; *in illuſtri quæſt. 9.* adſtipulatur: ſatis eſſe, inquiens, ſi conſenſus parentis ſubſequatur, aut
25 in contrahendo interponatur: quod † ratihabitio hujuſmodi, ut in pleriſq; aliis juris articulis, ita & hoc caſu pro juſſu atq; autoritate habeatur, veluti dicetur *in l. ſemper. 60. inf. h. t.* Etſi igitur juſſus parentis regulariter nuptias liberorum præcedere debet: non tamen propterea excludendus eſt ille conſenſus, qui poſt nuptias jam contractas interponitur: cùm favore ma-
26 trimonii & liberorum † conſenſus, qui pòſt intervenit, perinde habendus ſit, ac ſi præceſſiſſet.

Ne-

Neque etiam † verbum *Debere*, quo Juſtinianus 27
in pr. tit. Inſtit. de nupt. utitur, neceſſitatem ſemper præ ſe fert, ſed pro ratione materiæ ſubjectæ honeſtati aliquando tribuitur. Quod tamen ita accipi nolim; quaſi in totum parentis conſenſus honeſtati relictus ſit: Verùm omnino ille in liberorum nuptiis requiritur, quamvis neceſſe non ſit, ut nuptias præcedat, ſed ſufficiat, ſi pòſt interpoſitus fuerit.

An autem † jus canonicum in hoc cum jure 28
civili conveniat, haud abs re quæritur. Sanè Didacus Covarruvias *in cap. 3. § 8. n. 1. de matrimon.* Sichardus *ad l. non eò minus. 14. n. 6. C. de procurat.* & hos ſecuti Ant. Guibertus *in cap. 12. quæſtionum juris*, nec non And. Geil. *in obſ. 95. n. 5. lib. 2. practic. obſervat.* jure Canonico ſecus ſtatutum eſſe ſcribunt, quippe quòd conſenſum patris in liberorum nuptiis non de neceſſitate, ſed de honeſtate duntaxat requirat: ex hac potiſſimùm ratione, quoniam matrimonium † ſit res ſpiritualis, 29
ac proinde poteſtatem patriam non attendat, *per c. ult. § ult. ext. de judic. in 6.* At verò Duarenus *ad pr. tit. ſolut. matrim. dos quem. pet.* in contraria eſt ſententia, videlicet Jure Canonico idem quod jure civili de hoc parentum conſenſu ſtatutum eſſe: quod Evariſtus Papa *in c. aliter. 30. q. 5.* matrimonium non aliter legitimum habet, quàm ſi à patre † uxor petatur & deſponſetur. 30
Ejuſdemque Evariſti ſanctio à Leone repetitur *in fine c. non omnis. 32. q. 2.* Idem planè vult *c. hono-*

31 *rantur. d. q. 2.* ubi puella † judicium parentum expectare jubetur. Sic & Pontifex Nicolaus *in c. noſtrates 30. q. 5.* diſertè affirmat, fœdera nuptialia celebrari conſenſu eorum, qui hæc contrahunt, & horum, in quorum poteſtate ſunt. Atque huic ſententiæ tanquam veriori ego ipſe
32 inſiſto, præſertim † cùm *c. ſufficiat. 27. q. 2.* quo tantoperè nituntur interpretes, qui contrarium ſentiunt, de eo ſaltem quærat, utrum ſolus conſenſus eorum, qui nuptias contrahunt, ſufficiat, an verò præter conſenſum concubitus quoque requiratur, & tandem reſpondeat ſolum conſenſum ſufficere, ſed ejuſmodi conſenſum, qui ſit ſecundum leges, ubi per leges non
33 Canones † juris Pontificii, quippe à quibus accuratè hinc inde diſtinguuntur, ſed ll. civiles intelliguntur, quæ illas demum, ut dixi, nuptias probant, quæ patris conſenſu contractæ ſunt.
34 Neque etiam concedo † matrimonium merè ſpirituale eſſe: comparatur quidem aliquando rei ſpirituali: ſed ſpirituale non eſt, cùm ſæpius in jure contractus nominetur, idq́ue præter alias ll. arguit *l. ſi uxor. 42. juncta cum l. 2. §. omnes. ſup. de judic.* Quò accedit, quòd regulæ illi, quæ
35 poteſtatem † patriam in ſpiritualibus attendi non vult, ita demum locus ſit, ſi poteſtas iſta rebus ſpiritualibus quid impedimenti afferret. At verò poteſtas patria uſque adeò matrimo-
36 nium non impedit, ut ſacræ literæ etiam † parentum conſenſum in liberorum nuptiis deſiderent.

Sic

Sic Rebecca non niſi ex patris † Bethuelis 37
manu petita eſt, *Geneſ. cap.24.* Et Jacobus à patre Labane uxorem ſumpſit, *Geneſ. cap.29.* Quò pertinet etiam *caput 30. Numer.* ubi Deus † vo- 38
tum ſibi à puella factum judicio patris permittit uſque adeò, ut ſi contradiceret pater, irritum illud eſſet. Ergo mnltò magis matrimonium, quippe quod eſt promiſſio homini facta, arbitrio patrio permiſſum cenſebitur. Quibus ſaniorum quoq; ethnicorum exempla reſpondent. Nam Achilles apud Homerum *lib.9. Iliad.* ne Regis quidem filiam ſine patris ſui conſenſu uxorem vult ducere. Atq; Andromacha apud Euripidem, cùm ipſius nuptiæ peterentur, reſpondit, patris ſui eſſe ſponſalium ſuorum curam habere. Quod dictum D. Ambroſio adeò placuit, ut in librum de Patriarchis illud retulerit, ac non tantùm lege Dei, ſed etiam naturæ lumine cognitum eſſe ſtatuerit, quòd liberorum nuptiæ ex parentum nutu pendere debeant. Quam ſententiam quoque inter alios probant Cujacius *ad tit.19. lib. 2. recept. ſent. Pauli.* VVeſenbecius *in paratit. ſſtorum de rit. nupt. n.3.* Schneidevvinus *in tit. Inſtit. de nupt. part.2. n. 34.* Everh. Bronchorſt *in aſſert. 15. cent.2.* ἐναντιοφανῶν. Eandemq; ſententiam Johan. Calvinus *in cap.7. verſ.37. 1. epiſtola Paulinæ ad Corinth.* Pet. Martyr *in loc. commun. 10. claſſ. 2. n.17. & aliquot ſeqq.* atq; *Theodor. Beza in tractatione de repud. & divort. pag. mihi 108. & pag. 216.* eruditiſſimè ex literis tum ſacris, tum prophanis explicant.

 Qua-

Quapropter tam Canonico, quàm civili jure parentum conſenſus in matrimoniis liberorum ineundis neceſſariò requiritur: quod ſi tamen eo caſu, quando conſenſus iſte adhibitus
39 non eſt, copula † carnalis interceſſerit, matrimonium propterea dirimi non debet: quoniam ſic publicæ honeſtatis ratio læderetur ob
40 pudicitiam † mulieris amiſſam, quæ revocari amplius neutiquam poteſt, *c. ſi Paulus 32. q. 5.*
41 præſertim cùm aliâs multa † prohibeantur legibus ne fiant, quæ tamen ſi facta fuerint, ex ratione ſuſtinentur. Veruntamen liberi hujuſ-
42 modi, qui videlicet citra † parentum ſuorum conſenſum nuptias contraxerunt, culpa non vacant, atq; iccirco licet ex ſententia Cujacii *ad partem 1. Novellæ 18. & in cap. 5. lib. 3. obſerv.* quem Joh. Borcholt quoque ſequitur *in tractat. de grad. quæſt. 5.* exhæredari nequeant, quod Juſtinianus
43 quatuordecim illis † cauſis, ob quas liberos exheredari *in Novella 115. cap. 3.* conceſſit, hanc ipſam non annumeravit: bonis tamen uſque ad
44 legitimam † à parentibus privari poſſunt: quod & Regis Galliarum conſtitutione anno 1556. ſancitum fuiſſe Hotomannus *in fine quæſtionis illuſtris 9.* refert. Neq; ab hac ſententia alienus eſt Ludovic. Bebio *in tit. Inſtitut. de nuptiis. quæſt. 24. ſub finem.*

L. 31.

Ulpianus libro 42. ad Sabinum.

¶ *Verum eſt, neq; pacta, neq; ſtipulationes factum poſſe tollere: quod enim impoſſibile eſt, neque pacto neq; ſtipulatione poteſt comprehendi, ut utilem actionem aut factum efficere poſſit.*

Summaria.

1 *Factum infectum fieri nequit.*

2 *Conventione nulla fieri poteſt, ut ſit, quod revera non eſt, vel non ſit, quod revera eſt.*

3 *Impoßibilium nulla eſt obligatio.*

4 *Prohibita quæ ſunt natura, per nullam legem confirmari poſſunt.*

5 *Promiſſor ſervi ſani, qui æger eſt, ſervum ſanum præſtare non tenetur, ſed liberatur ſi præſtiterit id, quod ſtipulatoris intereſt, ægrum iſtum non eſſe.*

6 *Infecta quatenus cenſeantur, quæ prohibente lege facta ſunt?*

7 *Infecta dicuntur & illa, quæ de jure nullum effectum ſortiuntur.*

8 *Alienatio rerum pupillarium ſine decreto à tutoribus facta, non ſecus habetur, ac ſi facta non fuiſſet.*

IPſa ratio hoc dictat, infectum † per naturam 1
fieri nō poſſe id, quod factum eſt. Quare neq;

2 pacto, neq; ſtipulatione effici poterit, ut † non factũ videatur, quod factum eſt, ſive ut non ſit, quod revera eſt, vel ſit, quod revera non eſt. Unde etiã pactio vel ſtipulatio hujuſmodi, licèt interpoſita ſit, obligationem tamẽ aut actionem
3 utilem parere non poteſt: ſiquidem † impoſſibilium nulla eſt obligatio, teſte Celſo *in l. impoſſibilium. 185. inf. h. t.* Unde nec lege aliqua confir-
4 mata † ſunt, quæ rerum naturâ prohibentur, ut refert idem Celſus *in l. ubi pugnantia 188. §. 1. inf. h. t.* cujus exemplum ſumi poteſt *ex l. in bello. 12. §. facti autem. ſup. de captiv. & poſtlim. reverſ.* Atque eodem pertinet etiam *l. ſi ita quis. 31. ſup. de evict.* ubi quæritur, an is, qui ſtipulanti ſpopondit ſervum ſanum eſſe, furem non eſſe, ex ſponſione iſta obligetur ad hoc, ut ſervum ſanum eundemq; non furem tradat? reſpondet Ulpianus
5 † promiſſorem ad hoc quidem non obligari, ut ſanum & non furem tradat, quoniam impoſſibile eſt, ut ipſius pactione ſanus aut non fur ſit is, qui ęger aut fur eſt: veruntamen ex promiſſione iſta teneri eum ait ad id, quòd ſtipulatoris intereſt horum quid eſſe, vel non eſſe. Verùm his adverſari videtur *l. non dubium 5. C. de ll.* ubi Imperatores Theodoſius & Valentinianus, ea
6 quæ prohibente lege facta ſunt, pro † infectis habere volunt: quod ipſum quoque expreſſum eſt in *c. quæ contra 64. dę Reg. jur. in 6.* Reſpondeo propriè quidem & revera ea, quæ contra juris prohibitionem facta ſunt, pro infectis non haberi:

beri: ſed tamen fictione juris † infecta cenſeri 7
eatenus, quatenus nullum effectum de jure ſortiuntur. Sic lex alienationem rerum pupillarium ſine decreto à tutoribus factam infringere ſic nequit, ut † ne factam quidem unquam 8
illam fuiſſe revera dici poſſit: ſed hoc efficit ut alienatio iſta licet facta ſit, invalida tamen habeatur, perinde ac ſi facta non fuiſſet, veluti videre eſt ex *l.lex quæ 22.C.de admini. tutor.* quò ſpectat etiam *l.2.& l.4.C.de præd.& ali.reb.min.*

L. 32.

Ulpianus libro 43. ad Sabinum.

¶ *Quod attinet ad jus civile, ſervi pro nullis habentur, non tamen & jure naturali: quia quod ad jus naturale attinet, omnes homines æquales ſunt.*

Hujus l. interpretatio notata fuit *ad pr. l. in perſonam. 22. ſup. h. t.*

L. 33.

Pomponius libro 22. ad Sabinum.

¶ *In eo, quod vel is qui petit, vel is à quo petitur, lucri facturus eſt, durior cauſa eſt petitoris.*

SUMMARIA.

1 *Actor & Reus quando de lucro ſimul certant, Reus prævalet.*

2 *Reus Actore favorabilior eſt.*
3 *Poſſeſſor in pari cauſa potior habetur.*
4 *Lucrum, ſi quod duo habere velint, ei cedit, qui illud poßidet.*
5 *L.quoties.98.ff.h.t.conciliatur cum l.nemo.126.§.ult.ff.eod.tit.*
6 *Lucrum duobus ab uno eodemq́; diverſis intervallis datum debetur ei, cui primùm illud datum eſt.*
7 *Donata ſi duobus res una fuerit, præfertur is, cui prius poſſeßio rei donatæ tradita eſt.*
8 *Duobus ſi una eademq́; res à pluribus donata ſit, præfertur is, qui rem donatam poßidet.*
9 *Intellectus l.ſi ea res.31.§.ult.ff.de action.empt.*
10 *Empta ſi ſit res una à duobus, eamq́; tertius poßideat, ex emptoribus præferetur is, qui prius rem traditam accepit.*
11 *Occupantis conditio aliquando melior eſt.*
12 *Occupare in jure quis dicatur?*
13 *Vigilantibus jura ſubveniunt.*

QUando & Actor & Reus lucri potiturus, ſive ut Pandectæ Florentinæ habent, lucri facturus eſt, hoc eſt, quando uterque litigantium eandem rem donatam, legatam, vel ex alia quapiam cauſa lucrativa profectam ſibi deberi
1 contendit, durior eſt cauſa Actoris, qui † lucrum petit, quàm Rei, à quo illud petitur, hoc eſt, Reo iſta res addici debet non ſolùm pro-
2 pterea † quòd Reus favorabilior eſt Actore, *l. favorabiliores.125.inf.h.t.* ſed ideò etiam quoniam in

in pari cauſa poſſeſſor † ſemper potior haberi 3
debet, *l. in pari. 128. inf. h. t. §. retinendæ. Inſtit. de inter-
dict.* Unde etiam Ulpianus *in l. nemo. 126. §. ult. inf.
h. t.* de poſſeſſore ſpeciatim hoc tradit, quòd cō-
ditio ejus melior ſit, cùm † de lucro duorum 4
quæritur. Verùm huic adverſari videtur Her-
mogenianus *in l. quoties. 98. inf. h. t.* ubi † in pari 5
cauſa lucri eum præferri vult, cujus in lucro
cauſa tempore præcedit, hoc eſt, qui prior rem
ex cauſa lucrativa traditam accepit: non atten-
to hoc, utrum rem illam poſſideat, an non: ſi-
quidem fieri poteſt, ut qui prius rem accepit,
nunc cùm de ea inter duos contenditur, illam
non poſſideat. Reſpondeo l. oppoſitam loqui
de ejuſmodi caſu, quando duo † ab uno eo- 6
demq́; rem eandem ex cauſa lucrativa diverſis
temporibus acceperunt: tum enim temporis
ratio habetur, & potior eſt is, qui prius rem ac-
cepit, *per l. ſive autem. 9. §. ſi duobus. ſup. de publ. in
rem action.* Eodemq́; pertinet *l. quoties. 15. C. de rei
vendic.* ubi Impp. Diocletianus & Maximianus
† eum ex donatariis potiorem haberi volunt, 7
cui prius poſſeſſio rei donatæ tradita ſit. At ve-
rò in l. hac præſente ſermo eſt de iis litigatori-
bus, quibus eadem res non ab uno, ſed † à di- 8
verſis, iisdemque non dominis ex cauſa lucra-
tiva ceſſit: quo caſu temporis ratio non conſi-
deratur, ſed præfertur is, qui poſſidet: cùm uter-
que in hoc par ſit, quòd à non domino rem ac-
quiſivit. Neque pugnat cum hac † ſolutione 9

l. ſi

l. ſi ea res. 31. §. ult. ſup. de act. empt. ubi ex ejuſmodi rei emptoribus indiſtinctè præfertur is, qui prius rem accepit, ſive ab uno, ſive ab alio atque alio, hoc eſt, à diverſis non dominis rem ſeparatim emerint: quoniam ll. prædictæ loquuntur de ejuſmodi caſu, quando unus ex litigatoribus rem poſſidet: tum enim ſi ab uno eodemq; illam acquiſierint, præfertur is, qui prius eam accepit: ſin verò à pluribus illam acceperint, potior eſt ille, qui eam poſſidet. At verò in ſpecie oppoſiti *§. ult.* neuter emptorum, ut exponit Cujacius *ad d. l. quoties.* rem emptam poſſidet, verùm poſſeſſio eſt penes extraneum: quo caſu
10 ſine ulla diſtinctione † præferendus eſt is, qui prius rem traditam accepit. Ergo regulæ huic etiam in cauſis oneroſis locus eſt, ut ſcilicet præferatur is, qui tempore potior eſt. Cæterùm ſi neuter contrahentium rem poſſideat, atque etiam dubitetur, utri prius illa ceſſerit, hoc ca-
11 ſu melior eſt † conditio occupantis, ut refert Paulus *in pr. l. inter eos 19. ſup. de re judic.* occupare
12 † autem hìc dicitur, qui prior ad ſententiam judicis pervenit, veluti interpretatur Gajus *in l. ſi verò. 10. ſup. de pecul.* vel etiam prior litem conteſtatus eſt, ut declarat Paulus *in fine l. ſi pluribus. 33. ſup. de legat. 1.* Quorũ omnium ratio ex eo dependet, quòd jura non negligentibus ſubveni-
13 ant, † verùm vigilãtibus, quibus ſcripta ſunt, *l. nõ enim. 16. ſup. ex quib. cauſ. maj. 25. an. in integ. reſtit. & l. pupillus. 24. in fin. ſup. quæ in fraud. credit. fact. ſunt.*

L. 34. Ul-

L. 34.

Ulpianus libro 45. ad Sabinum.

¶ *Semper in ſtipulationibus & in cæteris contractibus id ſequimur, quod actum eſt, aut ſi non apparet quod actum eſt, erit conſequens ut id ſequamur, quod in regione, in qua actum eſt, frequentatur. Quid ergo ſi neq; regionis mos appareat, quia varius fuit? ad id quod minimum eſt, redigenda ſumma eſt.*

Sententia hujus l. petatur ex iis, quæ *ad l. ſemper in obſcuris 9. ſup. h. t.* notavi.

L. 35.

Ulpianus libro 48. ad Sabinum.

¶ *Nihil tam naturale eſt, quàm eo genere quicquid diſſolvere, quo colligatum eſt: ideo verborum obligatio verbis tollitur: nudi conſenſus obligatio contrario cōſenſu diſſolvitur.*

SUMMARIA.

1 *Contrario jure pereunt ea, quæ jure contrahuntur.*
2 *Obligatio iiſdem modis diſſolvitur, quibus conſtituta eſt.*
3 *Poſſeſſio non niſi corpore atq; animo acquiritur.*
4 *L. 3. §. in amittenda. ff. de acquir. vel amitt. poſſeſ. conciliatur cum l. ferè quibuſcunq;. 133. ff. h. t.*

5 Do-

5 *Dominium animo non amittitur.*

6 *Poſſeßio an ſolo animo amitti poßit?*

7 *Dictio* Ferè *nota eſt exceptionis.*

8 *Poſſeßionem ſolo animo amittit, qui rem, cui corpore non inſiſtit, nolle ſe poßidere conſtituit.*

9 *Poßidere quid animo invito corpus non poteſt.*

10 *Dormiens non poßidet id, quod ipſi in manu eſt poſitum.*

11 *Obligatio re contracta ſolutione rei diſſolvitur.*

12 *Obligatio verborum contrariis verbis perimitur.*

13 *Obligatio conſenſu contracta diſſenſu ſolvitur, ſed tum ſi res adhuc integra ſit.*

14 *Contractus nõ reſcinditur, ſi res integra amplius nõ ſit, niſi omnia in priſtinũ ſtatũ reſtituta fuerint.*

15 *Solutio quamvis obligationem tollit.*

16 *Obligatio in Aquilianam ſtipulationem deducta verbis diſſolvitur.*

17 *Acceptilatio ſit verbis.*

18 *Intellectus l. ſi accepto. 19. in pr. ff. de acceptilat.*

19 *Exceptionis ope quod ſit, ipſo jure fieri non dicitur.*

20 *Novatio quatenus unamquamq; obligationem tollere dicatur.*

21 *Actus civiles ſolennes retractantur iiſdem ſolennitatibus, quibus conſtituti ſunt.*

22 *Teſtamenti revocatio non ſubſiſtit, niſi coram totidem fiat teſtibus, quot in illius confectione adhibendi fuerunt.*

23 *Matrimonium conſenſu contractum poſtea conſenſu contrario non retractatur.*

24 *Actus ſpirituales contrario actu non perimuntur.*

Huic

HUic l.conſentit non ſolùm Gajus *in l.omnia 100.inf.h.t.* ubi ait, contrario † jure perire o- 1
mnia, quæ jure contrahuntur: ſed etiam Paulus *in l.ferè.153.inf.eod.* ubi obligationis † ac libe- 2
rationis eandem rationem ſtatuit, ita videlicet, ut quibuſcunq; modis obligamur, iiſdem ferè in contrarium actis liberemur: cùm quibus modis acquirimus, iiſdem in contrarium actis amittamus. Idque exemplo poſſeſſionis Paulus ibidem illuſtrat. Ut † enim nulla poſſeſſio ac- 3
quiri, niſi animo & corpore poteſt: ita nulla amittitur, niſi in qua utrumque in contrarium actum ſit, hoc eſt, niſi poſſeſſor & animum poſſidendi abjiciat, & ſimul corpore rem derelinquat. Quod exemplum iiſdem verbis quoque eidem Paulo adſcribitur *in l. quemadmodum.8. ſup.de acquir.vel amitt.poſ.* verùm huic ipſi exemplo obſtat, quod † idem Paulus *in l.3.§.in amit-* 4
tenda.ſup.de acquir.vel amitt.poſ. ſcribit, ſolo animo poſſeſſionem amitti poſſe, quamvis acquiri non poſſit: quod ipſum etiam ſentit Ulpianus, quando *in l.ſi quis.17.§.1.eod.tit.* poſſeſſionem à dominio in hoc diſcernit, quòd poſſeſſio recedat, ſimulac quis conſtituerit nolle ſe poſſidere: dominium † verò non amittatur, etiam- 5
ſi quis dominus eſſe nolit. Et *in pr. l.ſi me in vacuam 34.eod.* Idem Ulpianus ait, poſſeſſionem animo deponere ac mutare nos poſſe, idque Celſum ac Marcellum ſcribere. Adſtipulatur Papinianus *in l.peregrè.44.§.ult.ejuſdem tit.* ubi ſimiliter

ter poſſeſſionem ejus, quod corpore noſtrò te-
6 nemus, † vel animo amitti refert. Sanè hujuſmodi contrarietatem interpretes variis modis conciliare nituntur, ſicut videre eſt ex iis, quæ præter alios notant Cagnolus *hîc. n. 5.* & hunc ſecutus Schneidevvinus *in §. poßidere autem. n. 165. Inſtit. de interd. Connanus in cap. 9. n. 4. lib. 3. comment. Cujac. in parat. C. de acquir. vel retinend. poß. VVeſenbecius in parat. ﬀtorum eod. n. 8. Duarenus in d. §. in amittenda.* Joh. *Borcholt. in cap. ult. n. 2. & 3. de acquir. vel amitt. poß. Gilbert. Regius in cap. 19. lib. 3. ἐναντιοφανῶν. Donellus in cap. 13. lib. 5. comment. de jur. civil. itemq́;* Julius *Pacius in cent. 6. ll. conciliat. quæſt. 96.* ubi ex ſententia Cujacii particulam *Ferè*, quæ *in pr. d. l. 153.* ponitur, *in verſ. ut igitur ejuſdem l.* & conſequenter etiam *in d. l. quemadmodum*, quæ portio ſit, *d. l. 153.* vult repeti: atque inde arguit regulam hanc perpetuò veram non eſſe, quòd poſſeſſio non ſemper corpore & animo, ſed interdum ſolo animo amitti poſſit: id quod verum eſſe ipſe ſentio, præſertim cùm in jure non
7 pauci textus occurrant, in quibus eadem † iſta particula *Ferè* exceptionis notam oſtendit. Itaque antinomiam iſtam ita conciliandam eſſe arbitror: Regulariter quidem poſſeſſionem animo & corpore ſimul amitti, ſed tamen fieri poſſe, ut ſolo animo etiam illa amittatur: veluti ſi quis hybernos vel æſtivos ſaltus eo tempore, quo corpore illos non detinet, nolle ſe poſ-
8 ſidere conſtituat, ſolo † animo poſſeſſionem

amit-

amittet, quoniam & poſſeſſionem illorum ſolo animo retinet eo tempore, quo ſaltibus iis corpore non incumbit, *argumento d. l. 3. §. ſaltus. & l. 4. C. de acquir. & retin. poſſ.* Atque hoc ipſum ſentire etiam videtur Contius *in cap. 9. lib. 1. diſput.* ubi ait, in amittenda poſſeſſione ſatis eſſe conſiderare animum, quod neceſſe ſit & corpore deſinere poſſidere eum, qui † animo poſ- 9
ſidere deſinit: quia animo invito corpus nihil poſſidere poteſt, & remoto poſſidendi animo poſſeſſio intelligi nequit, quamvis corpus adhuc in fundo ſit: ſicut poſſidere non dicitur is, cui † dormienti aliquid in manu poſitum eſt, 10
per l. 1. §. furioſus. ſup. de acquir. vel amitt. poſſeſ. Ut maximè igitur ſolo animo poſſeſſio nonnunquam amitti poteſt: regula tamen hæc nihilominus manet, videlicet quodvis diſſolvi eo genere, quo colligatum eſt. Unde obligatio † re con- 11
tracta non niſi per reſtitutionem vel ſolutionem rei diſſolvitur, *l. prout quidq; 80. ſup. de ſolut.* Et obligatio † verborum contrariis verbis rur- 12
ſus perimitur. *l. an inutilis. 8. §. pen. ſup. de acceptil.* Quæque conſenſu contrahitur, † contraria vo- 13
luntate quoque diſſolvitur, ſi res adhuc integra ſit, ut oſtendit *§. ult. Inſtit. quib. mod. toll. obligat.* Nam ſi res integra amplius non ſit, contractus † non aliter reſcinditur, quàm ſi omnia in pri- 14
ſtinum ſtatum reſtituta fuerint, *l. 1. C. de reſcin. vendit.*

Neque cum his pugnat *pr. Inſtit. quib. mod. toll.*

15 *oblig.* Ex quo patet, nullam † eſſe obligationem, quæ ſolutione ejus quod debetur, tolli nequeat, id quod etiam tradit Pomponius *in l. pen. ſup. de ſolut.* quoniam in ſolutione hoc peculiare eſt. Verùm extra ſolutionem ejus quod debetur, nihil niſi jure contrario perimitur. Hinc eſt, quòd obligatio conſenſu contracta verbis peri-
16 mi non poteſt, niſi † prius in Aquilianam ſtipulationem illa deducta fuerit: tum enim per acceptilationem, quæ fit verbis, tollitur, non qua-
17 tenus conſenſu, ſed quatenus † verbis nunc conſtat. *§. eſt autem prodita. Inſtit. quib. mod. toll. obligat.* Sed obſtat *l. ſi accepto. 19. in pr. ſup. de acceptil.*
18 ubi Ulpianus † innuit obligationem conſenſu vel re contractam per acceptilationem perimi, etiamſi in ſtipulationem deducta non ſit. Re-
19 ſpondeo id non † fieri ipſo jure, de quo ſermo hìc eſt, ſed poteſtate conventionis, atque ope exceptionis, perinde ac ſi inter contrahentes conveniſſet, ut à negocio diſcederetur, teſte Juliano *in l. cum emptor. 5. ſup. de reſcin. vendit.* Prædictis præterea non adverſatur *l. 1. §. 1. ſup. de novat.* ubi qualiſcunq; obligatio, ſive verbis, ſive re, ſive conſenſu contracta ſit, tolli dicitur novatione, cùm tamen hæc verbis contrahatur, ut patet *ex §. præterea. Inſtit. quib. mod. toll. oblig.* quoniam
20 † Novatio obligationem non diſſolvit verè, ſed per accidens, quatenus videlicet priorem obligationem in poſteriorem transfert.

Porrò regulam hanc non in contractibus ſolùm,

lùm, ſed quibuſvis etiam actibus civilibus locum habere ſatis docet *d.l.omnia.* Atque hinc actus, ad † cujus conſtitutionem certæ ſolennitates requiruntur, tolli nequit, niſi ad ejus diſſolutionem adhibeantur eadem iſta ſolennia, 21
quæ in ejus conſtitutione adhibita fuerunt. Cujus exemplum eſt in † teſtamento ſolenni, ad 22
cujus revocationem totidem teſtes requiruntur, quot ad confectionem iſtius jura exigunt, *argumento §.pen.Inſtit.quib.mod.teſtam.infirm.* Loquor de civilibus actibus, quia in † matrimonio, aliiſque actibus, quibus character ſpiritualis impreſſus eſt, res ſecus ſe habet: hi enim ſemel initi † actu contrario retractari non poſſunt, quemadmodum id latius deducit Decius *hic n.7.& ſeq.* 23 24

L. 36.

Pomponius libro 27. ad Sabinum.

¶ *Culpa eſt, immiſcere ſe rei ad ſe non pertinenti.*

SUMMARIA.

1 *Negociorum geſtor an de leviſſima culpa teneatur?*

2 *Culpa eſt immiſcere ſe rei nihil ad ſe pertinenti.*

3 *Conditionem alterius omni jure meliorem facere licet.*

4 *Affectare quis non debet id, in quo infirmitatem vel*

imperitiam ſuam alii periculoſam futuram eſſe intelligit.

5 *Vocationi ſuæ quivis inſiſtere debet.*

6 *Officia promiſcuis rerum actibus confunduntur.*

7 *Diſſidia non pauca ex confuſa adminiſtratione naſcuntur.*

8 *Secularibus negociis Eccleſiaſticus immiſcere ſeſe non debet.*

REgula hæc negociorem geſtorum cumprimis reſpicit, quippe qui ex ſententia Cujacii, velut notavi *ad l. contractus 23. n.97. ſup. h.t.* le-
1 viſſimam, nedum levem † culpam præſtare tenetur, propterea quòd negociis abſentis nec conſentientis gerendis ſeſe offert, ut habet *§. 1. in fine. Inſtit. de oblig. quæ ex q. contr. naſc.* Idque æquiſſimè adverſus ipſum conſtitutum eſſe, idem Cujacius ſcribit, etiamſi ſedulò quàm maxima potuit fide, res ejus geſſerit. Semper enim illi hæc juris regula objicietur, hoc ipſum
2 culpam † eſſe, quòd ſe immiſcuerit rei ad ſe non pertinenti. Culpa, inquam, eſt, non ſi rectè negocia abſentis geſturus eſſet: cùm alterius
3 † conditionem omni jure meliorem facere liceat. *l. ſolvendo. 39. ſup. de nego. geſt.* ſed ſi rectè geſturus ea non fuerit: cùm non debuerit affectare
4 †, id, in quo intellexit aut intelligere debuit imperitiam vel infirmitatem ſuam alii periculoſam futuram eſſe, ſicuti culpam iſtam deſcribit Gajus *in l. idem juris 8. §. 1. ſup. ad l. Aquil.* Hæc ut

maxi-

maximè ita ſeſe habeant, tamen præſens hæc regula in iſta ſolùm interpretatione non acquieſcit: Verùm hoc quoque monet, ut unuſquiſque † intra ſuæ vocationis metas ſeſe contineat, nec aliorum negociis ad ſe non pertinentibus temerè ſe immiſceat, ne promiſcuis † rerum actibus officia confundantur: Ex qua confuſa † adminiſtratione ſæpe magna diſſidiorum ſemina excitari ſolent. Qua ratione conſtitutum eſt, ne † Eccleſiaſticus ſecularibus, aut Laicus Eccleſiaſticis cauſis ſeſe immiſceat, *per c. lator. 5. qui fil. ſint legit.* 5 6 7 8

L. 37.

Ulpianus libro 51. ad Sabinum.

¶ *Nemo qui condemnare poteſt, abſolvere non poteſt.*

Summaria.

1 *Lectionis diverſitas diverſam quoq; interpretationem parit.*

2 *Abſolvendi poteſtatem habet, qui & condemnare poteſt.*

3 *Condemnare qui nequit, nec abſolvere poteſt.*

4 *Abſolvendi jus utrum majus ſit jure damnandi?*

5 *Damnandi poteſtas major eſt poteſtate abſolvendi.*

6 *L. nemo poteſt. 37. ff. h. t. in Florentinis rectius, quàm in cæteris exemplaribus legitur.*

7 *Abſolutio favorabilior eſt, quàm condemnatio.*

8 *Delictum nocentis impunitum relinquere ſatius eſt quam innocentem damnare.*

9 *Condemnare non ſemper poteſt is, qui abſolvere poteſt.*

1 HUjus regulæ lectio † in Florentinis alia eſt, quàm in cæteris exemplaribus. Nam in Florentinis Pandectis regula hæc ſequentibus verbis legitur: *Nemo, qui condemnare poteſt, abſolvere non poteſt.* Cætera exemplaria hanc lectionem habent: *Nemo, qui condemnare non poteſt, abſolvere poteſt.* Cujus poſterioris lectionis hæc eſt ſen-
2 tentia, abſolvendi † poteſtas ei demum competit, qui condemnandi poteſtatem habet. Unde
3 qui † condemnare non poteſt, nec abſolvere
4 potuit: quo ſenſu jus abſolvendi, ſi non † majus erit jure condemnandi, ei certè par cenſebitur. Verùm Florentinæ lectionis ſenſus hic eſt: qui damnandi poteſtatem habet, ei & abſolvendi poteſtas erit, quaſi majus quid ſit damnare,
5 quàm abſolvere. Sicuti etiam revera † damnatio majoris momenti eſt, quàm abſolutio. At-
6 que hanc † lectionem veriorem, & proinde retinendam eſſe cenſeo: quia congruit non ſolùm cum *l. 3. ſup. de re iudic.* ubi Paulus iiſdem propemodum verbis hanc regulam tradit: ſed etiam cum ipſa juris ratione, quæ ad abſolven-
7 dum † potius, quàm ad condemnandum inclinat, *per l. Arrianus. 47. ſup. de oblig. & act.* Quam ob cauſam quoque Ulp. *in pr. l. abſentem. 5. ſup. de pœn.* ait,

ait, ſatius eſſe impunitum † relinqui facinus 8
nocentis, quàm innocentem damnare. Nec parum etiam ad Florentinæ lectionis confirmationem facit, quòd alteri iſti vulgatæ lectioni obſtat *l. ult. C. ubi ſenat. vel clariſſ. conven.* ubi delegatus Principis viros illuſtres licèt abſolvere eos poſſit, inconſulto tamen Principe † condemnare non poteſt. Ergo ex eo, quod damnandi poteſtatem quis habet, rectè infertur, eundem & abſolvendi poteſtatem habere: ſed non contrà, cùm abſolvere aliquando poſſit, qui condemnare non poteſt. 9

L. 38.

Pomponius libro 29. ad Sabinum.

¶ *Sicuti pœna ex delicto defuncti heres teneri non debeat, ita nec lucrum facere, ſi quid ex ea re ad eum perveniſſet.*

Summaria.

1 *Heres ex delicto ejus, cui ſucceſſit, puniri non debet.*
2 *Pœnæ ſuos autores tenere debent.*
3 *Delicti alieni ſucceſſor nemo eſt.*
4 *Pœnæ in emendationem hominum conſtituuntur.*
5 *Filius iniquitatem patris quatenus de jure divino portet?*
6 *Heres tenetur de eo, quod ex delicto defuncti lucratus eſt.*
7 *Scelere alieno ditari nemo debet.*

8 Pœnalis actio heredi id ſaltem extorquet, quod ex delicto defuncti adeptus eſt.

9 L.toties.44.ff.h.t.quomodo accipi debeat?

10 Intellectus.l.pupillum.111.§.1.ff.h.t.

11 Heres ex defuncti dolo tenetur in ſolidum, ſi actione rei perſecutoria conveniatur.

12 Intellectus l.ad ea quæ 157.§.ult.ff.h.t.

13 L.illud quoq;.7.§.ult.ff. de tribut.action.conciliatur cum l.hoc jure.152.§.ult.ff.h.t.

14 Actio tributoria eſt rei perſecutoria.

15 Tributoria actio delictum magis quàm contractum ſapit.

16 L.hoc jure.152.§.ult.ff.h.t.quando locus ſit?

17 Heres quatenus teneatur ex dolo, quem defunctus in depoſito incendii, tumultus, ruinæ aut naufragii cauſa facto commiſit?

18 Actiones ex contractu deſcendentes non ſemper in heredem tranſeunt.

19 Pœna, quæ delictum defuncti comitatur, quomodo differat à pœna, quæ ex defuncti conventione ſive contractu reſultat?

20 Intellectus l. ex contractibus.49.ff. de obligat. & action.

21 Heres in contractibus ejuſdem juris eſt, cujus defunctus fuit.

22 Condictio furtiva an in ſolidum adverſus furis heredem detur?

23 Cujacii error de condictione furtiva.

24 Heres furis conventus condictione furtiva in ſolidū tenetur, quamvis nihil ex re furtiva perceperit.

25 Con-

25 Condictio furtiva pœnam non perſequitur.
26 Intellectus l. ſed non dantur. 10. ff. de tutel. & ration. diſtrahend.
27 Intellectus l. 3. § pen. ff. de pecul.
28 Pater in vitia filii non ſuccedit, niſi heres ipſius factus ſit.
29 Actio rerum amotarum heredi ejus, qui res amovit, id ſaltem extorquet, quod ad ipſum pervenit.
30 Condictio furtiva in quo ab actione rerum amotarum differat?
31 L. ult. C. rer. amotar. an ex l. 3. ff. eod. tit. explicanda ſit?
32 Cujacius ſententiam ſuam de condictione furtiva propoſitam pòſt revocavit.
33 Litis conteſtatio facit, ut pœnalis quoque actio in ſolidum ad heredem delinquentis tranſeat.
34 Litigantes in judicio per litis conteſtationem quaſi contraxiſſe videntur.
35 Obligatio ex contractu vel quaſi deſcendens heredem in ſolidum ligat.

QUæritur an heredi ob † delictum defuncti pœna aliqua, qualiſcunq; illa ſit, irrogari debeat? Pomponius in præſenti l. hoc negat, ejusque ratio in *l. ſancimus. 22.* C. *de pœn.* hæc redditur, quòd pœnæ † ſuos autores tenere debeant. Unuſquiſque enim, uti ait Calliſtratus *in l. crimen 26. ſup. de pœn.* ex ſuo admiſſo ſorti ſubjicitur, nec alieni † criminis ſucceſſor conſtituitur. Cujus rei rationem Paulus *in l. ſi pœna: 20. ejuſ-* 1 2 3

dem tit. hanc reddit, quòd pœna conſtituatur
4 † in emendationem hominum, quæ mortuo eo, in quem conſtituta eſt, deſinit. Neque hoc à ſacris literis alienum eſſe, vel hinc liquet,
5 quòd † Propheta Jeremias *in cap. 31. verſ. 30. ait*, unumquemq; propter ſuam iniquitatem mori debere: cum quo congruit illud Ezechielis *in cap. 18. verſ. 4.* anima, quæ peccavit, ipſa morietur, nec filius iniquitatem patris portabit. Quomodo autem hoc cum aliis ſacræ ſcripturæ dictis, quæ peccata patrum in filiis tertiæ ac quartæ generationis punitum iri teſtantur, conciliari debeat, magnus ille Theologus Petrus Martyr *in claſſe 2. locor. commun. loco 5. n. 36.* luculenter exponit.

Veruntamen ut ad inſtitutum juris civilis re-
6 vertar, ſi ex delicto defuncti quid † ad heredem pervenerit, ejus nomine heres jure tenetur. Nam conſtitutum eſt, quemadmodum refert Ulpianus *in pr. l. in heredem. 5. ſup. de calumn.* turpia lucra heredibus quoque extorqueri, licet crimina extinguantur: ſiquidem ratio juris non
7 patitur, ut quis alieno † ſcelere ditetur, veluti habet reſcriptum Impp. Diocletiani & Maximiani *in l. un. C. ex delict. defunct. in quant. hered. conven.*

Ut autem generatim ſciatur, quatenus heres ex dolo defuncti teneatur, genus actionis, qua heres in caſu hujuſmodi convenitur, attendendum eſt. Quod ſi enim conveniatur actione

pœnali

pœnali ex maleficio deſcendente, lucrum † 8
duntaxat heredi extorquetur, hoc eſt, de eo ſaltem heres convenitur, quod ex dolo defuncti ad ipſum pervenit: cùm alieno ſcelere, ut modò dixi, nemo ditari debeat. Atque de ejuſmodi caſu accipi † debet *l. toties. 44. inf. h. t.* ubi 9
Ulpianus ſimiliter ait, toties in heredem dari actionem de eo, quod ad eum pervenit, quoties ex delicto defuncti convenitur, non quoties ex ſuo. Quod ſi ergo ex maleficio defuncti nihil ad heredem pervenerit, nec pœnalis actio in ipſum tranſibit, ut docet † Gajus *in l. pupillum.* 10
111. §. ult. inf. h. t.

Cæterùm ſi heres ex dolo defuncti conveniatur actione rei perſecutoria, vel ex contractu deſcendente, heres non tantùm in id, quod ad eum pervenit, ſed † in ſolidum convenitur, te- 11
ſte Pomponio *in l. ex depoſiti 12. ſup. de oblig. & action.* cui conſentit Ulpianus † *in l. hoc jure 152. §.* 12
ult. & in l. ad ea quæ. 157. §. ult. inf. h. t. ubi verbis iſtis poſterioribus, *Unuſquiſq; pro ea parte qua heres eſt,* Ulpianus nihil aliud ſignificat, quàm heredes, ſi plures fuerint, in ſolidum quidem teneri, ſed conjunctim, ita ut quiſque pro ea portione, qua heres eſt, conveniri poſſit, licet ex dolo defuncti nihil ad ipſos pervenerit. Neque ſecum pugnat Ulpianus, † quando *in l. illud quoq;. 7. §. ult.* 13
ſup. de tribut. act. ait, actionem tributoriam in heredem dari de eo duntaxat, quod ad eum pervenit: quoniam hæc ipſa actio, licet † rei perſe- 14
cutio-

cutionem contineat, ut refert Julianus *in l. quia non. 8. ejuſdem tit.* ex contractu tamen non deſcendit, verùm iniquę potius distributioni, quę
15 delictum † magis quam contractum ſapit, ortum ſuum adſcribit, *per d. l. illud quq₃. §. ſi cujus.*
16 Ut igitur † regulæ iſti, qua dicitur, heredem in ſolidum teneri ex dolo defuncti, ſi actione rei perſecutoria conveniatur, locus ſit, ſatis non eſt, ut actio ex contractu nata ſit, reique perſecutionem contineat, ſed prætereà etiam requiritur, ne pœnam illa ex delicto defuncti exigat, argumento eorum quæ Ulpianus *in l. ſi hominem 7. §. 1. ſup. depoſ.* refert. Quam ob cauſam
17 † quoque heres illius qui in depoſito ex cauſa incendii, tumultus, ruinæ aut naufragii facto dolum admiſit, eatenus conveniri poteſt, quatenus ad rei perſecutionem actio depoſiti tendit: quomodo *l. de eo. 18. eod. tit.* Theophilus interpretatur, quam interpretationem quoque admittit Anton. Faber *in fine cap. 12. lib. 1. conject.* Quatenus enim actio depoſiti eo caſu ratione delicti à defuncto commiſſi ad pœnæ perſecutionem competit, eatenus heres ex iſto contractu non tenetur. Atque huc extra dubium reſpexit Juſtinianus, quando *in §. 1. Inſtit. de perpet. & temporal. act.* regulæ iſti ex maleficiis pœnales actiones in heredem rei non competere: hanc exceptionem ſubjicit. Aliquando tamen
18 etiam † ex contractu actio contra heredem non competit: quemadmodum hoc ipſum Duarenus

nus etiam *in fine cap.ult.de oblig.& action* declarat.

Itaque pœna, quæ † delictum defuncti co- 19
mitatur, in hoc differt à pœna, quæ ex conventione aut contractu ejus debetur: quòd illa heredem in id ſaltem quod accepit, hæc verò in ſolidum obligat. *l.ult.ſup.de naut.fœn.* Eodemque
ſenſu accipienda † eſt *l. ex contractibus 49. ſup. de* 20
oblig. & action. cujus diverſitatis nulla alia eſt ratio, quàm quod in † contractibus heres ejuſ- 21
dem juris eſſe cenſetur, cujus defunctus fuit. *l. heredem. 59. inf. h. t.* delicta verò ſuos autores tenent. *d.l.ſi pœna.20.ſup.de pœn.*

Hac occaſione quæri ſolet de condictione
† furtiva, an in ſolidum illa adverſus heredem 22
furis detur. Cujacius *in cap. 37. lib.7.obſ.& in cap.*
37. ac 39. lib. 13. obſer. hòc † negat, quòd *l. ſed non* 23
dantur 10. ſup.de tutel. & rat.diſtr. juncta cum *§.ult. l. proximè præcedentis* ſatis arguat, condictionem furtivam morte furis interire, ac proinde adverſus heredem regulariter ulterius non dari, quàm ad ipſum de re furtiva pervenit. Verùm VVeſenbecius in *paratit. ffторum de condict. furt. num.7.* ac pleriq; alii interpretes, è quorum numero eſt Ant.Faber *in cap. 1.lib. 4.conject.* contra-
rium ſentiunt, videlicet † condictionem furti- 24
vam in ſolidum adverſus heredem dari, etiamſi nihil ad eum de re furtiva pervenerit: quòd
† non pœnam, ſed rem furtim ſurreptam illa 25
perſequitur, ac licet ex furto deſcendat, odio furum tamen hoc peculiare habet, ut heredem

quoq;

quoque teneat, quatenus ſuccedit, non quatenus ex re furtiva locupletior eſt, *per l. ſi pro fure. 7. §. 1. & ſeq. ſup. de condict. furt.* Atque horum ſententiam quoque confirmat *l. in condictione. 9. eod. tit.* ubi Ulpianus diſertè ſcribit, heredem in condictione ex cauſa furtiva non pro parte, quæ ad ipſum pervenit, ſed in ſolidum teneri. Neque infirmat hanc ſententiam oppoſita *l. ſed*
26 *non dantur.* quoniam † verba hæc, *Morte tutoris*, quæ Paulus ibidem ponit, & quibus Cujacius tantoperè nititur, non ad condictionem, ſed ad furti & damni injuriæ actiones pertinent: hæ enim morte intereunt, non condictio furtiva, quippe quæ, ut modò dixi, contra furis heredem, non minus quàm contra ipſum furem competit. Nec quicquam pro ſententia Cuja-
27 cii facit *l. 3. §. pen. ſup. de pecul.* ubi pater † de furto à filiofam. facto eatenus tenetur, quatenus lo-
28 cupletior factus eſt: quoniam pater in † vitia filii antè nõ ſuccedit, quàm heres ipſius factus ſit, *argumento l. ex furtiva. 5. ſup. de condict. furt.* Eodemque ſpectat *l. 1. §. ſi filiusfam. ſup. de his qui effud. vel dejec.*

29 Denique ex eo, quòd actio † rerum amotarum adverſus heredem datur non in ſolidum, ſed in tantum, quantum ad ipſum pervenit, ut eſt *in l. ult. C. rerum amot.* pro Cujacio ſimiliter inferri non poteſt, nec condictionem furtivam adverſus heredem in ſolidum dari: propterea quòd heres nomine rei amotæ tenetur, ſicut

nomi-

nomine condictionis ex cauſa furtiva, ut refert Paulus *in l.contra.6.§.item heres.ſup.de act.rer.amot.* quoniam reſponderi poteſt, actionem rerum amotarum cum † condictione furtiva in hoc 30
quidem congruere, quòd utramq; adverſus heredem detur: ſed in eó alteram ab altera differre, quòd condictio furtiva odio furum adverſus heredem detur in ſolidum, *d.l. in condictione.* actio rerum remotarum verò in honorem matrimonii heredem ulterius non liget, quàm ad eum pervenit. Quamvis ſint, qui † ex fine *l.3.* 31
ſup.de act. rerum amot. heredem & rerum amotarum actione in ſolidum teneri concludant, ac *d.l. ult.* accipiant de ejuſmodi caſu, quando plures heredes ſunt, & unus duntaxat ex iis actione rerum amotarum convenitur: tum enim ſolidum ab eo exigi non poteſt, *argumento d. l. in condictione.* Atq; hiſce fundamentis puto † Cu- 32
jacium tandem motum fuiſſe, ut ſententiam ſuam in explicatione hujus l. ipſe retractârit.

Illud omittendum hîc non eſt, regulam iſtam, qua ſtatuitur actiones pœnales ex maleficio deſcendentes ad heredem defuncti non tranſire, niſi quid ipſi ex maleficio iſto obvenerit, locum non habere, ſi defunctus † litem 33
conteſtatus ſit. Etenim poſt litis conteſtationem, ſive, ut loquitur Ulpianus *in l.omnes.26.ſup. de oblig. & act.* poſt litem inchoatam, quævis actio, quæ morte aut tempore aliâs perit, quantumvis pœnalis ſit, in ſolidum ad heredem tranſit.

tranſit, *l. omnes actiones. 139. & l. pœnalia 164. inf. h. t.*
34 quoniam in judicio uterq; † litigantium per litis conteſtationem quaſi contrahit, & tacitè in id ſeſe obligat, quod judicis ſententia conſtituetur, *argumento l. 3. §. idem ſcribit. ſup. de pecul.* cu-
35 juſmodi † obligatio in actionibus civiliter intentatis heredem non minus, quàm ipſum defunctum in ſolidum ligat, veluti notat Sichardus *ad l. un. n. 2. & 6. C. ex delict. defunctor. in quant. hered. conven.*

L. 39.

Pomponius libro 32. ad Sabinum.

¶ *In omnibus cauſis pro facto accipitur id in quo per alium mora ſit, quò minus fiat.*

SUMMARIA.

1 *Facere quod quis debuit, ſed juſto metu deteritus non fecit, id perinde habetur, ac ſi factum eſſet.*
2 *Appellatio ob metum judicis omiſſa quando pro interpoſita habeatur?*
3 *Proteſtationis effectus.*
4 *Metus juſtus dicitur, qui cum periculo vitæ famævé conjunctus eſt, vel etiam corporis cruciatũ inducit.*
5 *Metus vanus non excuſat.*
6 *Factum impeditum ab eo, cui non fieri illud proderat, nihilominus pro facto habetur.*
7 *L. in omnibus 39. ff. h. t. tam in contractibus, quàm in ultimis voluntatibus locum ſibi vendicat.*

8 Con-

8 Conditio impleta eſſe cenſetur etiam tum, quando per eum, cujus intereſt, illam non impleri, fit, quò minus impleatur.

9 Intellectus l. jure civili. 24. ff. de cōdit. & demonſtr.

10 Conditio an tum etiam pro impleta habeatur, quando is, cujus intereſt eam impleri facit ne impleatur?

11 Stipulator impediens eventum conditionis, ſub qua ſibi ſtipulatus fuit, nihil acquirit.

12 Conditio ab extraneo impedita quando impleta non habeatur.

13 Conditionis eventus in arbitrium debitoris inùtiliter confertur.

14 Homines ſic affecti eſſe non cenſentur, ut ſe obligatos velint præſtandis iis, quæ ſibi damno eſſe vident.

15 Actus ita interpretandus eſt, ut potius valeat quàm pereat.

16 Factum unius alteri nocere non debet.

REgula hæc bifariam legitur, neq; eſt, quòd de hac vel illa lectione quis ſit ſolicitus: cùm utriuſq; lectionis ſententia, licet Joh. Ferrarius hîc ſecus ſentiat, de jure vera ſit. Quod ſi enim hæc regula ex præſcripto veterum exemplarium ſeqq. hiſce verbis legatur: *In omnibus cauſis pro facto accipitur id, in quo quis alium perhorreſcit quò minus fiat*: tum ſententia ipſius erit, juris fictione † id quoq; pro facto haberi, quod 1 quis cùm facere debuerit, juſto tamen metu ac

terrore impeditus non fecit. Cujus inſigne exemplum præbet Imp. Julianus *in l. ult. C. debit. qui*
2 *per met. jud. non appellav.* ubi † appellationem ob metum judicis omiſſam pro interpoſita haberi vult: dummodò is, qui appellare debuit, intra tempus appellationi præfixum ſolenniter
3 † proteſtatus ſit ſe abſque periculo appellare non potuiſſe: quod ipſum haud obſcurè ſentit Marcianus *in l. cum quidam 7. ſup. de appellat.* lo-
4 quor autem de metu † juſto, qui videlicet cum periculo vitæ vel famæ conjunctus eſt, vel etiam corporis cruciatum continet, *per l. iſti quidem. 8. §. pen. & §. ult. ſup. quod met. cauſ. geſt. erit. l. 3. ſup. ex quib. cauſ. major. 25. ann. in integ. reſt. & l. inter-*
5 *poſitos. 13. C. de tranſact.* Etenim † vani timoris juſta excuſatio non eſt, ut loquitur Celſus *in l. vani. 184. inf. h. t.* quæ l. deſumpta videtur ex principio *l. ſi quis. 13. ſup. de re judic.* eamque ſatis declarant *l. metum 6. l. pen. & totus titulus ſup. quod met. cauſ. geſt. er.*

Cæterùm ſi ex Haloandri mente hæc regula ſic legatur: *In omnibus cauſis pro facto accipitur id, in quo per alium mora ſit, quò minus fiat*: ſententia e-
6 jus erit, juris fictione † id quoque pro facto haberi, quod factum fuiſſet, niſi is, cui utile erat non fieri, factum illud impediviſſet. Cujus exemplum ex Labeone refert Ulpianus *in l. Labeo.*
7 *50. ſup. de contrah. empt.* Neque † in contractibus ſolùm, ſed in ultimis voluntatibus potiſſimùm regulæ huic locum eſſe argumento eſt *l. in jure*

civi-

civili.161.inf.h.t. ubi Ulpianus ait in jure civili receptum eſſe, ut conditio, quoties per † eum, 8
cujus intereſt illam non impleri, fiat, quò minus impleatur, perinde habeatur, ac ſi impleta
eſſet: atque eò loci ſubjicit, illud & ad libertates, & ad legata, & ad heredum inſtitutiones, &
ad ſtipulationes produci. Quod ipſum iiſdem propemodum verbis † refert Julianus *in l. jure* 9
civili.24.ſup. de condit. & demonſt. Propemodum, inquam, quia Julianus, ut vulgata lectio oſtendit
in d. l. 24. non habet negationem, quam Ulpianus *in d. l. 161.* verbo *Impleri* adjungit: Unde ex
Juliani ſententia † conditio pro impleta habenda eſſet etiam eo caſu, quando per eum, cu- 10
jus intereſt eam impleri, fit quò minus impleatur. Verùm Donellus *ad l. in executione 85. § ult. ſup.
de verb. oblig* lectionem iſtam rejicit, atque *in d. l. 24.* negationem addendam eſſe cenſet: &, meo
quidem judicio, rectè, cùm Julianus æquè ac Ulpianus exemplo † ſtipulationis regulam hâc 11
illuſtret, nec tamen quiſquam conditionem pro impleta habeat, ſi ſtipulator, cujus videlicet
intereſt eam impleri, ipſe faciat, quò minus conditio impleatur. Ergo dictio *alium*, quam
Pomponius in præſente hac l. ponit, reſtringenda erit ad eum, cujus intereſt non fieri. Nam
conditio, cui extraneus † impedimento fuerit, 12
pro impleta non habetur, niſi in extranei perſonam diſertè conditio iſta collata ſit: tum enim
pro completa illa ſimiliter habebitur, ſi per

 eum,

eum, in cujus videlicet perſona implenda erat, fiat, quò minus impleatur: cujus exemplum ſumi poteſt ex Paulo in *l.3.ſup. de condit. inſtit.* Idq́; pluribus declarat Cujacius *in fine d. l. in executione.* Ratio autem, cur conditio pro impleta habeatur, ſi per moram alterius ſteterit, quò minus impleretur, non una ab interpretibus redditur. Plerique id fieri ajunt propterea, quòd ſi
13 eventus † conditionis adjectæ arbitrio debitoris relinqueretur, nulla conventio, aut etiam ultima voluntas effectum unquam ſortitura eſ-
14 ſet: cùm homines naturâ utplurimum † ſic affecti ſint, ut ſe obligatos nolint præſtandis hiſce, quæ ſibi oneri eſſe viderint, veluti notant *Dd. ad l. ſub hac conditione. 8. ſup. de oblig. & action.* At verò cùm ratio hæc non conveniat iſti caſui, quando conditio in alium quàm debitorem collata eſt, ideò alii hanc rationem addunt,
15 quòd quivis actus † ita interpretandus ſit, ut, quoad ejus fieri poteſt, potius valeat, quàm pereat, *per l. ubi eſt. 21. ſup. de reb. dub.* Et aliâs ratio ju-
16 ris non ferat, ut cujuſquam † factum alteri noceat, eo præſertim caſu, ubi ad facientis emolumentum illud non redundat. Veluti oſtendit principium l. factum. 155. inf. h. t.

L. 40.

Pomponius libro 34. ad Sabinum.

Furioſi,

§ *Furioſi, vel ejus, cui bonis interdictum ſit, nulla voluntas eſt.*

SUMMARIA.

1 Furioſus animũ judicii ac voluntatis expertẽ habet.

2 Mente captus eodem quo furioſus jure cenſetur.

3 Prodigus æquè ac furioſus mente carere dicitur.

4 Prodigus aliâs pupillo, aliâs minori comparatur.

5 Minor & obligari aliis, & alios ſibi obligare poteſt.

6 Prodigus furioſo comparatur ſaltem ratione adminiſtrationis bonorum.

7 Prodigus nõn minus quàm furioſus l. 12. tab. eſt in curatione agnatorum.

8 Prodigus extra iſtum caſum, quo obligari poteſt, pupillo vel minori æquiparatur.

9 Prodigus etiam abſq; curatore ſuam conditionem meliorem facere poteſt.

10 Bonorum interdictio in favorem prodigi inducta in odium ejuſdem detorqueri non debet.

11 L. furioſi. 40. ff. h. t. quomodo accipi debeat?

12 Prodigo eatenus nulla voluntas eſſe dicitur, quatenus bona profundit.

13 Furioſus dilucida furoris intervalla habens intermiſſi furoris tempore teſtari, ac quavis alia negocia gerere poteſt.

14 Prodigo utrum adminiſtratio bonorum ipſo jure interdicta ſit, an verò eo demum momento, quo à magiſtratũ prodigus declaratus eſt.

15 Donellus quibus argumentis probet prodigo bonis ipſo jure interdictum eſſe?

16 *Furioſus adminiſtrationem bonorum perdit, quamvis à magiſtratu furioſus necdum declaratus ſit.*

17 *Pactum hominis non requiritur, ubi lege quid fieri dicitur.*

18 *Duarenus quibus fundamentis doceat prodigum ex eo demum tempore adminiſtrationem bonorum amittere, quo à magiſtratu bonis ipſi interdictum eſt?*

19 *Intellectus l. tres tutores. 55. §. ult. ff. de adminiſt. tutor.*

20 *Tutelæ periculum omne adſcribitur iſti tutori, qui contutorem ſuum apertè prodigum res pupillares adminiſtrare patitur.*

21 *Magiſtratus partes ſunt prodigo bonis interdicere.*

22 *Curator ei datur, cui bonorum adminiſtratio adempta eſt.*

23 *Prodigi actus, quos ante bonorum interdictionem expedivit, validi ſunt.*

24 *Similitudo, ut loquuntur Logici, omnis claudicat.*

25 *Curatio ademptionem adminiſtrationis bonorum inducit.*

1 DE furioſo hoc conſtat, quòd † animum judicii ac voluntatis expertem habeat, ac proinde negocium nullum gerere poſſit, ut notavi *ad l. in negociis. 5. ſup. h. t.* Et quod de furioſo
2 dicitur, etiam de mente † capto intelligi debet, cùm quod furioſo in rebus gerendis denegatur, non alia de cauſa denegetur, quàm quod mente caret, ut eſt *in § præterea. Inſtit. quib. non eſt permiſ. teſt. facer.* Sed

Sed an de prodigo quoque accipi debeat, quod de furioſo dicitur, id verò non abs re quęritur. Pomponius certè in hac l. illud affirmat, dum utriuſq; tam † prodigi, quàm furioſi nul- 3
lam voluntatem eſſe ſcribit. Verùm ab eo diſſentire videtur Ulpianus *in l. certi condictio. 9. §. ſed etſi ei. ſup. de reb. cred.* ubi prodigum † comparat 4
pupillo, cujus voluntati tantum jura tribuunt, ut etiam inconſulto tutore alium ſibi obligare poſſit. *§. pupillus. Inſt. de inutil. ſtipulat.* Et multò magis ab hac l. diſſentire videtur *l. 3. C. de in integ. reſtit. minor.* ubi Impp. Diocletianus & Maximianus prodigum non abſimilem eſſe ajunt minori: cujus tamen ea voluntas eſt, ut etiam † aliis obligari, nedum ipſe alios ſibi obligare poſ- 5
ſit, *per l. puberes. 101. ſup. de verb. oblig.* Connanus in extremo *cap. 6. lib. 6. comment. jur. civil.* diſcrepantiam iſtam ita diſſolvit, ut prodigus ſimilis habeatur † furioſo, quod ad adminiſtrationem 6
bonorum attinet: ſiquidem in bonis diminuendis furioſum facit exitum, ut eſt *in l. his qui 12. §. ult. ſup. de tut. & curat. dat. ab his qui jus dand. hab.* qua ratione & l. 12. tab. prodigum † non ſecus 7
ac furioſum in curatione agnatorum eſſe voluit, ut videre eſt *ex §. furioſi quoq;. Inſtit. de curat.* Verùm extra bonorum adminiſtrationem, adeoque extra † negocium, quo prodigus obliga- 8
ri poſſit, non furioſo, ſed pupillo vel minori ſimilis habetur prodigus, cùm contrahendo ſibi obligationem acquirere, ſuamque conditio-

9 nem † meliorem facere poſſit nõ minus quàm pupillus, teſte Ulpiano *in d. §. ſed etſi ei. & in l. is*
10 *cui. 6. ſup. de verb. oblig.* Aliâs interdictio † bonorum, quæ in favorem prodigi inducta eſt, in ejuſdem odium detorqueretur, contra quàm
11 ſtatutum eſt *in l. quod favore. 6. C. de ll.* Ergo † præſens hæc lex ita accipienda eſt, ut nulla dicatur eſſe voluntas furioſi, quatenus furioſus eſt, nec prodigi, quatenus ei bonis interdicitur. Unde cùm furioſus ubiq; & in omni re gerenda furioſus ſit, fit, ut nulla unquam furioſi voluntas ſit. Cùm verò prodigo non in omnibus, ſed tantùm ratione diminutionis interdicatur bonis, veluti patet ex principio *l. Julianus. 10. ſup. de curat. fur. dand.* nec ſemper, neque in omnes partes
12. voluntas ejus nulla eſt, ſed eatenus, † quatenus bona dilapidando profundit, ac nec tempus, nec finem expenſarum habet, ut loquitur Ulpianus *in pr. l. 1. eod. tit.* Ex prædictis liquet ſermonem hic eſſe de ejuſmodi furioſo qui perpetuo furore agitatur, ſive, ut loquitur Macer *in l. D. Marcus. 14. ſup. de offic. præſid.* continua mentis alienatione omni intellectu caret. Nam ſi dilucida
13 † furoris intervalla habuerit, voluntas ipſius tempore intermiſſi furoris ita attenditur, ut tum omnia negocia rectè gerere poſſit, *argumento l. qui teſtamento. 20. §. ne furioſus. ſup. qui teſtam. fac. poſſ.*

Hoc loco & illud quæri ſolet, utrum admi-
14 niſtratio bonorum † prodigo interdicta ſit ipſo jure,

Jure, hoc ipſo videlicet quòd prodigus eſt, an
verò tunc, cùm ei per magiſtratum bonis inter-
dictum eſt? hoc eſt, utrum prodigus quis judica-
ri debeat ex illo tempore, quo bona ſua dilapi-
dare cœpit, an verò tunc demum, cùm à magi-
ſtratu prodigus declaratus, ſimulq; bonorum
adminiſtratione deſtitutus eſt? Donellus *in d.*
l. is cui bonis. fusè hanc † quæſtionem tractat, ac 15
tandem prodigo bonis ipſo jure interdici con-
cludit, hoc potiſſimùm motus fundamento,
quòd furioſus, cui prodigus in hac lege compa-
ratur, † adminiſtrationem bonorum ſuorum 16
non habeat, quamvis illa magiſtratui ipſi nec
dum interdixerit: ac præterea prodigus æquè
ac furioſus *ex l. 12. tabul.* in curatione agnatorum
eſſe jubeatur, *d. §. furioſi quoque.* Hinc, inquam,
ſtatuit Donellus prodigum quempiam ſolius
legis autoritate judicari, ſimulac bona ſua pro-
fundere incipit, etiamſi magiſtratus interdi-
ctio non intervenerit: quod † factum hominis 17
non requiratur, ubi lege quid fieri dicitur. Ve-
rùm † Duarênus *in d. l. is cui bonis.* ibidemq; Cu- 18
jacius, necnon, ut reliquos taceam, And. Geil.
in obſ. 51. n. 2. lib. 2. practic. obſervat. ſecus ſentiunt,
atque prodigo ex eo demum tempore admini-
ſtrationem bonorum ademptam eſſe ajunt,
quo magiſtratus decreto ei bonis interdictum
ſit. Atque horum ſententia de jure verior eſt,
quippe quam complures textus juris confir-
mant, è quibus magnoperè me movet *l. tres tu-*

 tores.

19 *tores.55.§.ult.ſup.de adminiſt.tutor.* ubi † Tryphoninus hoc ipſo, quòd tutori, qui cótutori ſuo apertè prodigo adminiſtrationem rerum pupil-
20 larium permiſit, omne tutelæ † periculum imputat, ſatis oſtendit etiam apertè prodigum ſuorum bonorum adminiſtrationem retinere tâtiſper, dum ei magiſtratus illam ſuo decreto ademerit. Idem docet Ulpianus *in pr. d. l. Julianus*, ubi interdictionem bonorum Prætori adſcribit. Et quod Prætor *in l. pen. §. 1. ſup. de curat. fur. dand.* eum curatorem filio prodigo dare jubetur, quem pater ipſi teſtamento dedit: hoc ipſo
21 ſatis innuitur † magiſtratus partes eſſe prodigo
22 bonis interdicere: cùm curator † dari nemini poſſit, niſi cui bonorum adminiſtratio adimitur.

Itaque ſic ſtatuo, licet prodigus *ex l. 12. tab.* in curatione agnatorum eſſe jubeatur, hodie tamen non antè bonorum adminiſtrationem ei ademptam cenſeri, quàm magiſtratus decreto bonis ipſi interdictum ſit. Quicquid igitur an-
23 te interdictionem iſtam † prodigus contrahendo vel alienando egerit, id validum erit, ne decipiantur hi, qui cum ipſo contraxerunt: ad cujus confirmationem quoque plurimum facit reſcriptum Innocentii ejus nominis tertii, *in c. veritatis. 8. extr. de dol. & contum.* Neque cum his pugnant ea, quibus Donellus tantoperè nititur. Etſi enim prodigus ac furioſus æquiparan-
24 tur: non tamen per omnia † æquiparantur, ſed,

ac

ut logici loquuntur, ſecundum quid, veluti patet ex his, quæ ad principium hujus l. notata ſunt. Neque etiam in oppoſito §. *furioſi quoq;* hoc tantùm traditur, quòd lege prodigus in curatione eſſe jubeatur: ſed ibidem illud etiam additur, quòd Prætor vel Præſes ei ex inquiſitione curatorem dare ſoleat: quo ſignificatur hodie non amplius *l. 12. tab.* prodigo bonis interdici, ſed fieri illud per Prætorem, qui hoc ipſo, quòd † curatorem prodigo dat, etiam adminiſtrationem bonorum ei adimit: ſiquidem ademptio adminiſtrationis bonorum curationem neceſſariò ſequitur, *argumento l. in copulandis. 8. C. de nuptiis.* 25

L. 41.

Ulpianus libro 26. ad Edictum.

¶ *Non debet actori licere, quod reo non permittitur.*

Summaria.

1 *Judicia acceptionem perſonarum reſpuunt.*

2 *Litigatores æquali jure haberi debent.*

3 *Actori non licet, quod Reo denegatur.*

4 *Juſiurandum Reus æquè atq; Actor deferre vel delatum referre poteſt.*

5 *Judex ſententiam ferre tenetur adverſus illum, contra quem juratum eſt, ſive is Actor ſit, ſive Reus.*

6 Pro-

6 *Procurator poſt litem conteſtatam regulariter neq; ab Actore, neq; à Reo mutari poteſt.*

7 *Actori aliquando minus licet quàm Reo.*

8 *Reus cur favorabilior ſit Actore?*

9 *Reus certat de liberatione.*

10 *Actor obligationem urget.*

11 *Actore non probante Reus abſolvitur, tametſi ipſe defenſionem ſui non probaverit.*

12 *Accuſatoris probationes in cauſis criminalibus luce meridiana clariores eſſe debent.*

13 *Dilationes tres reo criminis capitalis conceduntur, quarum duæ ſaltem Accuſatori dantur.*

14 *Sententiæ diſſonæ numero pares ubi à judicibus prolatæ ſunt, prævalent illæ, quæ pro Reo latæ ſunt.*

15 *L. duo judices. 28. ff. de re judicat. conciliatur cum l. inter pares. 38. ff. eod.*

16 *Sententiæ judicum pedaneorum diſſentientes ex arbitrio judicis ordinarii pendent.*

17 *Sententia quando in dubio pro Actore potius quàm pro Reo ferri debeat?*

18 *Libertatis, dotis, matrimonii, ac teſtamenti tantus eſt favor, ut in dubio jus tam Pontificium, quàm civile pro libertate, dote, matrimonio ac teſtamento ſententiam ferri velit.*

1 CUm in judiciis acceptio † perſonarum habenda non ſit, *per c. in judiciis 12. de Reg. jur. in*
2 *6.* ſed æqualitas † inter litigatores obſervari, atque unicuiq; ſuum jus tribui debeat, ut præcipitur

pitur *in Novella* 8. inde fit, ut Actori † licere non 3 poſſit, quod Reo non permittitur. Cujus exemplum *ex l. juſiurandum. 34. §. ult. ſup. de jureiur.* quæ ejuſdem Ulpiani eſt, & ex eodem etiam libro 26. ad Edictum deſumpta, peti poteſt: ibi enim tam Reo quàm Actori liberum eſt † juſiurandum deferre, vel delatum referre: & judex quoque ſententiam † ferre jubetur adverſus eum, 5 contra quem juratum fuit, ſive is Actor ſit, ſive Reus. Sic Actor perinde ut Reus † procuratorem ab ſe conſtitutum poſt litem conteſtatam non niſi cauſa cognita mutare poteſt, teſte Ulpiano *in pr. l. poſt litem. 17. & l. quæ omnia. 25. ſup. de procurat.*

4 (tam Reo quàm Actori … juſiurandum); 6 (procuratorem)

Quin imò Actori † nonnunquam minus li- 7 cere quàm Reo teſtatur trita illa regula Gaji *in l. favorabiliores. 125. inf. h. t.* quæ habet, Reum favorabiliorem † eſſe Actore, hanc cumprimis ob 8 cauſam, quòd jura † ad liberationem, de qua 9 Reus certat, propenſiora ſunt, quàm ad obligationem, quam † Actor urget, *per l. Arrianus. 47.* 10 *ſup. de oblig. & action.* Unde etiam Reus Actore non † probante, abſolvitur, quamvis ipſe nihil 11 ad ſui defenſionem probaverit. Neque enim de jure Rei quærendum eſt antè, quàm de jure Actoris conſtiterit, *argumento l. 4. C. de edend.* Eandemque abſolutionem meretur Reus in cauſis criminalibus, ſi accuſator † probationes luce 12 meridiana clariores non attulerit, *per l. ult. C. de probat.* Atq; ex eadem ratione Reo criminis ca-

pitalis

13 pitalis dilationes † tres conceduntur, quarum duæ ſaltem Accuſatori dari poſſunt. *per l.ult.ſup. de feriis & dilat.* Eidemque rationi adſcribi oportet, quòd tum, quando judices numero pares
14 diſſonas † ſententias proferunt, ea prævalet ſententia, quæ pro Reo lata eſt, veluti refert Paulus *in pr.l.inter pares.38.ſup. de re judic.* Neque
15 huic † adverſatur Modeſtinus, quando *in l. duo judices.28.eod.tit.* ait, ſententiam ejuſmodi tantiſper in pendenti eſſe, dum competens judex alterutram cõfirmaverit: quoniam loquitur Modeſtinus non de ordinariis, ſicuti Paulus, ſed de
16 datis † ſive pedaneis judicibus, quorum ſententiæ, ſi diſſentiant, ex arbitrio delegantis ſive ordinarii judicis pendent, quomodo dubium hoc diſſolvit Pontifex Gregorius ejus nominis nonus *in c. ult. extr. de ſentent. & re judic.* ubi ſimul quatuor excipit caſus, in quibus, ſi dubitetur u-
17 tra † pars ſuam intentionem melius probârit, pro Actore potius, quàm pro Reo ſententia ferri debeat, nimirum ſi debitam ſibi liberta-
18 tem, † dotem, aut matrimonium ille perſecutus ſit, vel etiam pro teſtamento egerit: id quod jam antè Paulus etiam de tribus caſibus reſponderat, videlicet de libertate, *in d.l.inter pares.* de dote. *in pr.l.in ambiguis.85.inf.h.t.* atq; haud obſcurè de teſtamento etiam *in l. in teſtamentis. 12.ſup.h.t.* necnon de matrimonio Ulpianus *in l. 1.§.ult.ſup.de liber.exhibend.*

Ad §.1.

Ad §. 1.

¶ *In re obſcura melius eſt favere repetitioni, quàm adventitio lucro.*

SUMMARIA.

1 *Creditorum iſtorum, qui ſuum repetunt, in ſolutione, potior habenda eſt ratio, quàm horum, qui ex cauſa lucrativa quid petunt.*

2 *Lucrum adventitium quodnám dicatur?*

3 *Creditores legatariis opponuntur.*

4 *Legatarii pro lucro certant.*

5 *Privilegiati ubi inter ſe contendunt, videndum eſt, uter illorum de damno vitando certet: hic enim prævalet ei, qui lucrum captat.*

REgula quæ ſub hoc §. continetur, nihil aliud ſibi vult, quàm quod in ejuſmodi caſu, ubi inter diverſi generis creditores dubium exiſtit, cujus in ſolutione potior ſit habenda ratio, judex eum, qui † ſuum repetit, & ex contra- 1
ctu vel titulo oneroſo experitur, præferre debeat illi, qui ex teſtamento, legato, donatione, vel ex alia quapiam cauſa lucrativa agit. Nam adventitium lucrum hìc accipitur † pro quo- 2
vis lucro, quod ex fortunæ liberalitate advenit, *argumento l. cum oportet. 6. in pr. C. de bon. quæ liber. acq.* Proinde ſi diſtrahenda ſit hereditas, de qua dubitatur, an ſolvendo ſit prius † creditoribus, 3
quàm legatariis ſatisfaciendum eſt: cùm ſatis abſur-

abſurdum ſit, ut refert Imp. Juſtinianus *in l. ult. §. ſin verò creditores. C. de jur. delib.* creditoribus quidem jus ſuum perſequentibus legitimum auxi-
4 lium denegari, legatariis † verò, qui pro lucro certant, ſubvenire. Unde communiter Dd. inferunt, eo quoque caſu, quando duo privilegia-
5 ti † inter ſe contendunt, uter alteri præferri debeat, potiorem eſſe cauſam illius, qui de damno vitando certat: cujus inſigne exemplum extat *in l. ult. ſup. ex quib. cauſ. majo. 25. ann. in integ. reſt.*

L. 42.

Gajus libro nono ad Edictum provinciale.

§ *Qui in alterius locum ſuccedunt, juſtam habent cauſam ignorantiæ, an id, quod peteretur, deberetur. Fidejuſſores quoq; non minus quàm heredes juſtam ignorantiam poſſunt allegare. Hæc ita de herede dicta ſunt, ſi cum eo agetur: non etiam ſi agat. Nam planè qui agit, certus eſſe debet, cùm ſit in poteſtate ejus, quando velit experiri: & antè debet rem diligenter explorare; & tunc ad agendum procedere.*

Summaria.

1 *Factum proprium ſicut nemo ignorare præſumitur: ita etiam alienum factum nemo ſcire præſumitur.*

2 Fa-

2 *Facti alieni ignorantia tolerabilem errorem parit.*

3 *Succeſſor juſtam ignorantiæ cauſam habet, quando ex facto defuncti convenitur.*

4 *Heres ex facto defuncti conventus neq; in uſuras, neq; in expenſas litis damnari poteſt.*

5 *Ignorans moram facere non dicitur.*

6 *Fidejuſſor, ſi ignarus ſolvat quod à debitore principali ſolutum erat, ſolutum actione mandati à debitore principali repetere poteſt.*

7 *Reus præter ſpem in judicium trahitur.*

8 *Heres ignorantiæ prætextu non juvatur, quando Actoris partes ſuſcipit.*

9 *Actio non niſi re bene deliberata inſtitui debet.*

QUemadmodum factum † proprium nemo ignorare præſumitur, *per l. quiſquis 15. C. de reſcind. vendit.* ita nemo factum alienum ſcire præſumitur, ut colligitur ex reſponſo Marciani *in l. verius. 21. ſup. de probat.* Unde etiam Neratius *in fine l. ult. ſup. pro ſuo.* in † alieni facti ignorantia tolerabilem errorem eſſe refert. Eandemque ob cauſam Gajus hoc loco tradit eum, qui in alterius locum ſuccedit, † juſtam habere cauſam ignorantiæ, an id, quod petitur, debeatur. Atque hujus ignorantiæ prætextu † heres neque in uſuras, neque in expenſas litis damnari poteſt: ſiquidem ignorans † moram facere non intelligitur, ut dicetur *ad l. qui ſine. 63. inf. h. t.* ſimile exemplum de he-

S rede

rede depoſitarii proponitur ab Ulpiano *in l. 1. §. ult. ſup. depoſ.*

Quod de herede dictum eſt, id ad fidejuſſo-
6 rem quoque referri debet. Hic enim † ſi ignarus ſolverit, quod à debitore principali ſolutum erat, mandati actione à debitore principali perſequi poteſt id, quod ſolvit: potuit enim, atque etiam debuit debitor certiorare fidejuſſorem ſuum, ne fortè ignarus indebitum ſolvat, ſicut refert Ulpianus *in principio l. ſi fidejuſſor. 29. ſup. mandat.*

Hæc autem, quæ de herede modò dicta ſunt, tum obtinent, quando is in judicio Rei partes agit, ſive ex facto defuncti convenitur: quia
7 tum præter † ſpem ad judicium trahitur, ut dicitur *in fine l. 2. C. de dilat.* Quod ſi enim heres adverſus alium actionem intentet, ignorantiæ
8 † prætextu non juvabitur, quia ſibi imputare debet, quòd alium judicio temerè, non explorato jure defuncti, fatigavit, cùm prius quàm a-
9 ctionem inſtituit, diligenter † ſecum de lite rectè inſtituenda deliberare debuiſſet. Quibus plurimum lucis adferunt ea, quæ Menochius *lib. 2. de arbit. judic. quæſt. caſ. 315. n. 10. & duobus ſeqq.* tradit.

L. 43.

Ulpianus libro 28. ad Edictum.

Nemo

¶ *Nemo ex his qui negant ſe debere, prohibetur etiam alia defenſione uti, niſi lex impedit.*

SUMMARIA.

1 *Actor ejuſdem rei nomine pluribus actionibus experiri non poteſt.*

2 *Reus pluribus iiſdemq́; diverſis exceptionibus ſeſe adverſus Actorem tueri poteſt.*

3 *Exceptiones Reôrum omnes ex æquitate proveniunt.*

4 *Defenſio nemini adimi debet.*

5 *Exceptio peremptoria opponi Actori poteſt, quamvis dilatoria exceptio eidem oppoſita fuiſſet.*

6 *Reus opponendo exceptionem dilatoriam Actoris intentionem fateri non videtur.*

7 *Actori plures exceptiones peremptoriæ opponi poſſunt.*

8 *Reus de intentione Actoris dubitans exceptionem Actori, poſteaquam intentio ab ipſo probata fuerit, opponere non prohibetur.*

9 *Actori, cujus intentionem Reus calumnioſè negavit, opponi poſtea ab ipſo exceptio non poteſt.*

10 *Reus negans ſe debere, ſi convictus ab Actore fuerit, poſtea nòn auditur, etiamſi debiti ſolutionem probaverit.*

11 *Heres negans legatum à teſtatore relictum eſſe, ſi convictus à legatario fuerit, opponere poſtea non poteſt, teſtamentum, ex quo illud relictum eſt, ritè confectum non fuiſſe.*

QUòd in principio *l. non debet. 41. ſup. h. t* inter cætera dixi, Actori nonnunquam minus licere, quàm Reo: id in præſenti hac lege Ulpi-
1 anus quoque hoc ipſo confirmat, quòd † Actorem ejuſdem rei nomine pluribus actionibus
2 experiri poſſe negat: cùm tamen reus † pluribus exceptionibus adverſus Actorem uti non prohibeatur, quamvis illæ diverſæ ſint, ut declarat Paulus *in l. nemo. 8. ſup. de except*. Cujus diverſitatis ratio ſpeciatim adſcribi ſolet defen-
3 ſionis æquitati, ex qua omnes † Reorum exceptiones proveniunt, quamque jus naturæ cui-
4 quam auferri † vetat, veluti notant interpretes *ad l. qui æquitate. 12. ſup. de dol. mal. & met. except. & ad l. unius. 18. §. pen. ſup. de quæſt.* Itaque Reus, qui
5 exceptionem † aliquam dilatoriam Actori objecit, eidem poſtea peremptoriam exceptionem opponere non prohibetur, *per l. non utique. 9. ſup. de except.* Ex qua hoc quoque intelligitur, Reum Actoris intentionem confiteri non vi-
6 deri, † quamvis exceptionem dilatoriam prius ipſi oppoſuerit. Idque in peremptoriis exceptionibus multò magis obtinet. Unde Reus,
7 qui exceptione jurisjurandi † uſus eſt, etiam aliis exceptionibus peremptoriis, rei judicatæ nimirum, tranſactionis vel præſcriptionis, Actoris intentionem excludere non prohibetur,
8 *l. is qui dicit. 5. ſup. de except.* Et qui de † intentione Actoris dubitat, ita excipere poteſt, ut neget ſe debere rem, quam Actor petit: Quòd ſi Actor pro-

probet eum debitorem eſſe, exceptione pacti de non petendo ſeſe tueri poteſt. *l. ſiquidem. 9. C. de except.*

Cæterùm qui calumnioſè † negat quod A- 9
ctor intendit, exceptionem poſtea objicere ipſi
non poteſt, quia lex tum alterius exceptionis
auxilium impedit. Cujus exemplum inſigne
extat *in Auth. contra. C. de non num. pecun.* ubi Reus,
qui debitum ſemel † inficiatus eſt, poſtea ſi cō- 10
victus fuerit, non auditur ſolutionem allegans,
quamvis verum ſit eum ſolviſſe. Quò pertinet
etiam *§. ult. Inſtit. de fideicom. heredit.* ubi heres, qui
legatum † à teſtatore relictum eſſe negat, po- 11
ſtea ſi contrarium probatum fuerit, opponere
non poteſt, teſtamentum, ex quo illud relictum eſt, ritè confectum non fuiſſe, proindeque ſe ex voluntate minus ſolenni ad præſtationem legati non teneri, *per l. ex teſtamento. 29. C. de fideicom.*

Ad §. 1.

¶ *Quoties concurrunt plures actiones ejuſdem rei nomine, una quis experiri debet.*

SUMMARIA.

1 *Actionibus pluribus ejuſdem rei nomine experiri quis non poteſt.*

2 *AEſtimationem ejuſdem rei ex eadem cauſa bis conſequi quis non debet.*

3 *Actor qua cautela uti debeat, ſi dubitet quánam ex pluribus ſibi competentibus actionibus commodius experiri poſſit?*

4 *Actiones rei perſecutoriæ quando plures ejuſdem rei nomine competunt, una ex iis ab actore eligi debet.*

5 *Impenſæ in res ex ſocietate communes factæ tam communi dividundo, quàm pro ſocio actione repeti poſſunt.*

6 *Actionum rei perſecutoriarum altera alteram non tollit, quando in una quid amplius eſt, quàm in alia.*

7 *Actionum pœnalium ex pluribus delictis competentium altera alteram non tollit.*

8 *Delictum nullum impunitum manere debet.*

9 *L.nunquam.13.ff.h.t.conciliatur cum principio l. plura delicta.53.ff.de oblig.& action.*

10 *Delicta plura in una re diverſis vicibus admiſſa pluribus actionibus vindicari poſſunt: ſecus eſt ſi una vice in una eademq; re plura delicta commiſſa ſint.*

11 *Stuprum ancillæ immaturæ illatum dominus vel injuriarum vel l. Aquiliæ actione vindicare poteſt.*

12 *Actiones pœnales ubi plures ex uno delicto in eadem re una vice commiſſo dantur, cæteræ excluduntur, ſi ex una Actor ſolidum adeptus ſit.*

13 *Intellectus l.quoties.41.§.1.ff.de oblig. & actionib.*

14 *L.qui ſervum.34.§.ult.ff.de oblig. & action.à Cujacio corrigitur.*

15 Ra-

15 *Raptor & furti & vi bonorum raptorum actione conveniri poteſt.*

16 *Actione graviori ubi actum eſt, ejuſdem rei nomine leviori actione experiri non licet.*

17 *Actiones pœnales ſi concurrant, quid attendendum ſit?*

18 *Actio rei perſecutoria pœnalem actionem, ſi cum hac concurrat, non tollit, nec hæc illam conſumit.*

19 *Condictio furtiva per actionem furti non tollitur.*

20 *Actio furti actionem locati vel depoſiti non conſumit.*

21 *Intellectus l. ſi is cui. in pr. ff. de furt.*

22 *Actio furti aliquando condictionem furtivam denotat.*

23 *Condictio furtiva eſt rei perſecutoria.*

24 *Intellectus l. 3. §. ult. ff. naut. caupon. ſtabul. ut recept. reſtit.*

25 *Actio de recepto eſt rei perſecutoria.*

26 *Actionem furti* Ulpianus *à condictione furtiva diſcernit.*

27 *Actio furti datur ei, cujus intereſt rem ſurreptam non eſſe.*

28 *Actio mixta quænam ſit?*

29 *Actio mixta concurrens cum rei perſecutoria actione, perſecutoriam tollit, ſi primùm illa intentata ſit?*

30 *Actione rei perſecutoria qui prius egit, mixta actione cum illa concurrente ad conſequendum id, quod actione rei perſecutoria adeptus non fuit, experiri poſtea non prohibetur.*

31 *Intellectus l.2.§.1.ff.de tutel. & ration. diſtrahend.*

32 *Actio de rationibus diſtrahendis mixta eſt.*

33 *Actione tutelæ ubi actum eſt, actione de rationibus diſtrahendis agi non poteſt.*

34 *Actio pœnalis concurrens cum actione mixta hanc non tollit, ſicut nec hæc illam, ſi in alterutra quid amplius fuerit.*

1 ACtor pluribus † actionibus experiri non poteſt eo caſu, quando ejuſdem rei nomine plures actiones ei competunt: verùm ex præſcripto juris unam eligere tum debet, qua intentata regreſſus ipſi ad aliam non datur, veluti docet Ulpianus *in l.quod in herede. 9. §.1. ſup. de tribut. act.* Neque enim bona fides patitur, ut ex
2 eâdem cauſa ſive obligatione † ejuſdem rei æſtimationem Actor bis conſequatur, ſicuti dicetur *ad l.bona fides 57.inf. h.t.* Quod ſi tamen in-
3 certus ſit actor, quámnam † potius actionem eligere debeat, duas dictare poteſt actiones, hac addita proteſtatione, ex altera ſe velle conſequi quod ſibi debetur, ut refert idem Ulpianus *in l.1.§.quia autem.ſup. quod legator.* Etſi fortè per errorem priori judicio malè egerit, non ſolùm intentare aliam actionem poterit, ſed ejuſdem quoque actionis, quæ ipſo jure conſumpta eſt, reſtitutionem ex bono & æquo conſequetur, *per l.habebat.13.in princ.ſup.de inſtitor.action. & l.1. §. ult.ſup.quando de pecul.act.annal.eſt.* Eodemq; pertinet *l.qui cum herede.15.ſup.de oblig. & act.*

Sed

Sed cùm verba hujus regulæ generaliter concepta ſint, haud abs re quæri poteſt, an ad omnes actiones illa referenda ſit ? Et quidem in actionibus rei perſecutoriis hoc minus difficultatis habet : quoniam plures hujuſmodi actiones ideo Actori † competunt, ut ei laxior a- 4
gendi facultas ſit, hoc eſt, ut ex his eligat eam, quæ ſibi commodior viſa fuerit, *l. cum filius. 76. § pen. ſup. de legat. 2.* Ejusq; exemplum ponit Paulus *in l. pro ſocio. 38. §. 1. ſup. pro ſoc.* ubi is qui fecit impenſas in res, quas ex ſocietate cum alio communes habet, repetere quidem illas & pro ſocio, & communi † dividundo actione poteſt: 5
ſed tamen utraque experiri non poteſt, verùm altera electa alteram tollit. Itaque de actionibus rei perſecutoriis invicem concurrentibus hoc expeditum eſt, quòd alteram † altera tol- 6
lat : hoc unico caſu excepto, ſi plus quid in una ſit, quàm in alia : tum enim actor reſiduum, quod una actione conſecutus non eſt, altera petere non prohibetur, veluti patet *ex l. ſi actum. 43. ſup. pro ſoc. & l. prædia. 28. ſup. de act. empt.*

Verùm de actionibus pœnalibus major eſt dubitatio, an videlicet & hæ, ſi concurrant, ita comparatæ ſint, ut altera alteram conſumat ? Cujacius *in cap. 24. lib. 8. obſervat.* actiones pœnales diſtinguit, utrum videlicet illæ ex pluribus, an verò ex uno delicto naſcantur. Quod ſi enim plura delicta fuerint, tum licet in una eademq; re illa commiſſa ſint, veluti ſi quis ſervum ſurri-

7 puerit, eundemq́; occiderit, ex ſingulis † deli-
ctis ſingulæ actiones naſcuntur, actionumq́ue
pœnalium altera alteram non tollit, ſed ex ſin-
gulis actionibus actor ſolidum conſequitur:
8 quòd nullum delictum † impunitum manere
debeat, quemadmodum eleganter declarat Ul-
pianus *in l.2.ſup.de privat.delict.* cui conſentit Ju-
lianus *in l. interdum. 56. in princip. ſup. de furt.* Eo-
demq́ue pertinet *l.nunquam. 130.inf. h.t.* quæ iiſ-
dem propemodum verbis traditur *in l.pen. ſup.
de oblig. & action.* Neque his adverſatur princi-
pium *l.plura. 53.ſup.de oblig. & actio.* ubi Modeſti-
9 nus † concedit quidem plura delicta in una re
plures admittere actiones: ſed quòd omnes iſtæ
actiones intentari poſſint, id verò negat exem-
plo plurium actionum, quas una obligatio ex
contractu vel quaſi producit? quoniam reſpon-
deri poteſt prædictas ll. loqui de illo caſu, quan-
10 do † diverſis factis in una re, hoc eſt, in uno cor-
pore plura delicta commiſſa ſunt, id quod *in d.
l.pen.* verba hæc *de eadem pecunia* ſatis arguunt. At
verò Modeſtinus loquitur de ejuſmodi caſu,
quando uno facto, ut rectè ibidem Accurſius
interpretatur, plura delicta in una re admiſſa
11 ſunt, veluti ſi ancillæ immaturæ ſtuprum † illa-
tum ſit, duo delicta uno facto patrata ſunt, ſtu-
prum videlicet ac damnum, teſte Ulpiano *in l.
ſi ſtuprum. 25. ſup.de injur.* eoq́ue nomine & inju-
riarum & Aquiliæ actio domino competit,
ſed una tantùm, non omnibus ſolidum ille
conſe-

conſequi poteſt, *per l. qui ſervum 34. in princ. ſup. de obligat. & action.* Idem juris eſt, ſi in una eademque re, unoq; facto unum † delictum commiſ- 12
ſum ſit, ex quo plures actiones dantur: veluti ſi quis arbores furtim cæciderit, unum duntaxat delictum una vice admiſſum eſt, ex quo plures ſunt actiones, videlicet actio l. Aquiliæ, interdictum quod vi aut clam, & vetus etiam actio de arboribus ſuccisis in duplum, *ex l. 12. tab. l. 1. & l. furtim 7. §. ult. ſup. arbor. furt. Cæſar.* nam & hoc caſu poſt magnas varietates, ut inquit Hermogenianus *in l. cùm ex uno 32. ſup. de oblig. & action.* tandem obtinuit, ut omnibus ſimiliter actionibus experiri ipſo jure liceret, quamvis judex cæteras actiones excludat tum, quando ex una jam actor pœnam ſolidam conſecutus fuit. Quod ſi igitur in aliis actionibus plus fuerit, quàm in ea, qua egit, tum demum quod plus eſt, aliis actionibus perſequi Actor non prohibetur. *d. l. qui ſervum. & l. quoties. 41. ſup. de oblig. & action.* ubi pro † extrema voce *Id*, legendum eſſe 13
Nihil, Cujacius *in cap. 25. lib. 3. obſer.* rectè ſtatuit, nec ſine ratione ibidem negationem ex † fine 14
d. l. qui ſervum. tollendam eſſe aſſerit: ſiquidem totus contextus emendationem hujuſmodi comprobat, id quod & Hotomannus *in illuſt. quæſt. 27*, animadvertit.

Quod ut perſpicuum magis evadat, hujuſmodi exemplo declarare libet: cui rapina facta eſt, is † raptorem & furti nec manifeſti, ſi mani- 15
feſtò

feſtò illa facta non ſit, & vi bonorum raptorum actione convenire poteſt, ſed ita, ſi prius furti nec manifeſti egerit in duplum, tum enim actione vi bonorum raptorum quoq; experiri poteſt, ut conſequatur id, quod in ea eſt amplius, videlicet reſiduum duplum, in quo res rapta computatur. Quod ſi verò vi bonorum raptorum prius egerit, actionem furti nec manifeſti
16 intentare non poterit, quia actione † graviori prius egit, & ſolidum, quod iſtius rapinæ nomine leges pendi volunt, jam conſecutus eſt, *l.1.*
17 *ſup. vi bon. raptor.* Ergo de † pœnalibus actionibus hoc ſtatutum eſt, ut ſi plura delicta pluribus factis patrata ſint, omnibus actionibus eo nomine competentibus experiri, ſingulisq; ſolidum conſequi liceat. Sin verò unum delictum, vel etiam plura delicta, uno tamen eodemq; facto in una re admiſſa ſint, ut tum non omnibus actionibus competentibus, ſed una tantùm agere liceat, niſi quid plus in una actione fuerit, quàm in alia, ac leviori etiam actione prius Actor egerit.

18 Cæterùm ſi actio † rei perſecutoria concurrat cum pœnali, neutra alteram conſumit, quoniam illa rem, hæc pœnam perſequitur: eamq;
19 ob cauſam neque actio furti per † condictionem furtivam, neque condictio hæc per furti actionem conſumitur, teſte Ulpiano *in l. ſi pro fure. 7. §. 1. ſup. de condict. furt.* Eademq; res facit, ut
20 † actio furti nec depoſiti, nec locati, nec pro

ſocio

ſocio actionem tollat, ut videre eſt *ex principio l. ſi ſacculum. 29. ſup. depoſ. l. ſi locatum. 42. ſup. locat. & l. rei communis. 45. ſup. pro ſoci.* Neque cum his pugnat Javolenus † *in principio l. ſi is cui. 71. ſup. de furt.* 21
ubi ait, actionem commodati extingui, ſi furti actum ſit: quoniam furti actio eò loci non ſignificat actionem † furti pœnalem, ſed condi- 22
ctionem furtivam, quæ perinde ut commodati actio † rei eſt perſecutoria: Idque Javoleno fa- 23
miliare fuiſſe, ut furti actionis nomine condictionem furtivam denotârit, teſtatur *l. cum furti. 9. ſup. de in lit. jurand.* quemadmodum præter Accurſium Cujacius quoque notat *in cap. 12. lib. 17. obſ.* Ac licet Hotomannus *in d. quæſt. 27.* exiſtimet eodem modo reſpondendum eſſe ad *l. 3. §. ult. ſup. naut. caup. ſtab. ut recept. reſtit.* ubi † Ulpia- 24
nus ejuſdem rei nomine & de recepto honoraria actione & furti agi poſſe negat, quantumvis actio † de recepto rei perſecutionem continet, 25
ut ex Pomponio idem Ulpianus *in §. pen. ejuſdem l.* refert: mihi tamen ſecus reſpondendum eſſe videtur. Præterquam enim quòd Ulpianus nuſquam, quod ego ſciam, furti actionis † nomine 26
condictionem furtivam complectitur, ſed alteram ab altera paſſim accuratè diſcernit: hoc quoque exploratum eſt, furti actionem ei demum dari, cujus † intereſt rem ſurreptam non 27
eſſe, *l. is cujus. 85. ſup. de furt.* Cùm ergo illius, cujus res in navi, caupona, vel ſtabulo ſurrepta eſt, nihil interſit eam rem non perire: ſiquidem actione

one de recepto ſuum perſequi poteſt. *argumento §.item ſi fullo.Inſtit.de oblig.quæ ex delict.naſc.*inde fit, ut in caſu oppoſiti *§.ult.* actio furti pœnalis intentari nequeat, quando actioni de recepto locus eſt.

28 Denique eſt & † mixta actio, quæ videlicet uno eodemque judicio & rem & pœnam ſimul perſequitur, *§.ex maleficiis. Inſtit. de action.* Hæc ſi
29 cum actione rei perſecutoria † concurrat, & primùm intentata fuerit, rei perſecutoriam conſumit, quia rei perſecutio mixtæ actioni ineſt. Unde qui actione mixta egit, rem conſecutus eſt. Sin autem prius rei perſecutoria intentata fuerit, mixta eatenus conſumitur, quatenus
30 continet rem, quam actor † rei perſecutoria eſt adeptus: quatenus verò quid ſupereſt, eatenus actio mixta ſalva manet.*l.unde quæritur.7.§.1.ſup. commodat.& d.l.qui ſervum. §. ult.* Sed obſtat huic
31 *l.2.§.1.ſup.de tutel. & rat. diſtrah.* ubi † actio de rationibus diſtrahendis per condictionem furtivam tollitur, quamvis condictio hæc rei perſecutionem duntaxat contineat, *d. l. ſi pro fure. §.1.*
32 actio autem † de rationibus diſtrahendis mixta ſit, ac præter rem etiam pœnam perſequatur.*d.l. 2.§.ult.* Reſpondeo in actione de rationibus diſtrahendis hoc ſpeciatim inductum eſſe, ut tum ceſſet, quando pupillo nihil abeſt.*d.l.2.§.1.* nihil autem pupillo abeſſe poteſt, quando ſuum per condictionem furtivam recepit: quam ob cauſam quoque huic actioni locus non eſt, ubi tutelæ

telæ † actione, quæ & ipſa rei perſecutoria eſt, 33
prius actum fuit. *l. 1. §. in tutela. 21. ſup. de tut. & rat. diſtr.* Quod ſi verò actio mixta † cum pœnali 34
concurrat, neutra alteram tollet in eo, quod amplius in alterutra fuerit, id quod exemplum de furti ac vi bonorum raptorum actione paulò antè propoſitum ſatis evincit. Quò referri etiam poſſunt ea, quæ de eadem hac regula ſcribunt Donellus *in l. un. n. 4. & 5. C. ſi ſerv. extr. em. mand.* Everhard. Bronchorſt. *in aſſert. 84. cent. 2.* ἐναντιοφανῶν. & And. Geil. *in obſ. 63. lib. 1. practic. obſervat.*

L. 44.

Ulpianus libro 29. ad Edictum.

¶ *Toties in heredem damus actionem de eo, quod ad eum pervenit, quoties ex dolo defuncti convenitur, non quoties ex ſuo.*

Intellectus hujus l. ſatis conſtat ex iis, quæ dicta ſunt de *l. ſicuti pœna. 38. ſup. h. t.*

L. 45.

Ulpianus libro 30. ad Edictum.

¶ *Neq; pignus, neq; depoſitum, neq; precarium, neq; emptio, neq; locatio rei ſuæ conſiſtere poteſt.*

SUMMARIA.

1 *Meum quod eſt, dari mihi non poteſt.*

2 Ver-

2 *Verbum* Dare *tranſlationem dominii arguit.*
3 *Meum quod eſt amplius meum fieri non poteſt.*
4 *Dominium ex una cauſa contingit.*
5 *Mihi inutiliter legatur id, quod meum eſt.*
6 *Emptio rei ſuæ non valet.*
7 *Locatio rei ſuæ nulla eſt.*
8 *Conductor jus fruendi duntaxat in re locata habet.*
9 *Poſſeſſionis cauſam nemo ſibi mutare poteſt.*
10 *Pignus rei ſuæ non conſiſtit.*
11 *Depoſitarius non ſibi, ſed domino poſſidet.*
12 *L. cum & ſortis. 35. §. ult. ff. de pignor. action. conciliatur cum l. neq; pignus. 45. ff. de regul. jur.*
13 *Intellectus l. res pignoris. 37. ff. de acquir. vel amitt. poſſeſſ.*
14 *Poſſeſſio, quæ penes alium eſt, à domino conduci vel precariò rogari poteſt.*
15 *Poſſeſſionem rei ſuæ quis emere poteſt ab eo, penes quem illa eſt.*

Res mea eſt ex genere iſtarum rerum, quæ
1 † mihi dari non poſſunt, quia † dari cui-
2 quam id intelligitur, quod ita datur, ut ejus fiat, *l. ubi autem. 75. §. ult. ſup. de verb. obligat.* nec verò
3 res, quæ jam alicujus † eſt, magis ejus fieri poteſt, ut refert Juſtinianus *in §. ſic itaq; 14. inſtit. de action. & in §. ſed ſi rem. 10. Inſtit. de legat.* cùm do-
4 minium † non niſi ex una & ſingulari cauſa contingere poſſit, teſte Paulo *in l. 3. §. ex pluribus. ſup. de acq. vel amitt. poſſ.* cui conſentit etiam reſcri-

ſcriptum Impp. Diocletiani & Maximiani, *in l. ſi ancillam. 7. C. de contr. empt.* Unde & Paulus *in l. & an eadem. 14. §. pen. ſup. de except. rei judic.* ait, rem nō amplius quàm ſemel meam eſſe poſſe. Quæ cauſa eſt, quòd nemini res † ſua utiliter legari 5
poteſt, *d. §. ſed ſi rem.* Hac eadem ratione nec ſuæ rei † emptionem valere placuit. *l. ſua rei. 16. ſup.* 6
de contrah. empt. Idque ad omnes conventiones pertinet, quibus hoc agitur, ut aliquo modo res mea mihi detur. Neque hìc jura conſiſtunt, ſed locationem quoq; † rei ſuæ pro nulla habent, 7
tametſi ex locatione jus fruendi † ſaltem ad 8
tempus in conductorem transferatur. *l. qui rem propriam. 20. C. de loc. & conduct.* cujus nulla alia eſt ratio, quàm quòd is, cujus eſt res propria, ſibi illam rem animo domini poſſideat: ac proinde alterius nomine in eadem iſta poſſeſſione eſſe nequeat: ſiquidem † nemo ſibi cauſam poſſeſ- 9
ſionis mutare poteſt. *d. l. 3. §. illud quoq;.* Quam ob cauſam quoq; neq; † pignus, neq; depoſitum, 10
neque precarium ſuæ rei conſiſtit. *l. ſi rem. 29. ſup. de pign. act. l. qui rem. 15. ſup. depoſ. & l. certè. 6. §. ult. ſup. de precar.* cùm & creditor † & depoſitarius, 11
& is qui precariò rogavit, æquè ac conductor non ſibi, ſed domino poſſideat, cujus nomine in poſſeſſione eſt, *per l. pen. §. 1. ſup. qui ſatiſd. cogant.*

Neque obſtat huic *l. cum & ſortis. 35. §. ult. ſup. de pignor. act.* ubi † Florentinus ait, poſſe debito- 12
rem & precario & pro conducto re ſua uti:

T quod

13 quod ipſum & Marcianus reſpondet † *in l. rei pignoris.37.ſup.de acq.vel amitt.poſſ.* quoniam debitor eò loci à creditore non proprietatem, ſed poſſeſſionem, quam in ipſum transtulerat, conduxit, vel precariò rogavit: cujuſmodi conductio vel precarium de jure ſubſiſtit: cùm nihil
14 obſtet, quò † minus dominus rem, quam in ſua manu non habet, à poſſeſſore conducat, vel precario roget, ſicuti videre eſt *ex fine d. l. certè. 6. & pr. l. ult. ſup. de precar.* ſic & rei ſuæ emptio
15 † tunc valet, quando poſſeſſio illius non dominium à venditore redimitur, ut tradit Paulus *in l. ſi in emptione.34.§.rei ſuæ.ſup.de contrah.empt.*

Ad §. 1.

§ *Privatorum conventio juri publico non derogat.*

Ad hujus §. interpretationem ſufficiunt ea, quæ notavi *ad l. nec ex Prætorio 27.ſup.h.t.*

L. 46.

Gajus libro decimo ad Edictum provinciale.

§ *Quod à quoquo pœnæ nomine exactum eſt, id eidem reſtituere nemo cogitur.*

SUMMARIA.

1 *Delicti commiſſi nomine quod exactum eſt, reſtituere quis non tenetur.*

2 De-

2 *Delicta ne impunita maneant Reipublicæ expedit.*
3 *Pœnæ cùm depenſæ ſunt, repeti non poſſunt.*
4 *Procurator mulctam, quam ſua contumaciæ cauſa judici ſolvit, à domino recuperare nequit.*
5 *Debitor ſi quid pignoris ſurrepti nomine creditori præſtitit, repetere ab ipſo non poteſt.*
6 *Legatarius æſtimationem legati, quam ab herede teſtamentum non exhibente evicit, etiam deficiente conditione, ſub qua legatum relictum fuerat, refundere non cogitur.*
7 *L. quod à quoquo. ff. h. t. an in foro conſcientiæ locum habeat.*

NEmo ad reſtitutionem illius, quod † delicti commiſſi nomine ab altero vel ipſe vel magiſtratus conſecutus eſt, compelli poteſt: 1
quia Reipublicæ expedit, ne † delicta impunita maneant, *l. ita vulneratus. 51. ſup. ad l. Aquiliam.* 2
Unde & Ulpianus *in l. pœna. 42. ſup. de condict. indeb.* ait, pœnas non ſolere repeti, † cùm depenſæ ſunt. Hinc procurator pœnam, quam ipſe 3
† contumaciæ ſuæ nomine judici ſolvit, recuperare à Domino non poteſt, teſte Gajo *in l. qui proprio. 46. §. item contra. ſup. de procurat.* Atque ex 4
eadem ratione † debitor repetere à creditore non poteſt, quod pignoris ſurrepti nomine ipſi præſtitit. *l. ſi pignore. 22. in principio. ſup. de pignor. actio.* Simile exemplum extat *in l. 3. §. etſi ſub conditione. ſup. de tabul. exhib.* ubi legatarius æſtimationem legati, quam ab herede † teſtamentum 5 6

non exhibente evicit, refundere non tenetur. licet deficiat conditio, ſub qua legatum relictum fuerat.

7. Etſi autem † à quibuſdam in dubium vocatur, utrum in foro conſcientiæ regulæ huic locus ſit: rectius tamen hi ſentiunt, qui illud affirmant. Nuſquam enim jure divino cautum eſt, pœnam commiſſam non deberi: tantum abeſt ut exacta repeti poſſit: Id quod præter alios Johannes Ferrarius etiam hoc loco eruditè tam ex Pontificio, quàm civili jure demonſtrat.

L. 47.

Ulpianus libro 30. ad Edictum.

¶ *Conſilii non fraudulenti nulla obligatio eſt: cæterùm ſi dolus & calliditas interceſſit, de dolo actio competit.*

Summaria.

1 *Conſultor ex conſilio bona fide dato non obligatur.*

2 *Conſilium an profuturum ſit, explorandum eſt ei, cui conſilium datur.*

3 *Conſultor actione mandati tenetur tum, quando conſilio ipſius quid factum eſt, quod niſi conſilium dediſſet, factum non fuiſſet.*

4 *Conſilium fraudulentum conſultorem obligat.*

5 *Creditoris fraudandi gratia qui debitorem inopem ſolvendo eſſe affirmavit, actione de dolo conveniri poteſt.*

6 Actionē

6 *Actioni de dolo quando locus ſit?*
7 *Hereditatem qui hoc prætextu ab herede emit, quòd minima ſit, actione venditi conveniri poteſt.*
8 *Actione furti tenetur is, cujus conſilio furtum factum eſt.*
9 *Actione injuriarum obſtringitur is, cujus conſilio injuria alteri facta eſt.*
10 *Conſilium homicidæ datum facit, ut conſultor ordinaria l. Corneliæ de ſicariis pœna æquè plectatur, atq; ipſe homicida.*
11 *Conſilium delinquenti datum non punitur, niſi delictum ſecutum ſit.*
12 *Intellectus l. ſæpe. 53. in fine. ff. de verb. ſignif.*
13 *Conſultor de conſilio fraudulento tenetur, etiamſi is, qui deliquit, etiam ſine ipſius conſilio delictum commiſſurus fuiſſet.*

COnſilium ſyncerè bonaque fide alteri datum, † conſultorem non obligat: cùm cuique liberum ſit apud ſe explorare † an conſilium datum ſibi expediat, veluti loquitur Gajus *in fine l. 2. ſup. mandat.* Verùm eatenus hoc obtinet, quatenus conſilium ei datum non fuit, qui aliàs niſi conſilium interveniſſet, facturus † illud non fuiſſet: quoniam hoc caſu conſultor tenebitur actione mandati, quemadmodum *§. tua tantùm. Inſtit. eod.* ſatis evincit. Ex quibus omnibus hoc quoque conſequitur, conſilium † fraudulentum conſultorem obligare in tan-

1 2 3 4

 tum,

tum, ut etiam actio de dolo adverſus ipſum intentari poſſit, textus *hic & in l. quod venditor. 37. ſup. de dol. mal.* Exemplum hujus extat *in l. quod ſi. 8. ſup. eod.* ubi Gajus actionem de dolo adver-
5 ſus eum dandam eſſe ſcribit, qui † creditoris decipiendi gratia idoneum debitorem eum eſſe affirmavit, quem facultatibus labi ſcivit.

6 Cæterùm actioni de dolo ita † demum locus eſt, ſi alia actio competere non poſſit. Nam qui
7 affirmavit minimam eſſe † hereditatem, eamq; ita ab herede emit, non de dolo, ſed venditi actione tenetur, teſte Ulpiano *in principio l. ſi quis*
8 *affirmavit. 9. ſup. eod.* ſic is, cujus † conſilio furtum factum eſt, non de dolo, ſed furti actione conveniendus eſt. *l. ſi quis uxori 52. §. cum Titio. ſup. de*
9 *furt.* Quemadmodum † & injuriarum actione tenetur is, cujus conſilio alteri injuria facta eſt, veluti reſpondet Ulpianus *in l. non ſolum, 11. §. ſi*
10 *mandatu. ſup. de injur.* ſic & † crebrius obtinuit eum, qui conſilium ſaltem homicidæ dedit, æquè ac homicidam ordinaria l. Corneliæ de ſicariis pœna plectendum eſſe, *per l. 3. §. item is, cujus. ibi, item qui author. ſup. ad l. Cornel. de ſicar.* Neque. n. quicquam intereſt, occidat quis, an cauſam mortis præbeat, *l. nihil intereſt. 15. in pr. ſup. eod.* atque ita ſentit etiam Menochius *lib. 2. de arbitr. judic. quæſtion. caſ. 351. n. 17.* Quod tamen ita
11 demum obtinet, ſi conſilium † effectum habuerit, hoc eſt, ſi delictum ſubſecutum ſit: cùm ex effectu iſto appareat, conſilium illud fraudu-

lentum

lentum fuiſſe, † per l. ſæpe. 53. in fine. ſup. de verb. ſi- 12
gnif. Atque ex hac l. interpretandus eſt §. inter-
dum quoque. circa finem. de ejuſmodi conſilio, ex
quo furtum ſecutum non eſt. Ac licet plerique
hoc ad eum duntaxat conſultorem reſtringant,
ſine cujus cõſilio is qui deliquit, aliàs delictum
commiſſurus non fuiſſet, ſicuti refert Accur-
ſius *in d. §. ſi mandatu. ad verb. nolenti.* Rectius ta-
men ſentiunt hi, qui indiſtinctè † conſultorem 13
hujuſmodi teneri ajunt, quando conſilium ma-
lignum dedit, ex quo delictum patratum eſt: Id
enim conſtitutio Imp. Juſtiniani *in l. ſi quis ſervo.*
20. C. de furt. luculenter confirmat.

Ad §. I.

¶ *Socii mei ſocius, meus ſocius non eſt.*

SUMMARIA.

1. *Societas conſenſu contrahitur.*
2. *Socii mei ſocius, meus ſocius non eſt.*
3. *Fidejuſſor mei fidejuſſoris fidejuſſor meus non eſt.*
4. *Vaſallus mei vaſalli ſervitia mihi præſtare non compellitur.*

CUm ſocietas, ut † refert Ulpianus *in l. qui* 1
admittitur. 19. ſup. pro ſoc. conſenſu contraha-
tur: ſocius mihi eſſe non poteſt, quem ego ſo-
cium eſſe nolui. Itaque is, quem ſocius † meus 2
in ſocietatem admiſit, illi ſoli ſocius eſt, non
mihi, *l. nam ſocii. 20. ſup. eod.* Unde & Alexander

in l. ſi ſervum 91. §. nunc videamus. ſup. de verb. oblig. in-
3 fert, fidejuſſorem † mei fidejuſſoris fidejuſſo-
rem meum non eſſe. Quemadmodum nec va-
4 ſallus † mei vaſalli vaſallus meus dicitur, atque
iccirco nec ad ſervitia mihi præſtanda compel-
li poteſt, quemadmodum Decius *hîc n. 1.* teſta-
tur.

L. 48.

Paulus libro 35. ad Edictum.

¶ *Quicquid calore iracundiæ vel fit, vel dicitur, non prius ratum eſt, quàm ſi ex perſeverantia apparuit judicium animi fuiſſe. Ideoq; brevi reverſa uxor nec divortiſſe videtur.*

Summaria.

1 *Iratus inſano comparatur.*

2 *Irati dictum factúmve ratum prius non eſt, quàm ſi conſultò illud dictum factúmve fuiſſe apparuerit.*

3 *Mulier divortiſſe non dicitur, quando calore iracundiæ à marito paululum diſceſſit.*

4 *Exheredatus non dicitur, quem parens calore iracundiæ à ſucceſſione ſua excluſit.*

5 *Iracundiæ calor delinquentem non excuſat.*

6 *Delictum calore iracundiæ juſto dolore excuſſæ admiſſum mitiorem pœnam meretur, ſi in continenti, dum videlicet ira adhuc fervet, admiſſum ſit.*

7 Ira-

7 *Iracundia levi aliqua de cauſa mota nullam prorſus excuſationem meretur, quamvis iratus in continenti deliquerit.*

8 *Iracundiæ calor delicti commiſſi pœnam non minuit, ſi poſtquàm bilis mota eſt, intervallum aliquod interceſſerit.*

QUæ ab irato dicta vel facta ſunt, perinde haberi debent, ac ſi ab † inſano profecta 1
ſint. Ira enim, ut Horatius *lib. 1. epiſt.* ad Lollium ſcribit, furor brevis eſt. Et inſanimus omnes, cùm iraſcimur, ait Stobęus *in ſermone ſuo 18*. Proinde dictum vel factum irati † non prius ratum 2
eſt, quàm ſi ex perſeverantia apparuerit judicium animi fuiſſe, hoc eſt, conſultò illud dictum factúmve fuiſſe. Cujus exemplum Paulus *hîc & in l. 3. ſup. de divort.* ponit in uxore, quæ † divor- 3
tiſſe non videtur, quando calore iracundiæ à marito diſceſſit, & tamen brevi reverſa eſt. Sic & ex *l. ſi filiam. 19. C. de inoff. teſtam.* ſatis conſtat, exheredationem † filiæ nullam eſſe, ſi pater 4
inconſulto calore eam à ſucceſſione ſua excluſerit.

Cæterùm Regulæ huic locus non eſt in delictis: neque enim † calor iracundiæ delinquen- 5
tem excuſat, veluti patet *ex l. ſi non convicii. 5. C. de injur. & l. lex* Julia. *7. §. ult. ſup. de l.* Jul. *repetund.* quamvis jura iſtius iracundiæ, quam † juſtus 6
dolor excuſſit, rationem aliquam habeant, ita nimirum, ut mitiori pœna plecti velint eum,

qui ejuſmodi iracundiæ calore homicidium, vel aliud delictum admiſit, *per l. ſi adulterium 38. §. Imperator. ſup. ad l. Jul. de adult.* Eſt autem quod delictum ejuſmodi in continenti admiſſum ſit, dum videlicet ira adhuc fervet. Iracundiam ergo ad hoc, ut mitiorem pœnam mereatur, juſto
7 dolore excuſſam eſſe oportet: † quoniam is, cui bilis leviori aliqua ex cauſa mota eſt, ordinariam homicidii pœnam non effugit, etiamſi in continenti, ira adhuc ferveſcēte cædem feciſſet, quēadmodum colligitur ex art. 37. criminalis ordinationis Carolinæ, ibi, der ein todtſchlag auß gähheit vnd zorn gethan / &c. Idque idem obti-
8 net, † ſi pòſt quàm bilis ſive ira mota ſit, intervallum aliquod interceſſerit, nam & tum delinquens magis ex propoſito, quàm calore iracundiæ deliquiſſe videtur; veluti eleganter hoc declarat Teſſaurus *in deciſ. 178. n. 6.* Eidemque materiæ plurimum lucis adferent ea, quæ Julius Clarus *in §. ult. quæſt. 60. n. 9. libri 5. ſentent.* Menochius *de arbitr. judic. quæſtion. caſ. 319. n. 33. & 35. item caſ. 361. n. 8.* & And. Geil. *obſ. 110. n. 35. & duob. ſeqq. lib. 2.* ſcribunt.

L. 49.

Ulpianus libro 35. ad Edictum.

¶ *Alterius circumventio alii non præbet actionē.*

Summaria.

1 *Circumventio dici poteſt tam de eo, qui decipitur, quàm de illo, qui decipit.*

2 Cir-

2 *Circumventionis vocabulum quomodo in l. alterius 49. ff. h. t. acipi debeat?*

3 *Circumventionis nomine experiri non poteſt, qui circumventus non eſt.*

4 *Significatio verborum propria in jure potiſſimum attendi debet.*

5 *Circumventio propriè intelligitur de eo, qui alium circumvenit.*

6 *Conditionem ſuam nemo ex alterius delicto meliorem facit.*

7 *Alieno nomine facere quis illud non poteſt, quod ſuo nomine facere nequit.*

8 *Dominus ex eo, quod ſervus dolo malo acquiſivit, actionem non habet.*

9 *Socius doli mali exceptione ſubmovetur, ſi agere velit de eo, quod ſocius ex maleficio acquiſivit.*

10 *Pupillus agere non poteſt ex contractu, quem tutor ipſius doloſè iniit.*

CIrcumventio bifariam intelligi poteſt & activè de illo, qui alium circumvenit, & paſſivè † de eo, qui ab alio circumventus eſt. U- 1
ter intellectus hîc locum habeat, ab antiquis † etiam interpretibus diſceptatum fuit. Nam 2
Johannes, cui Cujacius quoque hoc loco aſſentitur, circumventionem paſſivè accipit, atque regulæ hujus ſenſum hunc eſſe contendit: circumventionem † ei demum præbere actio- 3
nem, qui circumventus eſt: quod altero circumvento, alter qui circumventus non eſt, actionem

onem non habeat, argumento *l. cum mancipium 51. §. 1. ſup. de ædil. edict.*

Verùm Bulgarus circumventionem activè hìc accipit, atque regulam hanc nihil aliud ſibi velle ſtatuit, quàm quòd circumventio alterius facere non poſſit, ut alter actionem inde habeat. Atque hæc Bulgari interpretatio pleriſq; in-
4 terpretibus magis arridet: tum quòd in † propria ſignificatione (à qua recedi jura non aliter volunt, quàm cùm ſenſus alius manifeſtus eſt, per principium *l. non aliter. 69. ſup. de legat. 3.*) Cir-
5 cumventio † intelligitur de eo, qui alium circumvenit: ſicuti & teſtamenti factio de illo, qui teſtamentum facit: tum verò quòd nemo ex al-
6 terius delicto † conditionem ſuam meliorem facere poteſt, *per l. ſed & ex dolo 15. §. pen. ſup. de dol. mal.* proindeq; nec alter ex alterius circumventione ſive dolo actionem conſequitur: cùm
7 quòd alicui ſuo nomine † non licet, nec alieno liceat. *c. quod alicui. 67. de regul. jur. in 6.* Aliâs quivis per alium dolos ſtrueret, ut eodem modo actionem ſibi quærere liceret. Unde quod ſervus
8 † dolo malo acquiſivit, ex eo dominus actionem non habet, *argumento l. quod ſervus. 24. ſup. de*
9 *acq. vel amitt. poſſ.* Neque ſocius † experiri poteſt de eo, quod ex furto, vel alio maleficio ſocius quæſivit. *l. quod autem. 53. ſup. pro ſoc.* Eandemq; ob
10 cauſam † pupillus doli mali exceptione ſubmovetur, ſi agere velit ex contractu, quem tutor in rem ipſius doloſè iniit. *l. 4. §. illa etiam quæſtio. ſup. de dol. mal. & met. except.*

L. 50.

Paulus libro 39. ad Edictum.

§ *Culpa caret, qui ſcit, ſed prohibere non poteſt.*

SUMMARIA.

1 *L. nullum crimen. 109. ff. h. t. bifariam legitur.*

2 *Conductor non tenetur de iſto damno, quod avertere non potuit.*

3 *Filiusfam. infamia non notatur, quando juſſu patris duxit uxorem, quæ prioris mariti obitum necdum eluxit.*

4 *Filiusfam. patri aliquando contradicere poteſt.*

5 *Veniam meretur, qui voluntati patris obtemperavit.*

6 *Lectio l. nullum crimen. 109. ff. h. t. quæ in Florentinis exemplaribus reperitur, ex ipſa inſcriptione defendi poteſt.*

7 *Culpa non caret, qui ſcit & prohibere poteſt, nec tamen prohibet.*

8 *Dominus ex delicto ſervi quando in ſolidum teneatur.*

9 *Parricidii pœna illis quoque irrogatur, qui conſcii parricidii fuerunt, nec magiſtratui illud indicârunt.*

10 *Defenſionem ejus, qui in periculo vitæ conſtitutus eſt, an ſuſcipere quis teneatur?*

11 *Pecuniam accipere quis ab alio poteſt in hunc finem, ut ipſum adverſum vim hoſtium tueatur.*

12 Pe-

12 *Pecunia an turpiter defenſionis gratia accipiatur eo caſu, quando gratuitò quis defendendus eſt?*

13 *Malum qui avertere poteſt, nec avertit, tam eſt in culpa, quàm is, qui malum creat.*

14 *Proximum de vita periclitantem quivis de jure Canonico defendere tenetur.*

15 *Defendendum eſſe eum, cujus vita eſt in periculo, ex jure civili æquè atq; ex Canonico jure demonſtrari poteſt.*

16 *Defendere proximum eatenus quis tenetur, quatenus commodè ſine vitæ ſuæ periculo id facere poteſt.*

17 *L. omne delictum 6. §. pen. ff. de re militar. an de extraneis quoq;, quorum vita in periculum vocatur, exaudiri debeat?*

18 *Cognationem inter homines vel natura conſtituit.*

19 *Hominis intereſt hominem beneficio affici.*

20 *Proximum quivis diliget ſicut ſe ipſum.*

21 *Cædes, quam Moſes in viro AEgyptio fecit, an licita fuerit.*

22 *Defenſionis opera locari poteſt.*

1 CUm hac l. congruit † *l. nullum crimen 109. inf. h. t.* ſi, ut in pleriſq; fit exemplaribus, illa negativè legatur, ita videlicet, nullum crimen patitur is, qui non prohibet, cùm prohibere non poteſt. Cujus egregium exemplum extat *in l. item quæritur 13. §. exercitu. ſup. locat.* ubi condu-
2 ctor † ex locato non tenetur, quando milites tranſeuntes feneſtras cæteraq; è domo conducta ſuſtulerunt. Quod

Quod ſi verò juxta Florentinam lectionem negatio poſterior *in d.l.nullum crimen.* omittatur, tum exemplum ejus ſumi poteſt *ex l. liberorum. 11.§.ult.ſup.de his qui not.infam.* ubi † filiusfam.juſſu patris ducens eam, quæ obitum mariti necdum eluxit, ab infamia excuſatur. Licet enim diſſentire † à patre potuiſſet, *per l.filiofam. 13. ſup. de ſponſal.* tamen quia patris voluntati obtemperavit, † veniâ dignus eſt. Atque ad hunc ipſum caſum regulam † *d. l. nullum crimen.* à Paulo accommodatam fuiſſe teſtatur inſcriptio *d. l. filiofam. & l.qui juſſu.12.ſup.de his qui not.infam.* Utraq; enim perinde ut *d.l.nullum crimen.* ex Pauli libro 5.ad Edictum deſumpta eſt. Cæterùm quod ad hanc præſentem l.attinet, ex ſenſu ejus contrario hęc ſtatuitur regula: † *Culpa non caret, qui ſcit & prohibere poteſt, nec tamen prohibet.* Hujus inſigne exemplum proponitur *in l.2.ſup.de noxal. action.* ubi † dominus, quo ſciente, nec prohibente ſervus cædem fecit, in ſolidum tenetur, nec poteſtatem noxæ dedendi ſervum habet: quòd hoc caſu dominus ipſe cædem feciſſe videatur. Eandemq; ob cauſam Ulpianus eos, qui † parricidii fuerunt conſcii, licet extranei ſint, eadem tamen, qua parricidas, pœna vult affici, *in l.utrum qui.6. ſup.de l. Pomp. de parricid.* quoniam immane illud facinus evitari potuiſſet, ſi ad magiſtratum illud extranei iſti detuliſſent.

Hàc occaſione quærunt interpretes, utrum † quis alium in periculo vitæ conſtitutum de-

fendere

fendere, ſi poſſit, teneatur ? Bartolus hoc negat argumento *l. metum. 9. §. 1. verſ. ſed licet. ſup. quod met. cauſ. geſt. er.* Ex eo enim, quod Ulpianus ibidem ex Pomponio refert, licere cuipiam ab a-
11 lio pecuniam accipere † in hunc finem, ut ipſum adverſus vim & agreſſuram hoſtium tueatur, Bartolus infert gratuitò & ex officio neminem ad alterius defenſionem obligatum eſ-
12 ſe, quaſi turpiter † aliâs pecunia iſta acciperetur, *per l. pen. ſup. de condict. ob turp. cauſ.* Bartolo inter alios adſtipulatur Jul. Clarus *lib. 5. ſentent. §. ult. quæſt. 87. n. 3.* ubi aſſertionem Hieronymi Cagnoli *in eâdem hac lege n. 10.* dicentis ſibi concluſionem iſtam, quòd videlicet de jure civili quis
13 teneatur de delicto, cui † cùm poſſet, non obviavit, veriorem videri, veram non credit: quòd Doctores expreſsè contrarium dicant, à quorum opinione communi recedendum non ſit. Verùm Baldus hanc Bartoli ſententiam uſque adeò improbat, ut eum propterea in inferno cruciari ſcripſerit. Atque huic ſuffragatur Philip. Decius *hîc n. 13.* ubi ait, etiam de jure civili quem teneri proximum defendere, quòd contrarium nuſquam cautum ſit. Idem ſentiunt Franciſcus Vivius *lib. 1. commun. opin. in verbo, Defendere offenſum. n. 3.* Ant. Gomezius *tom. 3. variar. reſolut. cap. 2. n. 9.* & Didac. Covarruvias *in c. peccatum. 4. part. 2. §. 3. n. 4. de regul. jur. & in Clem. ſi furioſus. part. 3. § un. n. 5. de homicid.* ubi pro eadẽ hac ſententia allegat *l. devotum. 5. C. de metat. & epidemet.*

ac l.

ac l.1.§.pen.ſup.ad l.Cornel.de ſicar. Eandemq́ue ju-
re Canonico receptam eſſe ſatis oſtendit *c.ſicut
dignum 6.§ illi etiam. extr. de homicid.* ubi Pontifex
Alexander ejus nominis tertius, eum, qui po-
tuit † hominem liberare à morte, nec libera- 14
vit, non ſecus habet, ac ſi ipſe illum occidiſſet:
cui conſentit *c.qui poteſt.23.q.3. ac c.delicto 6.§. ult.
ext. de ſentent. excommun. in 6.* Et ſanè ego ipſe in
eam inclino ſententiam, quòd non Canonico
ſolùm, ſed civili quoque jure alter alterum † de 15
vita periclitantem defendere teneatur, ſed ea-
tenus, † quatenus ſine propriæ ſuæ vitæ pericu- 16
lo defendere ipſum poteſt: Etenim præter re-
gulam ex contrario hujus l. ſenſu modò dedu-
ctam, adeoq́ue præter binos iſtos textus, quos
Didacus Covarruvias ex jure civili notat, ad
confirmationem hujus ſententiæ apprimè et-
iam faciunt *l.1.§.occiſorum. ſup.de SCto Silanian. &
l.omne delictum. 6. §. pen. ſup. de re militar.* Ac licet
† textus hi de ſervis ac ſubditis ſolummodò lo- 17
quantur, hocq́; ſibi velint, puniendos eſſe mi-
niſtros, qui auxilium domino non tulerunt,
cùm opem ipſi adverſus vim ferre potuiſſent:
mihi tamen dubium eſt nullum, quin ob co-
gnationem iſtam, quam † natura, ut refert Flo- 18
rentinus *in l, 3. ſup. de juſtit. & jur.* inter omnes
homines conſtituit, idem ad extraneos verè ex-
tendi & poſſit & debeat, tum videlicet, quando
illis tutò ſatis ſubveniri poteſt: præſertim cùm
cujuſvis † hominis interſit, hominem benefi- 19

cio affici, velati tradit Papinianus *in fine l. ſervus 7. ſup. de ſerv. exportand.* Quin ipſe Deus ab uno-
20 quoq; hoc exigit, ut proximum † ſuum ſicut ſe-
ipſum diligat. Nec parum lucis huic ſententiæ adfert exemplum Moſis, quem plagæ, quas vir Ægyptius homini Ebræo injecerat, ita affeciſſe leguntur *in cap. 2. verſ. 12. Exodi*, ut etiam cum vitæ ſuæ periculo Ægyptium iſtum interimere
21 non ſit veritus: Cujuſmodi facinus † tantum
abeſt ut in Moſe improbatum fuerit, ut ex eo tempore etiam ipſius miniſterio Deus in Ebræis ex Ægypto educendis ac gubernandis mirificè uſus ſit. Neque cum his pugnat ratio Bartoli in contrarium *ex d. verſ. ſed licet.* ſuperius adducta: quoniam locus illi eſt, quando quis alte-
22 ri † operam defenſionis ad dies vitæ vel ad tem-
pus certum locat: quod abſque turpitudine vel privato homini permiſſum eſſe *ex d. verſ. ſed licet.* concludit Hieronymus Panſemamnus in egregio ſuo reſponſo ſenatui Lipſenſi dato *quæſt. 1. n. 11.* At verò præſens quæſtio reſpicit ejuſmodi caſum, quando quis fortuitò incidit in hominem, cujus vitæ ſalus periclitatur, hunc qui non juvat, cùm juvare poteſt, tam eſt in culpa, quàm eſt is, qui homini iſti vim facit.

L. 51.

Gajus libro decimo quinto ad Edictum provinciale.

¶ Non

¶ *Non videtur quiſquam id capere, quod ei neceſſe eſt alii reſtituere.*

Hæc l. convenit cum *l. non videtur. 13. ſup. h. t.* & ſub eadem quoq; explicata fuit.

L. 52.

Ulpianus libro 44. ad Edictum.

¶ *Non defendere videtur non tantùm qui latitat, ſed & is, qui præſens negat ſe defendere, aut non vult ſuſcipere actionem.*

Summaria.

1 *Contumax in jure quis dicatur?*

2 *Fraudationis cauſa qui latitat, defendere ſeſe non videtur.*

3 *Judici qui non paret, aut ritè reſpondet, is defendere ſeſe non intelligitur.*

4 *Defendere ſe non dicitur, qui in defenſione ſuſcepta non perſeverat.*

5 *Satiſdare de judicato ſolvendo qui detrectat, is defenſionem ſui negligere dicitur.*

7 *Contumaces qua pœna in judicio afficiantur.*

IN jure contumax † dicitur ille, qui ſeſe in judicio non defendit. Defendere autem ſeſe 1
non videtur, qui vel † fraudationis cauſa latitat, 2
l. Fulcinius 7. §. quid ſit autem. & ſeq. ſup. quib. ex cauſ. in poſſ. eat. vel præſens † negat ſe id facturum, 3
aut etiam interrogatus à judice omnino non

V 2 reſpon-

reſpondet, *l. de ætate. 11. §. qui tacuit. ſup. de interrog. in jur. faciend.* vel qui actionem ſuſcipere, hoc eſt,
4 in † ſuſcepta defenſione perſeverare, aut de ju-
5 dicato ſolvendo † ſatiſdare detrectat. *l. rectè defendi. 63. ſup. de judic. & l. 2. in fin. ſup. quibus ex cauſ.*
6 *in poſſ. eat.* Cæterùm pœna, qua † contumaces plectuntur, hæc eſt, ut in eos non ſecus ac ſi præſentes eſſent, ſententia feratur, ut in expenſas omnes in lite factas condemnentur, adeóque bona ipſorum à creditoribus diſtrahantur. *l. conſentaneum. 8. juncta Auth. qui ſemel. C. quomod. & quand. jud. ſentent. prof. deb.*

L. 53.

Paulus libro 42. ad Edictum.

§ *Cujus per errorem dati repetitio eſt, ejus conſulto dati donatio eſt.*

Summaria.

1 *Indebitum quando condici poſſit?*

2 *Sciens qui indebitum ſolvit, ſolutum repetere non poteſt.*

3 *Indebitum quodnám jura vocent.*

4 *Indebitū jure naturali eſt, quando quis ſpe futuræ numerationis fatetur ſe debere, quod non accepit.*

5 *Indebitum jure civili eſt, quando jura ſolvi nolunt id quod acceptum eſt.*

6 *Heres legata ultra modum l. falcidiæ præſtare non tenetur.*

7 Ex-

7 *Exceptio perpetua facit, ut jure civili indebitum cenſeatur illud, quod naturaliter debetur.*

8 *Pecunia à filiofam. mutuò accepta civiliter non debetur.*

9 *Error facti facit, ut repeti poſſit id, quod indebitè ſolutum eſt.*

10 *Error juris repetitioni locum non facit.*

11 *Satiſdatio indebitò præſtita condici poteſt.*

12 *Error juris ſuum petentibus non nocet.*

13 *Meum non eſt, quod errore juris indebitò ſolvi.*

14 *Error juris non amiſſæ, ſed amittendæ rei damnum ſublevat.*

15 *Indebitum qui ſciens ſolvit, ſolutum donaſſe intelligitur.*

16 *Donare in dubio nemo præſumitur.*

17 *Uſuræ indebitò ſolutæ cur ſorte ſoluta repeti poſſint?*

18 *Minus, quàm ſibi debetur, in judicio qui petit, reſiduum donaſſe non intelligitur.*

19 *Intellectus l. interdum. 56. §. ult. ff. de furt.*

20 *Indebitum qui ſciens conſtituit, an donare intelligatur.*

21 *Actus in dubio ita declarari debet, ut potius valeat, quàm pereat.*

22 *Solutio æquè ac conſtitutum debitum præſupponit.*

23 *Donationem Imp. Juſtinianus etiam ex nudo pacto valere voluit.*

INdebitum † ita demum condici poteſt, ſi per errorem ſolutum fuerit. Nam qui ſolvit id. 1

2 quod ſe non † debere novit, is donaſſe intelligitur, ac proinde repetere illud non poteſt, *textus hîc & in l. 1. ſup. de condict. indeb.* Indebitum
3 † appello non hoc ſolùm, quod nullo jure, nec naturali, nec civili debetur: ſed illud quoque, quod jure vel naturali tantùm, vel civili tantùm
4 non debetur. Exemplum ejus, quod † jure naturali duntaxat indebitum eſt, proponitur in chirographo, quo ſpe futuræ numerationis quis confeſſus eſt ſe debere, quod non accepit, hoc enim non naturaliter, quia numeratum non eſt, ſed ſaltem civiliter debetur, ita quidem ut ſi intra biennium exceptione non numeratæ pecuniæ excluſum non fuerit, obligatio efficax inde naſcatur. *§. 1. Inſtit. de liter. oblig.*

5 Jure civili duntaxat † indebitum eſt, quod naturaliter quidem debetur, ſed jure civili ab
6 obligatione exemptum eſt. Sic heres † naturaliter quidem debet ſolida legata, ſed jure civili ultra modum d. l. Falcidiæ præſtare illa non tenetur. *§. quantitas. Inſtit. de l. Falcid.* Atq; ad hujuſmodi indebitum refero quoq; illud, quod ope
7 † exceptionis perpetuæ indebitum eſt. Cujus exemplum eſt in filiofam. is enim, ſi mutuam
8 † pecuniam accipiat, naturaliter quidem creditori illam debet, ſed non civiliter, propter exceptionem SCti Macedoniani, qua creditorem ſubmovere poteſt. *l. 1. & tot. tit. de SCto Macedon.*

Hujuſmodi ergo indebitum repeti poteſt,

ſi †

ſi † per errorem ſolutum ſit. Errorem intelligo 9
illum, qui facti dicitur. Nam error juris † repe- 10
titioni locum non facit, *per l.pen.ſup.de jur.& fact. ignor.l.cum quis.10.C.eod.l.ſi per ignorantiam.16.cum l.ſeq.ſup. de condict. indebit.* Neque obſtat huic *l.1. in princ. ſup.ut in poſſ. legat. ſervand. cauſ.eſſe lic.* ubi heres ſatiſdationem † indebitò præſtitam 11
condicere poteſt, etiamſi errore juris eam præſtiterit: quoniam benignè id receptum eſt favore tam liberationis quàm ultimæ voluntatis teſtatoris, qui ſatiſdationem ipſi remiſerat. Verùm magis adverſari videtur Papinianus *in l. juris ignorantia.7,& ſeq ſup,de jur,& fact.ignor.* ubi ait, errorem juris † ſuum petentibus non nocere: 12
item in damnis amittendæ rei ſuæ errorem juris non obeſſe. Donellus *in cap,21. lib.1. comm,de jur.civil.* reſpondet, eum, qui indebitum errore † juris ab ſe ſolutum repetere velit, ſuum non 13
petere, ſed id petere, quod jam alterius per traditionem fecit, ſicq; ſuum habere deſiit. *§.per traditionem. Inſtit. de rer. diviſ.* Ex quo cùm damnum † rei amittendæ hîc non verſetur, ſed 14
damnum ejus rei, quæ jam amiſſa eſt; ſatis evincatur juris errorem hoc caſu non prodeſſe, atque hinc indebitum errore juris ſolutum condici non poſſe.

Cæterùm qui ſciens prudensq; indebitum † ſolvit, ita demum donandi animo illud dediſſe intelligitur, ſi nulla conjectura extet, ex qua alius, quàm donandi animus colligi poſſit: cùm 15

16 in dubio donare ſuumq́ue jactare † nemo præſumatur. *per l.cùm de indebito.25.in pr.ſup.de probat.* Quæ cauſa eſt quòd debitor, qui ſciens uſuras
17 indebitas ſolvit, ſorte † ſoluta repetere illas poſſit: cùm in hunc finem illas ſolviſſe præſumatur, ne importunius creditor ſolutionem urgeret, *argumento l.ſi non ſortem.26.ſup.de condict. indeb.* Atque ex eodem fundamento Accurſius *in §.ſi minus.ad verb.intentione. Inſtit.de action.* con-
18 cludit eum, qui † minus quàm ſibi revera debetur, in judicio petit, reſiduum donaſſe non videri, verùm ſine periculo reſiduum in eodem judicio petere poſſe, etiamſi conſultò primùm minus petiiſſet: nihil quippe hoc caſu per ſolutionem in Reum tranſlatum eſt, quod animum
19 donandi arguere queat. Idq́ue Julianum † *in l. interdum.56.§.ult.ſup.de furt.* ſibi velle extra dubium eſt.

Denique quæri hoc loco & illud ſolet, an is,
20 qui † ſciens prudensq́ue indebitum conſtituit, donare intelligatur? Zaſius *in §.de conſtituta.n.12.Inſt.de action.* hoc negat: ſed malè, quia hac ratione, ſi nimirum conſtitutum hujuſmodi, quod ut conſtitutum valere nequit, nec tanquam donatio valeret, actus iſte prorſus periret, contra quàm ſtatutum eſt *in l.ubi eſt 21.ſup.de*
21 *reb.dub.* quæ quemlibet † actum ita in dubio declarari vult, ut is potius valeat, quàm pereat.
22 Quò accedit, quòd ſolutio † non minus quàm conſtitutum debitum præſupponit: cùm igitur

tur indebitum ſcienter ſolutum pro donato habeatur: nihil prohibet, quò minus & indebitum ſcienter conſtitutum † donationem ſapiat, jure novo præſertim, quo donatio etiam ex pacto nudo valet, ſicut videre eſt *ex l. ſi quis argentum. 35. §. ult. C. de donat.* 23

L. 54.

Ulpianus libro 46. ad Edictum.

¶ *Nemo plus juris ad alium transferre poteſt, quàm ipſe habet.*

Summaria.

1 *Dare alteri quis non poteſt, quod non habet.*

2 *Traditio amplius in accipientem non transfert, quàm tradens habuit.*

3 *Heres plus commodi à teſtatore non accipit, quàm teſtator ipſe habuit.*

4 *Legatarius in re legata plus juris non habet, quàm teſtator, ſi viveret, habere poſſit.*

5 *Succeſſor melioris conditionis non eſt, quàm ipſius autor fuit.*

6 *Succeſſor qualiſcunque eodem jure utitur, quo uteretur ipſius autor, ſi viveret.*

7 *Fundus cum ſuis ſervitutibus transfertur.*

8 *Intellectus l. non eſt novum. 46. ff. de acquir. rer. domin.*

9 *Creditor vendens pignus dominium illius in emptorem transfert, quod ipſe non habuit.*

10 *Alienatum voluntate domini perinde habetur ac ſi ab ipſo domino alienatum fuiſſet.*

11 *Filiusfam. pecuniam peculiarem mutuo dare poteſt.*

12 *Patris conceſſione filiusfam. peculium habet.*

13 *Intellectus l. interdum. 21. in pr. ff. de acquir. vel amitt. poſſ.*

14 *Intellectus l. quod noſtrum. 63. ff. de uſufruct.*

15 *Uſumfructum quomodo cedere poſſit, qui uſumfructum non habet.*

16 *Res ſua nemini ſervit.*

17 *Intellectus l. interdum. 19. in pr. ff. de minor. 25. ann.*

18 *Heredi ad petendam reſtitutionem in integrum plus temporis aliquando tribuitur; quàm ipſe defunctus habuiſſet.*

19 *Succeſſori nocet id, quod autori nocuit.*

20 *Exceptio rei judicatæ quemvis ejus rei nomine, quæ in judicio evicta eſt, agere volentem excludit.*

21 *Autori quod non nocuit, nec ſucceſſori ipſius nocebit.*

22 *L. invitus. 156. §. cum quis. ff. h. t. quomodo legi debeat?*

23 *Succeſſor ſingularis in vitia ſui autoris non ſuccedit, ſi ſua ſaltem poſſeſſioni inſiſtat, eaq; ipſa poſſeſſio bona fide nitatur.*

24 *L. pen. C. de acquir. & retinend. poſſeſ. conciliatur cum l. an vitium. 5. ff. de diverſ. & tēpor. præſcript.*

25 *Vitia perſonæ inhærentia ſucceſſori non obſunt, ſicut vitia, quæ in re ſunt.*

26 Vi-

26 *Vitium, quod in re eſt, tantiſper poſſeſſori iſtius rei nocet, dum purgatum fuerit.*
27 *Intellectus l.pen.C.de acquir.& retinend.poſſeſſ.*
28 *Culpa non rei, ſed perſonæ vitium eſt.*

IN alienationibus, quæ tam inter vivos, quàm
per ultimas voluntates fieri ſolent, hoc tri-
tum ac regulare eſt, quòd plus alteri † quis da- 1
re non poſſit, quàm ipſe habet. Ad alienatio-
nes, quæ inter vivos fiunt, præſens hæc regula
ſpectat: cum qua convenit etiam *l.traditio. 20.in
princ. ſup. de acquir. rer. domin.* ubi Ulpianus ſimi-
liter ait, traditionem † nihil amplius transfer- 2
re debere vel poſſe ad eum, qui accipit, quàm
eſt apud eum, qui tradit. Idque toto jure civili
ita ſe habere, præterquam ſi quid nominatim
conſtitutum ſit, refert Pomponius *in l.alienatio.
67. ſup. de contrah.empt.* Idem in ultimis volunta-
tibus obtinere teſtatur *l.nemo. 120. inf. h. t.* ubi
Paulus ſcribit † neminem plus commodi ſuo 3
heredi relinquere, quàm ipſe habuit. Quam ob
cauſam quoque Ulpianus *in l. aliud eſt. 160. §. ult.
inf. h. t.* abſurdum eſſe ait, plus juris † habere 4
eum, cui legatus ſit fundus, quàm heredem,
aut ipſum teſtatorem, ſi viveret. Ipſa namque
natura hoc dictat, quòd non † debeam melio- 5
ris conditionis eſſe, quàm autor meus, à quo
jus in me tranſit, veluti refert Paulus *in l. in his
quæ. 175. §. 1. inf. h. t.* Unde idem *in principio l. qui in
jus. 177 inf. eod.* tradit eum, qui in jus dominiúm-

ve al-

ve alterius ſuccedit, jure ejus uti debere. Ergo
6 quivis ſucceſſor, † ſive ſingularis ſit, ſive univerſalis, in re, quam accipit, aliud jus non conſequitur, quàm autor ipſius habuit. Unde fundus,
7 ſi ſervus fuit, † cum ſervitutibus tranſit: & ſi fortè fundo ſervitutes debebantur, qui traditus eſt, cum jure ſervitutum debitarum transfertur, *d.l.traditio.§.1.*

Verùm pugnare cum his non pauca in jure noſtro videntur. Primùm namque è potiſſimis
8 objicitur † *l.non eſt novum.46.ſup.de acquir.rer. domin.* ubi Ulpianus refert novum non eſſe, ut qui dominium non habet, alii dominium præbeat.
9 Idq; exemplo creditoris confirmat, qui † vendendo pignus dominium in emptorem transfert, quod ipſe non habuit. *§ 1.Inſtit.quib.alien.lic. vel nõ.* Reſpondeo dominium hoc caſu transferri ex voluntate debitoris, qui in diſtractionem pignoris conſenſit, ſi conſtituto tempore pecunia credita non redderetur. *l. 4. ſup. de pign.act.*
10 Nihil autem in jure noſtro † intereſt, utrum ipſe dominus per ſe alienet, an voluntate ipſius alius, teſte Gajo *in l. qua ratione. 9. §. nihil autem. ſup. de acquir. rer. domin.* Quomodo filiusfam.
11 † numos peculiares alteri credere poteſt, quãvis ipſe dominus iſtorum numorum non ſit. *per l. filiusfam. 93. inf. h.t.* quia videlicet numos iſtos credendo alterius facit non ex ſe, verùm volun-
12 tate patris ſui, quippe † cujus conceſſione peculium habet, *l. quam Tuberonis. 7. §.1. ſup. de pecul.*

Dein-

Deinde † adverſatur *l. interdum 21. in pr. ſup. de acquir. vel amitt. poſſeſ.* ubi Javolenus ait, poſſe quempiam alii poſſeſſionem tradere, quam ipſe non habet: idque ibidem illuſtrat exemplo illius, qui cum uſucapione necdum completa intelligeret rem, quam pro herede poſſidebat, hereditariam non eſſe, eandem ab herede veri domini precario rogavit & accepit, quamvis heres poſſeſſionem iſtius rei nunquam apprehendiſſet. Reſpondeo id fieri fictione juris: ſiquidem jus eo caſu fingit illum, qui precario rem rogavit, verum heredem prius poſſeſſorem feciſſe, atque ab eodem in continenti poſſeſſionem recepiſſe, quemadmodum id eleganter Zaſius *ibidem n. 4.* declarat. 13

Tum opponi quoq; ſolet *l. quod noſtrum. 63. ſup. de uſufr.* ubi † is, qui fundum habet, dicitur 14
uſumfructum cedere poſſe, quamvis uſumfructum non habeat. Reſpondeo verba iſtius l. hunc habere ſenſum: Is qui dominus rei eſt, eamque pleno jure habet, † uſumfructum, qui 15
proprietati cohæret, ac ſervitus non eſt, à proprietate ſeparare, eumque ut ſervitutem alii cedere poteſt, quantumvis ipſe uſumfructum ut ſervitutem ea in re non habeat. Neque enim jus patitur, ut cuiquam † res ſua ſerviat, verùm 16
dominus re ſua non ſervitutis, ſed dominii jure utitur, teſte Ulpiano *in principio l. uti frui. 5. ſup ſi uſusfruct. pet.* Nihil ergo in caſu oppoſitæ l. transfertur, quod ſit alterius.

Deniq;

Denique cum prædictis pugnare videtur
17 † principium *l.interdum.19.ſup.de minor.25.ann.* ubi heres hoc ipſo, quòd ad petendam reſtitutionem in integrum prolixius tempus habet, non ejuſdem, ſed melioris conditionis eſſe cenſetur, quàm defunctus, cui ſucceſſit. Reſpondeo
18 heredi prolixius † tempus, quàm defunctus habuiſſet, non ſemper dari, ſed tum demum, quando uterque quidem, & heres & defunctus 25. annis minor eſt, ſed tamen heres eam ætatem, quam defunctus tempore mortis habuit, necdum ingreſſus eſt: veluti ſi quis anno ætatis ſuæ 22. diem ſuum obeat, atque heredem 10. annorum relinquat, hoc caſu heres ex conſtitutione Imp. Juſtiniani, quæ eſt *in l.ult.C.de tempor. in integ.reſtitut.* jure proprio ob ſuam ætatem petere reſtitutionem in integrum intra annos novem poteſt: cùm defuncto ad petitionem illius ultra ſeptennium indultum non fuiſſet. Extra hunc caſum heres jure hereditario utetur, proindeque plus temporis non habebit, quàm habuiſſet defunctus, ſi vivus eſſet: Id quod Ulpianus *in fine d.l.interdum.* ſatis oſtendit.

Cùm itaque ſucceſſor regulariter melioris conditionis eſſe non debeat, quàm fuit author,
19 cui ſucceſſit: conſequens eſt, ſucceſſori † quoq; nocere id, quod autori nocuit. *l. quod ipſis. 143. inf.h.t.* Unde is, qui per ſententiam judicis fun-
20 dum obtinuit, non ſolùm eum, quem † in judicio vicit, ſi denuò is agere velit, ſed eum quoq;

qui

qui victo ſuccedit, exceptione rei judicatæ ſubmovere poteſt. *l. ſi mater 11. §. item Julianus. & l. exceptio 28. ſup. de except. rei judicat.* Succeſſorem intelligo non tantùm ſingularem, cujus *d. l. quod ipſis.* ſaltem meminit: ſed etiam univerſalem. Nam & heredi obſtabit ea exceptio, quæ teſtatori defuncto obſtitit. *l. ſi rem legatam. 6. ſup. de except.* Quemadmodum & contrà æquum non eſt, ut ſucceſſori † noceat, quod adverſus eum 21
non nocuit, in cujus locum ille † ſucceſſit, *l. in-* 22
vitus. 156. §. cum quis. inf. h. t. Non nocuit inquam, quia illorum lectio mihi non probatur, qui negationem eò loci omittunt: cùm *l. 3. §. ſi quis ab autore. ſup. de itin. act. privat.* quæ ejuſdem Ulpiani eſt, & ex eodem *lib. 70.* ad edictum deſumpta, ſatis arguat, negationem verbo *Nocuit* addendam eſſe: quod ipſum quoque evincit particula *plerumq;*, quam Ulpianus *in §. pen. d. l. invitus.* apponit, quippe ex qua liquet fieri aliquando, ut ſucceſſori non noceat, quod autori nocuiſſet: id quod de ſucceſſore ſingulari intelligendum eſt. Hic enim in vitia † ſui autoris ita non ſucce- 23
dit, ſicut heres: *per l. 4. §. autoris. ſup. de dol. mal. & met. except. & l. cùm heres 11. ſup. de diverſ. & temp. præſcript.* Sanè vitia autoris ita demum ſucceſſori ſingulari nocent, ſi ipſius poſſeſſione vitioſa uti velit: quod ſi hoc nolit, verùm ſuæ ſaltem poſſeſſioni inſiſtat; vitia autoris ei non nocebunt, dummodo ipſe bona fide atque ex juſta cauſa poſſideat. *l. an vitium 5. ſup. de diverſ. & tempor. præ-*

ſcript.

ſcript. Idque tum maximè locum habet, quando ex cauſa oneroſa ſucceſſit. *d.l.4.§.ſi quis autem.*
24 Neque pugnat cum † his *l.pen.* C.*de acquir. & retinend. poſſeſſ.* ubi Impp. Arcadius & Honorius indiſtinctè ajunt, vitia poſſeſſionum à majoribus contracta perdurare, & ſucceſſorem ſui autoris culpam comitari: quoniam *d. l. an vitium.*
25 loquitur de illis † vitiis, quæ perſonę inhærent, ut quia mala fide, clàm fortè, vi, vel precario poſſidet rem, quæ aliâs uſucapi poterat. At verò oppoſita *l.pen.* teſte ibidem Accurſio, loquitur de vitiis, quæ in re ſunt, quale eſt furtum, violentia, atque omne di, per quod res per ſe uſucapi prohibetur. *§ furtivæ. Inſtit. de uſucap.* hujuſmodi vitia ſucceſſori æquè atque autori ipſius nocent: quantumvis eam rem bona fide & ex juſta cauſa poſſideat, & ſua tantùm, non auto-
26 ris poſſeſſione uti velit: cùm vitium, quod † in re eſt, quemvis ejus rei poſſeſſorem ſequatur, tantiſper dum purgatum fuerit. *l. ubi lex. 24. §.1. ſup. de uſucap.* Ac quamvis Donellus *in cap. 20. lib. 5. comment. de jur. civil.* hanc Accurſii & reliquorum interpretum ſolutionem reſpuat, quod vocabulum *Culpa*, cujus in oppoſita *l. penult.* fit
27 mentio, ſatis † oſtendat l. iſtam etiam de perſo-
28 næ vitiis accipiendam eſſe: quòd † culpa ſit perſonæ, non rei vitium: ſalvari tamen ſolutio iſta poteſt, ſi verbum *Culpa* ad dictionem *majoribus* referatur, & vitium rei dicatur culpa majorum contractum. Tametſi hodie in hujuſmodi quo-

que

que rebus, de quibus *d. l. pen.* loquitur, hoc jus conſtitutum eſt, ut 30. annorum ſilentio continuo præſcribantur, ſicuti videre eſt *ex l. 3. & ſeq. C. de præſcript. 30. vel 40. ann.* Eodemque pertinet *Auth malæ fidei. C. de præſcript. long. temp.*

L. 55.

Gajus libro ſecundo de teſtamentis, ad Edictum urbicum.

¶ *Nullus videtur dolo facere, qui ſuo jure utitur.*

Summaria.

1 *Doli argui non poteſt, qui facit id, quod leges permittunt.*

2 *Damnum non dat, qui jure ſibi conceſſo utitur.*

3 *Vim non infert, qui ordinaria actione experitur.*

4 *Actio & vis ſibi invicem opponuntur.*

5 *Damnum is ſaltem dare cenſetur, qui facit, quod facere jus non habet.*

6 *Domi ſuæ qui puteum aperit, damni infecti non tenetur, etiamſi apertura iſta venæ putei vicini præciſæ ſint.*

7 *Dolo feciſſe non dicitur, qui in ſuo fodiens fontem vicini avertit.*

8 *Damnum ex igni ſubita vi venti longius producto datum præſtare non tenetur is, qui in ſtipulam ſuam ejus comburendæ cauſa illum immiſit.*

9 *Creditor ſuum recipiens dolo nihil facit.*

10 *Creditores fraudaſſe non dicitur, qui ſolutionem æris alieni à ſuo debitore accepit, antequam bona ipſius ex edicto poſſeſſa fuerint.*

11 *Vigilantibus non dormientibus jura ſubveniunt.*

12 *Intellectus l. virilis 8. §. ſi adierit. ff. de legat. præſtand.*

13 *Heres adeundo hereditatem jure ſuo utitur, dummodò alii iſta aditione nocere nolit.*

14 *Intellectus l. qui duobus. 21. ff. ad l. Cornel. de falſ.*

15 *Falſi pœna quando teneatur is, qui unam eandemq́; rem duobus in ſolidum vendidit?*

16 *L. quoties. 15. C. de rei vend. conciliatur cum l. qui duobus. 21. ff. ad l. Cornel. de falſ.*

17 *Vendi cur una eademq́; res duobus in ſolidum poſſit?*

18 *Venditor liberatur, ſi emptori præſtiterit, quod ipſius intereſt.*

19 *Mendacium quempiam falſi reum facit.*

QUi jure ſibi conceſſo utitur, ac facit id,
1 quod leges permittunt, † is dolo, ut Gajus hîc loquitur, feciſſe non videtur. Proinde
2 nec † damnum dediſſe, nec vim intuliſſe intel-
3 ligitur, qui jure † ſuo utitur, &, ut refert Paulus *in l. factum. 155. §. 1. inf. h. t.* ordinariâ actione ex-
4 peritur: ſiquidem vis & actio ſibi † invicem opponuntur, *in l. extat. 13. ſup. quod met. cauſ. geſt. er.*
5 Atque is demum † damnum dat, qui fecit id, quod facere jus non habet, veluti tradit idem Paulus *in l. nemo damnum. 151. inf. eod.* Cujus exemplum

ſemplum præbet Ulpianus *in l. fluminum. 24. §. ult. ſup. de damn. infect.* ubi ex ſententia Trebatii illum, qui † in domo ſua puteum aperit, damni 6
infecti teneri negat, quamvis apertura iſta venæ putei vicini præciſæ ſint, quòd nemo operis ſui vitio exiſtimetur damnum alteri dare ea in re, in qua jure ſuo uſus eſt. Cui ſimile eſt illud *in l. 1. §. deniq; Marcellus. ſup. de aq. & aq. pluv. arcend.* ubi is, qui in ſuo † fodiens fontem vicini avertit, dolo id feciſſe non videtur, cùm animo non 7
nocendi vicino, ſed agrum ſuum meliorem faciendi id fecerit. Sic & Paulus *in l. qui occidit. 30. §. pen. ſup. ad l. Aquil.* eum, cujus † ignis, quem in 8
ſtipulam ſuam ejus comburendæ cauſa immiſerat, ulterius progreſſus alienam ſegetem læſit, tum culpa carere ſcribit, ſi ſubita vis venti longius ignem produxiſſet. Ex eodem fundamento creditor † dolo nihil facit, qui ſuum re- 9
cipit, *l. nihil dolo. 129. in pr. inf. h.t.* Atque iccirco Scævola *in l. pen. ſup. quæ in fraud. cred. fact. ſunt.* creditorem, qui pecuniam † ſibi debitam antè, 10
quàm bona ex edicto poſſideantur; oblatam recepit, edicto, quæ in fraudem creditorum facta ſunt, ut reſtituantur, teneri negat, quamvis ſciverit debitorem ſolvendo non eſſe: quòd 11
† jura vigilantibus, non dormientibus ſuccurrant.

Prædictis obſtat † *l. virilis 8. §. ſi adierit. ſup. de legat. præſtand.* ubi heres ſcriptus ex eo, quòd ad- 12
ivit hereditatem; conveniri actione de dolo

poteſt ab eo, qui in teſtamento iſto præteritus
13 eſt, cùm tamen heres † adeundo hereditatem
jure ſuo utatur. Reſpondeo cum Accurſio, ſcriptum heredem in caſu iſtius l. adire hereditatem, non ut ſuo jure utatur, ſed ut præterito noceat, id quod ex detrectatione virilis portionis, quam præteritus ante aditionem ei obtulerat, quamq; adita hereditate habiturus aliâs erat, ſatis evincitur.

14 Porrò *l. huic* obſtare videtur † *l. qui duobus. 21.*
15 *ſup. ad l. Cornel. de falſ.* ubi Paulus pœna falſi † eum coërceri vult, qui duobus in ſolidum eandem rem diverſis contractibus vendidit: quâ certè pœna venditor non teneretur, niſi dolo feciſſet. *per principium l. impuberem. 22. eod.* cùm tamen venditor hujuſmodi jure ſuo utatur, ut
16 videre † eſt *ex l. quoties 15. C. de rei vendic.* ubi reſcripto Impp. Diocletiani & Maximiani hoc diſertè cautum eſt, quòd prædium duobus in ſolidum jure diſtrahatur. Reſpondeo eandem
17 quidem rem duobus † vendi poſſe, quia venditor non præcisè, ut nonnulli ſtatuunt, rem em-
18 ptori tradere cogitur, ſed ſufficit, ſi † præſtet id, quod emptoris intereſt rem habere. *l. 1. in pr. ſup. de action. empt.* Quod verò Paulus *in oppoſita l. qui duobus.* venditorem hujuſmodi crimine falſi teneri ſcribit, id accipiendum eſt de ejuſmodi venditore, qui poſteriori emptori dixit rem ſuam eſſe, quam tamen priori venditam jam tra-
19 diderat: hoc, inquam, mendacium † ipſum falſi

reum

reum facit, veluti Cujacius *in cap. 21. lib. 13. obſ. & in cap. 31. lib. 18. obſervat.* declarat.

L. 56.

Gajus libro tertio de legatis ad Edictum urbicum.

¶ *Semper in dubiis benigniora præferenda ſunt.*

SUMMARIA.

1 *Interpretatio benignior ſequenda eſt in caſu dubio.*

2 *Civiles æquè ac criminales cauſæ in dubio benignius interpretandæ ſunt.*

3 *Socius rem communem amovens furandi animo illam amoviſſe non præſumitur.*

4 *An ei, qui cùm hunc occidere vellet, illum interfecit, ordinaria l. Corneliæ de ſicariis pœna irrogari poſſit?*

5 *Injuriarum tenetur is, qui Sejo injuriam facit, quem Titium eſſe exiſtimavit.*

6 *Injuriam is demum facit, qui ſcit ſe injuriam facere, quamvis neſciat, cui faciat.*

7 *Actione l. Aquiliæ tenetur is, qui prætereuntem percuſſit lapide, quem tamen in adverſarium mittere voluit.*

8 *Voluntas in delictis potius, quàm eventus ſpectatur.*

9 *Homicidii reus eſt, qui hominis occidendi cauſa cum telo ambulavit.*

10 *Dolus in delictis an ſufficiat, ſi in corpore erratum ſit.*

11 *Hominem occiſum eſſe ab eo, qui hominem occidere voluit, quibuſdam ad ordinariam l. Corneliæ de ſicariis pœnam ſufficere videtur.*

12 *Reipublicæ intereſt, ne delicta impunita maneant.*

13 *Nomina illorum, qui ordinariam l. Corneliæ de ſicariis pœnam irrogari volunt ei, qui alium occidit, quàm quem occidere volebat.*

14 *Injuriarum non tenetur, qui percuſſit hominem liberum, quem ſervum ſuum eſſe putabat.*

15 *Servus impunè percuti à domino poteſt.*

16 *Virginem appellare nihil aliud eſt, quàm pudicitiam ejus attentare.*

17 *Delinquens minus peccat ſi in objecto ſibi propoſito erret.*

18 *Delicta in dubio benigniorem interpretationem merentur.*

19 *Homicidium ordinaria l. Corneliæ de ſicariis pœna plecti non poteſt, niſi occidendi animo commiſſum ſit.*

20 *Caſu potius quàm conſultò occiſus dicitur, de quo occidendo cogitatum non eſt.*

21 *Dolus circa unum non porrigitur ad alium.*

22 *Judex pro modo facti & qualitate perſonæ pœnam indicere debet.*

23 *Nomina illorum, qui negant ordinaria l. Corneliæ de ſicariis pœna locum eſſe, quando alius pro alio occiſus eſt.*

24 *Error mitigationem pœnæ inducit.*

25 *Gla-*

25 Gladii pœna in homicidas ſtatuta eſt.

26 Homicidii pœna ordinaria pro qualitate circumſtantiarum augeri vel minui poteſt.

27 Pœna ordinaria homicidii quando augeri poſſit.

28 Homicidii pœna ordinaria minui aliquando poteſt.

29 Jure divino veniam meretur is, qui ignoranter quempiam interfecit.

30 Urbes refugii in quem finem Deus inſtituerit.

31 Conſultò occiſus non dicitur, qui per errorem occiſus eſt.

32 Gladii pœna plecti non poteſt is, qui occidit eum, de quo occidendo non cogitavit.

33 Intellectus l. eum qui nocentem. 18. §. ſi injuria. ff. de injur.

34 Injuria privatum delictum eſt.

35 Actio injuriarum ordinaria non eſt.

36 Error in qualitate admiſſus gravior eſt, quàm is, qui in ipſo objecto fuit.

37 Injuriarum conveniri non poteſt, qui cùm Titium injuriâ affectum vellet, Sejum injuriâ affecit.

38 Accuſatio ex l. Cornelia de ſicariis inſtituta longè gravior eſt, quàm actio injuriarum.

39 Delinquens ſecundum eventum puniendus eſt, ſi animus ad eventum ſubſecutum veriſimiliter tendat.

40 Dolus ſi in genere ſubſit, ordinaria delicti pœna locum non facit.

41 Intellectus l. 3. §. itaq; ff. de injur.

42 Injuriandi animum qui in genere habuit, is injuri-

arum tenetur, etiamſi ille, cui injuriam intulit, ipſi ignotus fuerit.

43 *Injuriandi animus, ſi ad certam ſpeciem directus eſt, injuriarum actionem non producit, niſi illa ipſa ſpecies quoq; injuria affecta ſit.*

44 *Intellectus l. ſcientiam. 45. §. pen. ff. ad l. Aquil.*

45 *Culpa leviſſima etiam actione l. Aquiliæ coërcetur.*

46 *Homicidia non ſemper ordinariam pœnam merentur.*

47 *Pœna delicto major eſſe non debet.*

48 *Homicida ut ordinaria L. Corneliæ de ſicariis pœna plecti poſſit, quid requiratur?*

49 *Cædem ſolam l. Cornelia de ſicariis non attendit, niſi animum occidendi annexum habeat.*

50 *Homicidii pœna ordinaria tenetur is, qui indefinitè hominem occidere ſibi propoſuit, & hominem quoq; occidit.*

51 *Homicida ordinaria l. Corneliæ de ſicariis pœna tum demum plecti debet, quando ipſa cædes & animus ejus in uno objecto conveniunt.*

QUando cauſa dubia eſt ac incerta, ea ſe-
1 quenda † erit interpretatio, quæ eſt beni-
2 gnior, ſive civilis ſive † criminalis cauſa fuerit.
l. factum. 155. §. ult. l. rapienda 168. & l. ea quæ 192. §. 1. inf. h. t. Idque Gajus hoc loco ſatis innuit, dum in . biis ſemper benigniora vult preferri. Hinc
3 ſocius, ſi rem † communem amoverit, potius jure ſuo, ut ſcilicet re utatur, quàm animo fu-
randi

randi illam amoviſſe præſumitur. *l. merito. 51. in princ. ſup. pro ſoc.* Ejusq; generis plura, quæ ad hujus l. interpretationem faciunt, *in l. ſemper in obſcuris. 9. ſup. h. t.* prolixius expoſita ſunt.

Quibus evidentius declarandis præſenti hoc addere libet, quòd difficilis iſta quæſtio, utrum videlicet is, qui, cùm Titium † interficere vel- 4
let, Sejum occidit, ordinaria l. Corneliæ de ſicariis pœna plecti debeat? ex fundamento hujus regulæ potiſſimùm à plerisq; juris interpretibus deciſa ſit. Ut autem momenta hujus quæſtionis plana ac perſpicua magis evadant, operæ precium facturus videor, ſi & textus & rationes, quibus in utramque partem illa diſceptatur, in medium [illegible] duxero. Etenim ſunt, qui pœnæ ordinariæ hoc caſu locum eſſe affirmant: nec deſunt, qui illud negant.

Qui homicidam ejuſmodi ordinaria l. Corneliæ de ſicariis pœna plectendum eſſe contendunt, hi præcipuè nituntur textu *l. eum qui nocentem 18. §. ſi injuria. ſup. de injur.* ubi Paulus refert, injuriarum † teneri eum, qui putans me L. Titi- 5
um eſſe, cùm ſim Gajus Sejus, injuriam mihi facit: quòd certus ego ſim, licet ille putet me alium eſſe, quàm ſum. Quam ob cauſam Ulpianus etiam *in l. 3. §. itaq;. ejuſdem tit.* ait, neminem † in- 6
juriam facere poſſe, niſi qui ſcit, ſe injuriam facere, etiamſi neſciat cui faciat. Eodemq; facit textus *in l. ſcientiam. 45. §. pen. ſup. ad l. Aquil.* ubi idem Paulus ſcribit, l. Aquilia teneri eum, qui

ve alterius ſuccedit, jure ejus uti debere. Ergo
6 quivis ſucceſſor, † ſive ſingularis ſit, ſive univerſalis, in re, quam accipit, aliud jus non conſequitur, quàm autor ipſius habuit. Unde fundus,
7 ſi ſervus fuit, † cum ſervitutibus tranſit: & ſi fortè fundo ſervitutes debebantur, qui traditus eſt, cum jure ſervitutum debitarum transfertur, *d.l.traditio.§.1.*

Verùm pugnare cum his non pauca in jure noſtro videntur. Primùm namque è potiſſimis
8 objicitur † *l.non eſt novum.46.ſup.de acquir.rer. domin.* ubi Ulpianus refert novum non eſſe, ut qui dominium non habet, alii dominium præbeat.
9 Idq; exemplo creditoris confirmat, qui † vendendo pignus dominium in emptorem transfert, quod ipſe non habuit. *§ 1.Inſtit.quib.alien.lic. vel nō.* Reſpondeo dominium hoc caſu transferri ex voluntate debitoris, qui in diſtractionem pignoris conſenſit, ſi conſtituto tempore pecunia credita non redderetur. *l.4.ſup. de pign.act.*
10 Nihil autem in jure noſtro † intereſt, utrum ipſe dominus per ſe alienet, an voluntate ipſius alius, teſte Gajo *in l. qua ratione. 9. §. nihil autem. ſup. de acquir. rer. domin.* Quomodo filiusfam.
11 † numos peculiares alteri credere poteſt, quāvis ipſe dominus iſtorum numorum non ſit. *per l. filiusfam. 93. inf. h.t.* quia videlicet numos iſtos credendo alterius facit non ex ſe, verùm volun-
12 tate patris ſui, quippe † cujus conceſſione peculium habet, *l.quam Tuberonis. 7. §.1. ſup. de pecul.*

Dein-

Deinde † adverſatur *l. interdum 21. in pr. ſup. de acquir. vel amitt. poſſeſs.* ubi Javolenus ait, poſſe quempiam alii poſſeſſionem tradere, quam ipſe non habet: idque ibidem illuſtrat exemplo illius, qui cum uſucapione necdum completa intelligeret rem, quam pro herede poſſidebat, hereditariam non eſſe, eandem ab herede veri domini precario rogavit & accepit, quamvis heres poſſeſſionem iſtius rei nunquam apprehendiſſet. Reſpondeo id fieri fictione juris: ſiquidem jus eo caſu fingit illum, qui precario rem rogavit, verum heredem prius poſſeſſorem feciſſe, atque ab eodem in continenti poſſeſſionem recepiſſe, quemadmodum id eleganter Zaſius *ibidem n. 4.* declarat. 13

Tum opponi quoq; ſolet *l. quod noſtrum. 63. ſup. de uſufr.* ubi † is, qui fundum habet, dicitur uſumfructum cedere poſſe, quamvis uſumfructum non habeat. Reſpondeo verba iſtius l. hunc habere ſenſum: Is qui dominus rei eſt, eamque pleno jure habet, † uſumfructum, qui proprietati cohæret, ac ſervitus non eſt, à proprietate ſeparare, eumque ut ſervitutem alii cedere poteſt, quantumvis ipſe uſumfructum ut ſervitutem ea in re non habeat. Neque enim jus patitur, ut cuiquam † res ſua ſerviat, verùm dominus re ſua non ſervitutis, ſed dominii jure utitur, teſte Ulpiano *in principio l. uti frui. 5. ſup ſi uſusfruct. pet.* Nihil ergo in caſu oppoſitæ l. transfertur, quod ſit alterius. 14 15 16

Deniq;

Denique cum prædictis pugnare videtur
17 † principium *l. interdum. 19. ſup. de minor. 25. ann.* ubi heres hoc ipſo, quòd ad petendam reſtitutionem in integrum prolixius tempus habet, non ejuſdem, ſed melioris conditionis eſſe cenſetur, quàm defunctus, cui ſucceſſit. Reſpondeo
18 heredi prolixius † tempus, quàm defunctus habuiſſet, non ſemper dari, ſed tum demum, quando uterque quidem, & heres & defunctus 25. annis minor eſt, ſed tamen heres eam ætatem, quam defunctus tempore mortis habuit, necdum ingreſſus eſt: veluti ſi quis anno ætatis ſuæ 22. diem ſuum obeat, atque heredem 10. annorum relinquat, hoc caſu heres ex conſtitutione Imp. Juſtiniani, quæ eſt *in l. ult. C. de tempor. in integ. reſtitut.* jure proprio ob ſuam ætatem petere reſtitutionem in integrum intra annos novem poteſt: cùm defuncto ad petitionem illius ultra ſeptennium indultum non fuiſſet. Extra hunc caſum heres jure hereditario utetur, proindeque plus temporis non habebit, quàm habuiſſet defunctus, ſi vivus eſſet: Id quod Ulpianus *in fine d. l. interdum.* ſatis oſtendit.

Cùm itaque ſucceſſor regulariter melioris conditionis eſſe non debeat, quàm fuit author,
19 cui ſucceſſit: conſequens eſt, ſucceſſori † quoq; nocere id, quod autori nocuit. *l. quod ipſis. 143. inf. h. t.* Unde is, qui per ſententiam judicis fun-
20 dum obtinuit, non ſolùm eum, quem † in judicio vicit, ſi denuò is agere velit, ſed eum quoq;, qui

qui victo ſuccedit, exceptione rei judicatæ ſubmovere poteſt. *l. ſi mater 11. §. item Julianus. & l. exceptio 28. ſup. de except. rei judicat.* Succeſſorem intelligo non tantùm ſingularem, cujus *d. l. quod ipſis.* ſaltem meminit: ſed etiam univerſalem. Nam & heredi obſtabit ea exceptio, quæ teſtatori defuncto obſtitit. *l. ſi rem legatam. 6. ſup. de except.* Quemadmodum & contrà æquum non eſt, ut ſucceſſori † noceat, quod adverſus eum 21
non nocuit, in cujus locum ille † ſucceſſit, *l. invitus. 156. §. cum quis. inf. h. t.* *Non nocuit* inquam, 22
quia illorum lectio mihi non probatur, qui negationem eò loci omittunt: cùm *l. 3. §. ſi quis ab autore. ſup. de itin. act. privat.* quæ ejuſdem Ulpiani eſt, & ex eodem *lib. 70.* ad edictum deſumpta, ſatis arguat, negationem verbo *Nocuit* addendam eſſe: quod ipſum quoque evincit particula *plerunq;*, quam Ulpianus *in §. pen. d. l. invitus.* apponit, quippe ex qua liquet fieri aliquando, ut ſucceſſori non noceat, quod autori nocuiſſet: id quod de ſucceſſore ſingulari intelligendum eſt. Hic enim in vitia † ſui autoris ita non ſucce- 23
dit, ſicut heres: *per l. 4. §. autoris. ſup. de dol. mal. & met. except. & l. cùm heres 11. ſup. de diverſ. & temp. præſcript.* Sanè vitia autoris ita demum ſucceſſori ſingulari nocent, ſi ipſius poſſeſſione vitioſa uti velit: quod ſi hoc nolit, verùm ſuæ ſaltem poſſeſſioni inſiſtat; vitia autoris ei non nocebunt, dummodo ipſe bona fide atque ex juſta cauſa poſſideat. *l. an vitium 5. ſup. de diverſ. & tempor. præſcript.*

ſcript. Idq́ue tum maximè locum habet, quando ex cauſa oneroſa ſucceſſit. *d.l.4.§.ſi quis autem.*
24 Neque pugnat cum † his *l.pen. C.de acquir. & retinend. poſſeſ.* ubi Impp. Arcadius & Honorius indiſtinctè ajunt, vitia poſſeſſionum à majoribus contracta perdurare, & ſucceſſorem ſui autoris culpam comitari : quoniam *d. l. an vitium.*
25 loquitur de illis † vitiis, quæ perſonę inhærent, ut quia mala fide, clàm forte, vi, vel precario poſſidet rem, quæ aliâs uſucapi poterat. At verò oppoſita *l.pen.* teſte ibidem Accurſio, loquitur de vitiis, quæ in re ſunt, quale eſt furtum, violentia, atque omne di, per quod res per ſe uſucapi prohibetur. *§ furtivæ. Inſtit. de uſucap.* hujuſmodi vitia ſucceſſori æquè atque autori ipſius nocent : quantumvis eam rem bona fide & ex juſta cauſa poſſideat, & ſua tantùm, non auto-
26 ris poſſeſſione uti velit : cùm vitium, quod † in re eſt, quemvis ejus rei poſſeſſorem ſequatur, tantiſper dum purgatum fuerit. *l. ubi lex. 24. §.1. ſup. de uſucap.* Ac quamvis Donellus *in cap. 20. lib. 5. comment. de jur. civil.* hanc Accurſii & reliquorum interpretum ſolutionem reſpuat, quod vocabulum *Culpæ*, cujus in oppoſita *l. penult.* fit
27 mentio, ſatis † oſtendat l. iſtam etiam de perſo-
28 næ vitiis accipiendam eſſe: quòd † culpa ſit perſonæ, non rei vitium : ſalvari tamen ſolutio iſta poteſt, ſi verbum *Culpæ* ad dictionem *majoribus* referatur, & vitium rei dicatur culpa majorum contractum. Tametſi hodie in hujuſmodi quo-

que

que rebus, de quibus *d. l. pen.* loquitur, hoc jus conſtitutum eſt, ut 30. annorum ſilentio continuo præſcribantur, ſicuti videre eſt *ex l. 3. & ſeq. C. de præſcript. 30. vel 40. ann.* Eodemque pertinet *Auth mala fidei. C. de præſcript. long. temp.*

L. 55.

Gajus libro ſecundo de teſtamentis, ad Edictum urbicum.

§ *Nullus videtur dolo facere, qui ſuo jure utitur.*

Summaria.

1 *Doli argui non poteſt, qui facit id, quod leges permittunt.*

2 *Damnum non dat, qui jure ſibi conceſſo utitur.*

3 *Vim non infert, qui ordinaria actione experitur.*

4 *Actio & vis ſibi invicem opponuntur.*

5 *Damnum is ſaltem dare cenſetur, qui facit, quod facere jus non habet.*

6 *Domi ſuæ qui puteum aperit, damni infecti non tenetur, etiamſi apertura iſta venæ putei vicini præciſæ ſint.*

7 *Dolo feciſſe non dicitur, qui in ſuo fodiens fontem vicini avertit.*

8 *Damnum ex igni ſubita vi venti longius producto datum præſtare non tenetur is, qui in ſtipulam ſuam ejus comburendæ cauſa illum immiſit.*

9 *Creditor ſuum recipiens dolo nihil facit.*

10 *Creditores fraudaſſe non dicitur, qui ſolutionem æris alieni à ſuo debitore accepit, antequam bona ipſius ex edicto poſſeſſa fuerint.*

11 *Vigilantibus non dormientibus jura ſubveniunt.*

12 *Intellectus l. virilis 8. §. ſi adierit. ff. de legat. præſtand.*

13 *Heres adeundo hereditatem jure ſuo utitur, dummodò alii iſta aditione nocere nolit.*

14 *Intellectus l. qui duobus. 21. ff. ad l. Cornel. de falſ.*

15 *Falſi pœna quando teneatur is, qui unam eandemq́; rem duobus in ſolidum vendidit?*

16 *L. quoties. 15. C. de rei vend. conciliatur cum l. qui duobus. 21. ff. ad l. Cornel. de falſ.*

17 *Vendi cur una eademq́; res duobus in ſolidum poſſit?*

18 *Venditor liberatur, ſi emptori præſtiterit, quod ipſius intereſt.*

19 *Mendacium quempiam falſi reum facit.*

QUi jure ſibi conceſſo utitur, ac facit id,
1 quod leges permittunt, † is dolo, ut Gajus hîc loquitur, feciſſe non videtur. Proinde
2 nec † damnum dediſſe, nec vim intuliſſe intel-
3 ligitur, qui jure † ſuo utitur, &, ut refert Paulus *in l. factum. 155. §. 1. inf. h. t.* ordinariâ actione ex-
4 peritur: ſiquidem vis & actio ſibi † invicem opponuntur, *in l. extat. 13. ſup. quod met. cauſ. geſt. er.*
5 Atque is demum † damnum dat, qui fecit id, quod facere jus non habet, veluti tradit idem Paulus *in l. nemo damnum. 151. inf. eod.* Cujus exemplum

ēmplum præbet Ulpianus *in l. fluminum. 24. §. ult. ſup. de damn. infect.* ubi ex ſententia Trebatii illum, qui † in domo ſua puteum aperit, damni 6
infecti teneri negat, quamvis apertura iſta venæ putei vicini præciſæ ſint, quòd nemo operis ſui vitio exiſtimetur damnum alteri dare ea in re, in qua jure ſuo uſus eſt. Cui ſimile eſt illud *in l. 1. §. deniq; Marcellus. ſup. de aq. & aq. pluv. arcend.* ubi is, qui in ſuo † fodiens fontem vicini avertit, dolo id feciſſe non videtur, cùm animo non 7
nocendi vicino, ſed agrum ſuum meliorem faciendi id fecerit. Sic & Paulus *in l. qui occidit. 30. §. pen. ſup. ad l. Aquil.* eum, cujus † ignis, quem in 8
ſtipulam ſuam ejus comburendæ cauſa immiſerat, ulterius progreſſus alienam ſegetem læſit, tum culpa carere ſcribit, ſi ſubita vis venti longius ignem produxiſſet. Ex eodem fundamento creditor † dolo nihil facit, qui ſuum re- 9
cipit, *l. nihil dolo. 129. in pr. inf. h.t.* Atque iccirco Scævola *in l. pen. ſup. quæ in fraud. cred. fact. ſunt.* creditorem, qui pecuniam † ſibi debitam antè, 10
quàm bona ex edicto poſſideantur; oblatam recepit, edicto, quæ in fraudem creditorum facta ſunt, ut reſtituantur, teneri negat, quamvis ſciverit debitorem ſolvendo non eſſe: quòd 11
† jura vigilantibus, non dormientibus ſuccurrant.

Prædictis obſtat † *l. virilis 8. §. ſi adierit. ſup. de legat. præſtand.* ubi heres ſcriptus ex eo, quòd adivit hereditatem; conveniri actione de dolo 12

 poteſt

poteſt ab eo, qui in teſtamento iſto præteritus
13 eſt, cùm tamen heres † adeundo hereditatem jure ſuo utatur. Reſpondeo cum Accurſio, ſcriptum heredem in caſu iſtius l. adire hereditatem, non ut ſuo jure utatur, ſed ut præterito noceat, id quod ex detrectatione virilis portionis, quam præteritus ante aditionem ei obtulerat, quamq; adita hereditate habiturus aliâs erat, ſatis evincitur.
14 Porrò *l. huic* obſtare videtur † *l. qui duobus. 21.*
15 *ſup. ad l. Cornel. de falſ.* ubi Paulus pœna falſi † eum coërceri vult, qui duobus in ſolidum eandem rem diverſis contractibus vendidit: quâ certè pœna venditor non teneretur, niſi dolo feciſſet. *per principium l. impuberem. 22. eod.* cùm tamen venditor hujuſmodi jure ſuo utatur, ut
16 videre † eſt *ex l. quoties 15. C. de rei vendic.* ubi reſcripto Impp. Diocletiani & Maximiani hoc diſertè cautum eſt, quòd prædium duobus in ſolidum jure diſtrahatur. Reſpondeo eandem
17 quidem rem duobus † vendi poſſe, quia venditor non præcisè, ut nonnulli ſtatuunt, rem em-
18 ptori tradere cogitur, ſed ſufficit, ſi † præſtet id, quod emptoris intereſt rem habere. *l. 1. in pr. ſup. de action. empt.* Quod verò Paulus *in oppoſita l. qui duobus.* venditorem hujuſmodi crimine falſi teneri ſcribit, id accipiendum eſt de ejuſmodi venditore, qui poſteriori emptori dixit rem ſuam eſſe, quam tamen priori venditam jam tra-
19 diderat: hoc, inquam, mendacium † ipſum falſi
reum

reum facit, veluti Cujacius *in cap. 21. lib. 13. obſ. & in cap. 31. lib. 18. obſervat.* declarat.

L. 56.

Gajus libro tertio de legatis ad Edictum urbicum.

¶ *Semper in dubiis benigniora præferenda ſunt.*

SUMMARIA.

1 *Interpretatio benignior ſequenda eſt in caſu dubio.*

2 *Civiles æquè ac criminales cauſæ in dubio benignius interpretandæ ſunt.*

3 *Socius rem communem amovens furandi animo illam amoviſſe non præſumitur.*

4 *An ei, qui cùm hunc occidere vellet, illum interfecit, ordinaria l. Corneliæ de ſicariis pœna irrogari poſſit?*

5 *Injuriarum tenetur is, qui Seio injuriam facit, quem Titium eſſe exiſtimavit.*

6 *Injuriam is demum facit, qui ſcit ſe injuriam facere, quamvis neſciat, cui faciat.*

7 *Actione l. Aquiliæ tenetur is, qui prætereuntem percuſſit lapide, quem tamen in adverſarium mittere voluit.*

8 *Voluntas in delictis potius, quàm eventus ſpectatur.*

9 *Homicidii reus eſt, qui hominis occidendi cauſa cum telo ambulavit.*

10 Dolus in delictis an ſufficiat, ſi in corpore erratum ſit.

11 Hominem occiſum eſſe ab eo, qui hominem occidere voluit, quibuſdam ad ordinariam l. Corneliæ de ſicariis pœnam ſufficere videtur.

12 Reipublicæ intereſt, ne delicta impunita maneant.

13 Nomina illorum, qui ordinariam l. Corneliæ de ſicariis pœnam irrogari volunt ei, qui alium occidit, quàm quem occidere volebat.

14 Injuriarum non tenetur, qui percuſſit hominem liberum, quem ſervum ſuum eſſe putabat.

15 Servus impunè percuti à domino poteſt.

16 Virginem appellare nihil aliud eſt, quàm pudicitiam ejus attentare.

17 Delinquens minus peccat ſi in objecto ſibi propoſito erret.

18 Delicta in dubio benigniorem interpretationem merentur.

19 Homicidium ordinaria l. Corneliæ de ſicariis pœna plecti non poteſt, niſi occidendi animo commiſſum ſit.

20 Caſu potius quàm conſultò occiſus dicitur, de quo occidendo cogitatum non eſt.

21 Dolus circa unum non porrigitur ad alium.

22 Judex pro modo facti & qualitate perſonæ pœnam indicere debet.

23 Nomina illorum, qui negant ordinaria l. Corneliæ de ſicariis pœna locum eſſe, quando alius pro alio occiſus eſt.

24 Error mitigationem pœnæ inducit.

25 Gla-

25 Gladii pœna in homicidas ſtatuta eſt.

26 Homicidii pœna ordinaria pro qualitate circumſtantiarum augeri vel minui poteſt.

27 Pœna ordinaria homicidii quando augeri poſſit.

28 Homicidii pœna ordinaria minui aliquando poteſt.

29 Jure divino veniam meretur is, qui ignoranter quempiam interfecit.

30 Urbes refugii in quem finem Deus inſtituerit.

31 Conſultò occiſus non dicitur, qui per errorem occiſus eſt.

32 Gladii pœna plecti non poteſt is, qui occidit eum, de quo occidendo non cogitavit.

33 Intellectus l. eum qui nocentem. 18. §. ſi injuria. ff. de injur.

34 Injuria privatum delictum eſt.

35 Actio injuriarum ordinaria non eſt.

36 Error in qualitate admiſſus gravior eſt, quàm is, qui in ipſo objecto fuit.

37 Injuriarum conveniri non poteſt, qui cùm Titium injuriâ affectum vellet, Sejum injuriâ affecit.

38 Accuſatio ex l. Cornelia de ſicariis inſtituta longè gravior eſt, quàm actio injuriarum.

39 Delinquens ſecundum eventum puniendus eſt, ſi animus ad eventum ſubſecutum veriſimiliter tendat.

40 Dolus ſi in genere ſubſit, ordinaria delicti pœna locum non facit.

41 Intellectus l. 3. §. itaq; ff. de injur.

42 Injuriandi animum qui in genere habuit, is injuri-

arum tenetur, etiamſi ille, cui injuriam intulit, ipſi ignotus fuerit.

43 *Injuriandi animus, ſi ad certam ſpeciem directus eſt, injuriarum actionem non producit, niſi illa ipſa ſpecies quoq; injuria affecta ſit.*

44 *Intellectus l. ſcientiam. 45. §. pen. ff. ad l. Aquil.*

45 *Culpa leviſſima etiam actione l. Aquiliæ coërcetur.*

46 *Homicidia non ſemper ordinariam pœnam merentur.*

47 *Pœna delicto major eſſe non debet.*

48 *Homicida ut ordinaria L. Corneliæ de ſicariis pœna plecti poſſit, quid requiratur?*

49 *Cædem ſolam l. Cornelia de ſicariis non attendit, niſi animum occidendi annexum habeat.*

50 *Homicidii pœna ordinaria tenetur is, qui indefinitè hominem occidere ſibi propoſuit, & hominem quoq; occidit.*

51 *Homicida ordinaria l. Corneliæ de ſicariis pœna tum demum plecti debet, quando ipſa cædes & animus ejus in uno objecto conveniunt.*

QUando cauſa dubia eſt ac incerta, ea ſe-
1 quenda † erit interpretatio, quæ eſt beni-
2 gnior, ſive civilis ſive † criminalis cauſa fuerit. *l. factum. 155. §. ult. l. rapienda 168. & l. ea quæ 192. §. 1. inf. h. t.* Idq́ue Gajus hoc loco ſatis innuit, dum in dubiis ſemper benigniora vult pręferri. Hinc
3 ſocius, ſi rem † communem amoverit, potius jure ſuo, ut ſcilicet re utatur, quàm animo furandi

randi illam amoviſſe præſumitur. *l. merito. 51. in princ. ſup. pro ſoc.* Ejusq; generis plura, quæ ad hujus l. interpretationem faciunt, *in l. ſemper in obſcuris. 9. ſup. h. t.* prolixius expoſita ſunt.

Quibus evidentius declarandis præſenti hoc addere libet, quòd difficilis iſta quæſtio, utrum videlicet is, qui, cùm Titium † interficere vellet, Sejum occidit, ordinaria l. Corneliæ de ſicariis pœna plecti debeat? ex fundamento hujus regulæ potiſſimùm à plerisq; juris interpretibus deciſa ſit. Ut autem momenta hujus quæſtionis plana ac perſpicua magis evadant, operæ precium facturus videor, ſi & textus & rationes, quibus in utramque partem illa diſceptatur, in medium adduxero. Etenim ſunt, qui pœnæ ordinariæ hoc caſu locum eſſe affirmant: nec deſunt, qui illud negant. 4

Qui homicidam ejuſmodi ordinaria l. Corneliæ de ſicariis pœna plectendum eſſe contendunt, hi præcipuè nituntur textu *l. eum qui nocentem 18. §. ſi injuria. ſup. de injur.* ubi Paulus refert, injuriarum † teneri eum, qui putans me L. Titium eſſe, cùm ſim Gajus Sejus, injuriam mihi facit: quòd certus ego ſim, licet ille putet me alium eſſe, quàm ſum. Quam ob cauſam Ulpianus etiam *in l. 3. §. itaq; ejuſdem tit.* ait, neminem † injuriam facere poſſe, niſi qui ſcit, ſe injuriam facere, etiamſi neſciat cui faciat. Eodemq; facit textus *in l. ſcientiam. 45. §. pen. ſup. ad l. Aquil.* ubi idem Paulus ſcribit, l. Aquilia teneri eum, qui 5 6

7 cùm ſui defendendi cauſa † lapidem in adverſarium mittere vellet, non adverſarium, ſed prætereuntem percuſſerit. Neque textus hi ratione carent. Quòd ſi enim in delictis jura non
8 eventum, ſed voluntatem † atque animum, quo quid factum ſit, ſpectari volunt, *l. Divus 14. ſup. ad l. Cornel. de ſicar.* atque hinc etiam l. Corne-
9 lia de ſicariis tenetur is, qui hominis † occidendi cauſa cum telo ambulavit, licèt non occiderit, velut habet principium *l. 1. ejuſdem tit.* hoc certè delictum excuſari neutiquam poteſt, in quo eventus voluntati reſpondit, cædesque propoſita ſecuta eſt. Ac licèt hoc caſu dici poſſit cædem aliter factam eſſe, quàm cogitatum fuit, ordinaria tamen homicidii pœna iccirco
10 mitiganda non videtur, quoniam † in delictis ſufficit dolum in genere ſubeſſe, quamvis in corpore erratum ſit. Unde etiam Marcianus *in principio d. l. 1.* indiſtinctè ait, l. Cornelia de ſicariis teneri eum, qui hominem occiderit: ſive igitur hunc, ſive illum occiderit, nihil intereſt,
11 ſufficit † hominen occiſum eſſe ab eo, qui hominem occidere voluit. Generatim namque
12 conſtitutum eſt, Reipublicæ intereſſe, ne † delicta maneant impunita, *l. ita vulneratus. 51. in fine. ſup. ad l. Aquil.* Atque his potiſſimùm fundamentis motos fuiſſe puto JCtos iſtos, qui affirmativam hanc ſententiam amplexi ſunt, atque ordinaria homicidii pœna plecti voluerunt eum, qui interemit alium, quàm quem interimere

vole-

volebat. E quorum numero † ſunt Bartolus *in* 13
*l.perſpiciendum.11.§.pen.n.7.ſup.de pœn. & in d.l.Divus.n.2.*ibidemq́ue Hippolytus de Marſiliis *n.5.* Baldus *in l.ſi quis.5.n.9.C.de Epiſc.& Cler.*Salicetus *in l. quoniam.n.2.C.ad l.Jul.de vi public.vel priv.* Jaſon *in l.ſi per errorem.15.n.17.ſup.de juriſdict.omn.judic.* Julius Clarus *in §.homicidium.n.6.lib.5.ſententent.*ubi dicit:ſed certè ego,ſi caſus contingeret, illi facerem caput amputari.Didacus Covarruvias *in c.alma mater.ult.part.1.§.10.n.14.de ſentent.ex communic.in 6.* Carolus Molinæus *in conſuet.Pariſ.tit.1.§.3.q.41.n.153.* Vaſquius *lib.3.controverſ.illuſtr.cap.96.n.32.verſic.ſed quid ſi,& verſ.nec obſtat,* ubi inter cætera refert Bartoli ſententiam & lege, & ratione probari: quemadmodum & eadem Bartoli ſententia in puncto juris verior eſſe videtur Curtio jun.*in l.in actionibus.5.n.13.ſup.de in lit.jurand.*Gomezio *in cap.3.n.34.tom.3.variar.reſolut.* Quibus conſentiunt Ægidius Boſſius *in tit.de homicid.n.73.verſ.ego tamen puto.* & Jacob. Thomingius *in deciſ.38.n.9.* Et hanc opinionem ſeſe aliquando ſecutos fuiſſe memorant Scabini VVittenbergenſes ac Lipſenſes *in quæſt.6.n.3.part.4.conſultat.Saxonic.*

Cæterùm qui homicidam hoc caſu ordinaria l.Corneliæ de ſicariis pœna plectendum eſſe negant, hi ſua quoque habent fundamenta. Nam pro ipſorum ſententia facit *l.3.§.ult.ſup.de injur.* ubi Ulpianus eum, qui hominem liberum, quem ſuum † ſervum eſſe putabat, cecide- 14
rit,

rit, in ea cauſa eſſe ſcribit, ne injuriarum tenea-
tur. Cui Paulus quoq; *in l.4.ejuſdem tit.* cõſentit.
Ac ne quis fortè arbitretur actionem injuriarũ
in ſpecie iſtius l. propterea denegari, quòd ſer-
vus, de quo ſolo percutiendo dominus cogita-
15 vit, † impunè à domino cædatur: eandem hanc
ſententiam non parum confirmat *l. item apud*
Labeonem. 15. §. ſi quis virgines. eod. ubi Ulpianus il-
16 lum, qui virginem ancillari veſte indutam † ap-
pellavit, hoc eſt, blandis verbis pudicitiam eju
attentavit, minus peccare refert. Quod ſi erg
17 delinquens in privatis delictis † minus pecca
dicitur, ſi in objecto ſibi propoſito erret: in pu-
blicis certè delictis error iſte delinquenti multò
18 magis proderit: quòd aliâs † hæc benigniorem
interpretationem merentur, quàm illa, *argu-*
mento d. l. factum. 155. §. ult. inf. h. t. Huc accedit,
quòd iis tantùm delictis pœna ordinaria irro-
gari poteſt, quæ dolo commiſſa ſunt. Et in ſpe-
19 cie, quòd homicidium † ordinaria pœna gladii
ita demum plecti poſſit, ſi occidendi amimo il-
lud commiſſum ſit, *d. l. 1. § Divus Hadrianus. ſup. ad*
l. Cornel. de ſicar. ſatis oſtendit. Et licèt animus
delinquenti fuerit hunc interficere, tamen quia
alium, de quo occidendo non cogitavit, è me-
20 dio ſuſtulit, caſu † potius, quàm conſultò occi-
21 diſſe dicendus eſt: præſertim cùm dolus † cir-
ca unum non porrigatur ad alium, *per l. Fulcinius.*
7. §. quid ſi adverſus. ſup. quib. ex cauſ. in poſſeſſ. eat. ni-
hilominus tamen, quia facinus illud culpa non
caret,

caret, in ordinariæ pœnæ locum extraordinaria jure ſuccedet, teſte Menochio *lib. 2. de arbitr. jud. quæſt. caſ. 324. n. 12.* ubi ſub finem ait, prudentem judicem † pro modo facti perpenſa culpa 22
& qualitate perſonæ vel gravem, vel mitiorem pœnam indicere poſſe, modò corporalem non indicat. Eandemque hanc † ſententiam, videli- 23
cet quòd is, qui Pamphilum occidit, cùm occidere vellet Sempronium, ordinariam l. Corneliæ de ſicariis pœnam luere non debeat, inter alios ſecuti ſunt Ripa *in l. ult. q. 21. C. de revoc. donat.* Jaſon ſibi contrarius *in l. 1. n. 18. ſup. de legib.* ubi addit, deciſionem Bartoli judices maleficiorum in magno periculo ponere, & hanc opinionem numero ſuffragantium potiorem eſſe. Menochius *d. caſ. 324. n. 12.* ubi dicit errare illos, qui exiſtiment occidentem unum pro altero ordinaria l. Corneliæ de ſicariis pœna puniri debere, quia dolo quidem egit, ut Cajum occideret: at dum poſtea occidit Sempronium, in ſola culpa verſatus eſt. VVeſenbecius *in §. item l. Cornelia. 5. n. 2. Inſtit. de public.* ubi ob errorem
† pœnam mitigandam eſſe putat, etiamſi rei il- 24
licitæ opera data ſit. Atque in hanc ſententiam conſuluit etiam Barthol. Cæpolla *in conſil. 33. n. 5. lib. 3.* Et quia hæc opinio æquior eſt, atque à compluribus Doctoribus approbata, ideo Gomezius *in d. cap. 3. n. 35. verſ. ſed certè in puncto juris.* eam in praxi tenendam eſſe refert, argumento laudabilis illius rationis, quam Ulpianus *in prin.*

l. ab-

l. abſentem 5. ſup. de pœn. ponat, licet prima opinio ipſi videatur verior. Nec diſſentire ab his videntur Sichardus *in l. 3. n. 10. C. de ſerv. fugit.* Vaudus *in quæſt. 46. n. 4. lib. 1. variar. quæſt.* Boërius *in deciſ. 84.* & Anton. Teſſaurus *in deciſ. 243. n. 2.* Atque pro hac ſententia collegium Juridicum hujus Academiæ aliquoties reſpondiſſe memini: eamque & æquiorem & de jure civili veriorem eſſe, etiamnum judico, neque etiam ab illa alienos fuiſſe VVittenbergenſes ac Lipſenſes ſatis arguunt ea, quæ *in d. quæſt. 6. n. 7.* illi ſubjungunt.

Sic igitur ſtatuo, tametſi generatim omni ju-
25 re, tam divino, quàm humano † pœna gladii ſtatuta ſit in homicidas: nihilominus tamen
26 pœnam iſtam pro qualitate † circumſtantiarum vel augeri vel minui à judice poſſe. Augeri
27 quidem † poteſt eo caſu, quando deliberata cædes facta eſt, ſicut videre eſt *ex art. 137. criminalis ordinat. Carolinæ*, ubi inter cætera cautum eſt, daß der gewonheit nach ein fürſetzlicher mutwilliger mörder mit dem Rade / vnd ein ander / der ein todtſchlag auß gähheit vnd zorn gethan / mit dem Schwert vom leben zum todt geſträfft werden ſolle &c. Minui verò ordinaria homicidii
28 † pœna, quæ nunc pœna gladii eſt, certis quoq; de cauſis poteſt: id quod Marcianus *in d. §. Divus Hadrianus.* hoc ipſo ſatis innuit, quòd ex re conſtituendum hoc eſſe ſcribit; utrū abſolvi is, qui homicidium commiſit, an verò pro homicida damnari debeat. Quod autem eo caſu, quando

alius

alius pro alio occiſus eſt, occiſori ordinaria ho-
micidii pœna irrogari non debeat, vel ex jure
divino doceri poteſt. Etenim Deus ipſe, *Deute-
ron.cap.19.verſ.4.& 5.* urbem refugii adiri, atque
ita vitæ periculum evitari vult ab illo; qui pro-
ximum † ſuum, quem nec oderat, ignoranter 29
percuſſerit: quod ipſum repetiit Deus *in cap. 20.
libri Joſuæ, verſ. 2. & 3.* alloquere, inquiens, filios
Iſraël his verbis: Date urbes † refugii, ut fugiat 30
illuc homicida percutiens animam per erro-
rem abſque ſcientia &c. Cùm igitur vel divino
jure ordinaria homicidii ſive l. Corneliæ de ſi-
cariis pœna eos demum maneat, qui conſultò
quempiam interemerunt: & verò conſultò † 31
interemptus is dici non poſſit, qui per errorem
præter voluntatem interfectus eſt: conſequens
eſt nec † gladii pœna plecti poſſe eum, qui er- 32
rore quodam occidit illum; de quo necando
non cogitavit. Siquidem & ſacræ literæ hoc ca-
ſu inter errorem non diſtinguunt, unde nec
nobis quoque diſtinctio aliqua attendenda hîc
erit, *argumento l. de pretio. 8. ſup. de public. in rem a-
ction.* præſertim cùm nec argumenta, quæ pro
contraria ſententia priori loco adducta ſunt, ita
ſeſe habeant, ut hanc ſententiam, quemadmo-
dum mea fert opinio, infirmare poſſint.

Quod enim † ex *d.l.eum qui nocentem.§.ſi inju- 33
ria.* in contrarium allatum eſt, id huic ſententiæ
revera non adverſatur: præterquam enim quòd
injuria, de qua vindicanda totus iſte titulus lo-

34 quitur, privatum † eſt delictum, non publicum, ſicut homicidium, de quo hîc ſermo eſt, *per l.1.ſup.de public.judic.& l.injuriarum.7.C.de injur.* quibus ſuffragantur ea, quæ tradit Jul. Clarus *in §.1.n.1.& 5.lib.5.ſentent.* hoc quoque conſtat,
35 † actionem quantumvis criminalem, injuriæ nomine competentem, ordinariam non eſſe, quemadmodum eſt illa actio, quæ ex l. Cornelia de homicidio datur. Quò accedit, quòd *in*
36 *caſu d.§. ſi injuria*, error † in qualitate magis, quàm in ipſo objecto fuit. Voluit enim is, quem Paulus eò loci injuriarum teneri ſcribit, Gajum Sejum, à quo convenitur, injuria affectum, quamvis illum ipſum L. Titium eſſe putârit. Quare contrarium dicendum erit de illo,
37 qui ejus mentis non fuit, ut Gajum † Sejum injuriâ afficeret: ſed L. Titium duntaxat injuriâ affectum voluit: ſiquidem à L. Titio conveniri non poteſt, quoniam injuriam ipſi nullam intulit: neque etiam Gajo Sejo tenebitur, quia volens ac de induſtria ipſum injuria non affecit. Atque eodem hoc modo oppoſitum *§. injuria.* Zaſius etiam *in cap.17.lib.2.ſingular.intellect.* interpretatur. Quod ſi verum eſt in actione injuriarum, quidni verum quoque ſit in accuſatione
38 † ex hac l. Cornelia de ſicariis inſtituta, quippe quæ longè majoris momenti eſt, quàm actio iſta, quæ ex injuriis promanat. Unde perſpicuum eſſe opinor, oppoſitum *§. ſi injuria.* ex interpretatione Zaſii hanc ſententiam potiùs confirmare

mare, quàm infringere: ita videlicèt, ut homicidæ ejuſmodi ordinaria homicidii pœna irrogari non poſſit, tum, quòd occidit eum, quem occidere noluit, tum verò quòd is, cujus occidendi animum habuit, occiſus non eſt. Quin & ex eo, quod Thomingius *in d. deciſ. 38. n. 26.* ex quorundam Doctorum ſententia ſtatuit, delinquentem † ſecundum exitum ſive finem inſecutum puniendum eſſe, ſi animus & propoſitum ad finem ſubſecutum veriſimiliter tendat, ego à contrario infero, delinquentem puniendum non eſſe, ſi animus ipſius ad finem ſubſecutum veriſimiliter non tendat. Neque enim ad hoc, ut quis ordinaria pœna afficiatur, dolum, † quemadmodum nonnulli volunt, in genere ſubeſſe ſufficit, ſed requiritur præterea, ut dolus, qui in genere animo ineſt, ſeſe in ſpecie exerat in homine iſto, quem quis ſibi propoſitum habet: quoniam aliâs, ut eleganter ſcribit VVeſenbecius *in d. §. item lex Cornelia. n. 2.* circa percuſſionem tantùm dolus eſſet, non in cæde, de cujus pœna quæritur. 39 40

Neque etiam † *d. l. 3. §. itaque. ſup. de injur.* ſic comparata eſt, ut contrariam ſententiam firmiter ſtabilire poſſit: quoniam ab actione civili, de qua Ulpianus eò loci loquitur, ad criminalem illatio rectè non fit, & ſermo etiam ibi eſt de ejuſmodi delinquente, qui in † genere animum injuriandi habuit: quo caſu adhoc, ut injuria facta dicatur, neceſſe non eſt, ut delin- 41 42

quens ſciat, cui injuriam inferat, ſed ſatis eſt, ut homini illam intulerit. Secus ſe res habet, ſi in
43 ſpecie animum † injuriandi habuerit: tum enim ſi in ſpecie ſive perſona, cui injuriam facere voluit, erret, in ea cauſa eſt, ne injuriarum teneatur, veluti videre eſt ex *d. l. eum qui nocentem. §. pen.*

44 Quod verò attinet ad † oppoſitam *l. ſcientiam. §. pen. ſup. ad l. Aquil.* nec illa huic ſententiæ quicquam obeſt, quoniam inſcriptio oſtendit Paulum eò loci de l. Aquilia loqui, in qua cùm
45 leviſſima † etiam culpa pœnam mereatur, *per l. ſi putator. 31. eod.* mirum non eſt errorem in caſu *d. §. pen.* commiſſum, L. Aquilia vindicatum fuiſſe: ſiquidem error iſte culpa non vacat, ut refert Jaſon *in d. l. 1. n. 18. ſup. de ll.*

Denique nec ex eo, quòd delicta impunita manere non debeant, quiſquam rectè evicerit, ei, qui alium pro alio interfecerit, ordinariam homicidii pœnam infligendam eſſe, alioquin
46 quævis † cædes, quocunque tandem modo facta ſit, ordinariè punienda eſſet, id quod nemo JCtorum unquam ſtatuit. Proportio igitur in
47 puniendis delictis ſervanda eſt, ne pœna † delicto major ſit, *argumento l. ſacrilegii 6. in princ. ſup. ad l. Jul. peculat.* Quamobrem, ut homicidium commiſſum ordinaria l. Corneliæ de ſicariis
48 pœna † plecti poſſit, neceſſe eſt, ut ille ipſe occiſus ſit, de quo necando percuſſor cogitavit, ſiquidem aliter ſe res habet, ſi occiſus ſit alius, cu-

jus

jus † occidendi animum pecuſſor non habuit: 49
connexa quippe nunc ſunt animus occidendi, & ipſa cædes, nec ſola cædes attenditur, niſi in ſpecie animum ſecuta ſit.

Cæterùm ſi quis indefinitè ſibi hominem 50
† occidere propoſuiſſet, tum ſicut indefinitus fuit animus: ita cædes ſubſecuta indefinita eſt, ideoque cùm animus cædi, & cædes animo reſpondeat, meritò hoc caſu pœna ordinaria locum habet, ſicuti & illo caſu locus illi eſt, ſi quis certum hominem occidere conſtituiſſet, & illum ipſum quoque occidiſſet: quia & animus & cædes hic in unum concurrunt, quod non eſt, ſi quis animum occidendi Titium habuiſſet, nec tamen Titium, ſed Sempronium interfeciſſet. Quemadmodum igitur cædes ordinaria
pœna coërceri debet, ſi † æqualitas animi ac 51
cædis adeſt: ita viciſſim, data inæqualitate cædis atque animi, pœna ordinaria locum non habet: veruntamen quia cædes hoc caſu culpa non caret, ideo in ordinariæ pœnæ locum, ut paulò antè monui, extraordinaria ſuccedet: quod ipſum & Cephalus *in conſil. 424. n. 29. lib. 3.* tradit.

L. 57.

Gajus libro decimo octavo ad edictum provinciale.

¶ *Bona fides non patitur, ut bis idem exigatur.*

SUMMARIA.

1 *Exactum quod ſemel eſt, exigi denuò non debet.*
2 *Solutione quavis obligatio perimitur.*
3 *Obligatio plurium reorum debendi tollitur, ſi unus ex iis totum debitum ſolvat.*
4 *L. planè. 34. § ſed ſi duorum. ff. de legat. 1. conciliatur cum l. bona fides. 57. ff. h. t.*
5 *Legatum uni à duobus teſtatoribus relictum bis peti poteſt: ſecus eſt ſi ab uno teſtatore in eodem teſtamento ſæpius relictum uni fuiſſet.*
6 *L. bona fides. 57. ff. h. t. quando locus ſit?*
7 *Res eadem ex diverſis obligationibus pluries peti poteſt.*
9 *Obligationes ſingulæ ſingulas ſolutiones deſiderant.*

1 BOna fides non patitur, ut quod † ſemel exactum eſt, denuò exigatur: cùm omnis obligatio expiret, quando id, quod debetur, ſemel
2 † ſolutum eſt, teſte Juſtiniano *in princ. Inſtit. quib. mod. toll. oblig.* Quam ob cauſam quoque ſi plu-
3 res ſint † rei debendi, & unus ex his debitum ſolidum ſolvat, omnium obligatio perimitur. *§. pen. Inſti. de duob. reis ſtipul. & promitt.* Neque ob-
4 ſtat † huic *l. planè. 34. §. ſed ſi duorum. ſup. de legat. 1.* ubi eadem res legata bis peti poteſt: quia loqui-
5 tur Ulpianus eò loci de ejuſmodi re, quę à † duobus in diverſis teſtamentis uni legata fuit: quod ſi in eodem teſtamento eadem res ab eodem uni ſæpius legata fuiſſet, amplius quàm ſemel

ſemel peti illa non poſſet, quemadmodum idem Ulpianus refert *in d. l. planè. §. 1.* Ergo † regulæ huic locus eſt, quando ex una eademq́ue obligatione una eademq́ue res debetur. Nam ſi ex † diverſis obligationibus eadem res petatur, ſingulæ † obligationes ſingulas deſiderant ſolutiones. *l. fundum. 28. ſup. de novat.* 6 7 8

L. 58.

Ulpianus libro 2. Diſputationum.

¶ *Ex pœnalibus cauſis non ſolet in patrem de peculio actio dari.*

Summaria.

1 *Poteſtati alterius ſubjecti nihil proprium habere poſſunt.*

2 *Peculii adminiſtratio cur filiiſfam. à parentibus olim conceſſa ſit?*

3 *Peculii appellatione quid ſignificetur?*

4 *Peculium filiiſfam. pater pro arbitrio ſuo augere, minuere, vel prorſus adimere poteſt, modò in fraudem alterius id non faciat.*

5 *Pater obligatur ex contractu filiiſfam. cui peculium conceſſit.*

6 *Filiiſfam. delictum patrem non obligat.*

7 *Peculium filiofam. in eum finem conceſſum non eſt, ut delinqueret.*

8 *Adminiſtratione conceſſa, illicitum quid conceſſum non intelligitur.*

9 *Filiusfam. ſui delicti nomine ipſe convenitur.*

10 *Pater quando ejus delicti nomine, quod filiusfam. admiſit, conveniri poſſit.*

11 *Filiusfam. poſt litis conteſtationem mortuus patrem obligatum relinquit.*

12 *Pater obligatur, ſi filiusfam. munus publicum ſibi, præſente nec contradicente patre, demandatum malè adminiſtraverit.*

13 *Pater ex delicto filiifam. tenetur, ſi locupletior inde factus ſit.*

14 *Filiusfam. in judicio condemnatus patrem obligatum reddit.*

NOn ſine maturo priſcorum Romanorum
1 conſilio filiisfam. licèt ſub † poteſtate eſſent, atque iccirco proprium nihil habere poſſent, *per l. acquiruntur. 10. §. 1. ſup. de acquir. rerum domin.* libera tamen peculii adminiſtratio permiſ-
2 ſa fuit. Etenim ex † iſta adminiſtratione patresfam. videre potuerunt, quales aliquando filii ſui juris facti ſeſe præſtituri, quamque operam Reipub. ac ſuis navaturi eſſent.

3 Peculii autem † appellatione denotantur ea bona, quæ filiusfam. patris permiſſu à paternis rationibus ſeparata habet, deducto inde ſi quid patri debetur. *l. depoſiti. 5. §. ult. ſup. de pecul.* Pe-
4 culium † itaque ex voluntate patris totum pendet, ita quidem, ut pro ſuo arbitrio illud augere, minuere, aut prorſus adimere poſſit, dummodò in fraudem alterius id non faciat.

l. non

*l.non ſtatim.8.& l.ſumma.21.in princ.eod.*Quam ob
cauſam quoque filiusfam.† patrem ex ſuo con- 5
tractu obligat, quoniam ipſius conſenſu tacitè
contractum videtur, *per l.ſi quis cum filiofam.44.*
eod. ſecus ſe res habet in delictis, ſi † quæ filius- 6
fam. admiſit: horum namque nomine pater
de peculio conveniri non poteſt; quoniam in
hunc finem † filio peculium conceſſit, ut pe- 7
culiariter contraheret, non ut delinqueret,
quemadmodum & aliâs, conceſſa † adminiſtra- 8
tione, delictum aut illicitum quid conceſſum
non intelligitur, veluti notant Doctores *ad l.ſi*
procurator 6.§.pen.ſup.de condict.indebit. Atq; hinc
filiusfam. ſi injuriam alteri intulerit, aut da-
mnum dederit, ipſe ſui † delicti nomine conve- 9
nitur.*argumento l.1.§.ſi filiusfam.ſup.de his qui effud.*
vel dejecer. Eodemq; pertinet *§.ult.Inſtit.de noxal.*
*act.*Fit tamen † aliquando, ut ejus delicti nomi- 10
ne, quod filius admiſit, pater quoque teneatur,
veluti † ſi filius poſt litis conteſtationem mor- 11
tuus ſit. *l.tam ex contractibus.57.ſup.de judic.* Si in
munere publico, quod † patre præſente nec 12
contradicente ipſi demandatum eſt, malè ver-
ſatus ſit. *l.2.ſup.ad municipal.* ſi ex delicto filii
† pater locupletior factus ſit.*l.3.§.pen.ſup.de pe-* 13
cul. & deniq; ſi filiusfam. † in judicio condem- 14
natus ſit, quaſi judicio tum cum filiofam. con-
tractum ſit, ſicut ex Marcello refert Ulpianus *in*
d.l.3.§ idem ſcribit.

L. 59.

Ulpianus libro tertio Diſputationum.

¶ *Heredem ejuſdem poteſtatis juriſq; eſſe, cujus fuit defunctus, conſtat.*

SUMMARIA.

1 *Hereditas quid ſit?*

2 *Heres ejuſdem juris ac poteſtatis eſt, cujus defunctus fuit.*

3 *Heredis appellatio non proximum ſolùm, ſed ulteriorem quoq; heredem complectitur.*

4 *Petitio hereditatis etiam heredis heredi competit.*

5 *Heres heredis ex dolo defuncti æquè ac heres proximus conveniri poteſt.*

6 *Bonorum poſſeſſor heredis loco habetur.*

7 *Bonorum poſſeſſio agnita æquipollet adeptioni juris hereditarii.*

8 *Bonorum poſſeſſio agnoſci non poteſt eo caſu, quo nec hereditas capi poteſt.*

9 *Bonorum poſſeſſor perinde ut heres & commoda & incommoda defuncti ſubit.*

10 *Heres magiſtratus ejus nomine conveniri non poteſt, de quo magiſtratus ipſe non teneretur.*

11 *Magiſtratui imputari non debet, ſi tutores, quos initio idoneos pupillis præfecit, poſtea idonei eſſe defierint.*

12 *Heres eò loci litigare cogitur, ubi defunctus judicium accepit.*

13 Exce-

13 *Exceptio doli mali, qua defunctus ſubmovebatur, etiam heredem ipſius excludit.*

14 *Heres tenetur de eo, quod ex delicto defuncti accepit, licet poſtea id amiſerit.*

15 *L. ſi quo tempore. 41. ff. de heredit. petit. conciliatur cum l. cum Prætor. 127. ff. h. t.*

16 *Verbum* Perveniſſe *quomodo in jure accipiatur?*

17 *Perveniſſe ad heredem dicitur, quod in ejus manus venit, etiamſi confeſtim amiſſum ſit.*

18 *Perſonalia ad heredes non tranſeunt.*

CUm hereditas nihil † aliud ſit, quàm ſucceſſio in univerſum jus, quod defunctus tempore mortis habuit, teſte Juliano *in l. hereditas. 62. inf. h. t.* & Gajo in *l. nihil eſt aliud. 24. ſup. de verb. ſignif.* conſequens eſt † heredem ejuſdem poteſtatis juriſque eſſe, cujus defunctus fuit. Heredem intelligo non † proximum ſolùm, ſed & ulteriorem, quamvis per longiſſimam ſucceſſionem defuncto heres extiterit, ut refert Modeſtinus *in l. qui per ſucceſſionem. 194. inf. h. t.* Itaq; hereditatis † petitio, quæ heredi datur, heredis quoque heredi competit, *l. 3. ſup. de hered. petit.* ſic & heredis heredes ulteriores † perinde ex dolo defuncti conveniri poſſunt, atque heres proximus, *per l. heredis. 65. & l. ſciendum. 170. ſup. de verb. ſignif.* 1 2 3 4 5

Quod de herede dicitur, illud idem Ulpianus *in l. 2. ſup. de bon. poſſeſ.* ſicuti & Paulus *in l. Prætor.*

6 *tor.117.inf.h.t.* ad bonorum † poſſeſſorem accommodat: quòd Prætor eum in omni cauſa heredis loco habeat. Unde & is, qui bonorum
7 poſſeſſionem † agnovit, omnia jura hereditaria perinde ut heres conſequitur, *l.3. in princ. ſup. de bon. poſſeſ.* quò pertinet etiam *l. in pari.128.§.1.inf. h.t.* Atque hinc Ulpianus *in l. non eſt ambigen-*
8 *dum.12.§.1.ſup. de bon.poſ.* ait, bonorum † poſſeſſionem ceſſare, ubicunq; lex capere hereditatem prohibet. Heres itaque ac qui hujus loco
9 habetur, bonorum † poſſeſſor, & commoda & incommoda, quæ defuncto expectanda fuiſſent, omnia ſubit, *l. cum heres. 11.ſup. de diverſ.& temp.præſcript.* Eodemque pertinet *l. nemo plus 120. & l. qui in jus. 177. in princ.inf.h.t.* Hujus inſigne exemplum proponit Ulpianus *in l. quod ad*
10 *heredem.6.ſup.de magiſtr.conven*, ubi heres † magiſtratus conveniri non poteſt, quando ille tutores initio idoneos pupillis præfecit, licet poſtea
11 idonei eſſe deſierint; quòd hoc caſu & † ipſe magiſtratus non teneatur. Atque ex eodem
12 fundamento heres † ejus, qui Romæ judicium acceperat, Romæ defendi debet, quamvis domicilium trans mare habuerit, *l. ſi is qui, 34. ſup. de*
13 *judic.* Eademque ratio facit, ut † exceptio doli mali, qua defunctus ſubmovebatur, etiam heredi ejus obſtet. *l. ſi rem legatam. 6. ſup. de except. & l. 4. ſup. ſi quis autem. ſup. de dol. mal. & met. except.* ubi Ulpianus hoc quoque ad eum ſucceſſorem ſingularem extendit, qui cauſam lucrativam nactus eſt.

Quod

Quod enim ex delicto defuncti ad heredem pervenit, de illo conveniri heres † poteſt, et- 14
iamſi vel momento id habuerit, neque etiam locupletior inde factus ſit, *per l. cùm Prætor. 127. inf. h. t.* Neque huic adverſatur † *l. ſi quo tempore.* 15
41. ſup. de hered. petit. ubi poſſeſſor hereditatis de iis rebus, quas ſine dolo amiſit, conveniri non poteſt: quoniam † verbum *Perveniſſe* ambigu- 16
um eſt, & in petitione hereditatis quidem cum effectu accipitur de eo, quod durat, & apud poſſeſſorem hereditatis permanet, *per l. utrum autem. 23. eod.* ſed in ejuſmodi caſu, quando quæritur quatenus heres teneatur de eo, quod ex delicto defuncti ad eum pervenit, ut fit *in l. ſicuti pœna 38. ſup. h. t.* verbum *Pervenit*, intelligitur de eo quod in heredis † manus pervenit, licèt a- 17
pud ipſum non permanſerit, ſed vel prima hora conſumptum aut amiſſum ſit.

Cæterùm regulæ huic locus non eſt in iis, quæ perſonæ cohærent, veluti ſunt privilegia, uſusfructus, pacta perſonalia, & ſimilia, quæ
18 † ad heredes non extenduntur, *l. un. C. de privil. dot. l. idem in duobus. 25. §. 1. ſup. de pact. & §. pen. Inſtit. de uſufr.* Atque ab eadem hac regula eximuntur actiones pœnales, quæ adverſus heredes intentari non poſſunt, veluti *ad d. l. ſicuti pœna*, notavi.

L. 60.

Ulpianus libro 10. Diſputationum.

Sem-

§ *Semper qui non prohibet pro ſe intervenire, mandare creditur: ſed & ſi quis ratum habuerit quod geſtum eſt, obſtringitur mandati actione.*

SUMMARIA.

1 Mandatum vel expreſſum eſt, vel tacitum.
2. Mandati taciti exempla.
3 Mandatum tacitum quoq; actionem mandati parit.
4 Conſenſiſſe intelligitur, qui in ſuum commodum quid fieri videt, nec contradicit: ſecus eſt ſi in ſuum præjudicium quid fieri videat.
5 Pignus creditori ſalvum manet, etiamſi debitor ipſo ſciente nec contradicente illud alteri vendidiſſet.
6 Actio mandati ei quoq; competit, qui abſentis quidem negocium geſſit, ſed quod poſteà ab ipſo ratum fuit habitum.
7 Ratihabitio mandato comparatur, atque ad illud tempus retrotrahitur, quo negocium geri ceptum eſt.
8 Ratihabitio etiam in delictis mandato comparatur.
9 Interdicto unde vi tenetur & is, qui alterius dejectionem ratam habuit.
10 Ratum habens delictum antè commiſſum an ordinaria delicti iſtius pœna plecti poſſit?
11 Ratihabitio ut mandati actionem producat, quid requiratur.

12 Ra-

12 *Ratihabitio quando actionem negociorum geſtorum pariat?*

13 *L. ſi pupilli. 6. §. ſed ſi ego. ff. de negoc. geſt. conciliatur l. ſemper qui. 60. ff. h. t.*

14 *Ratihabitio quando mandato non comparetur?*

15 *Intellectus l. ſi quis. 25. §. juſſum. ff. de acquir. heredit.*

16 *Hereditas ſine domini juſſu adita perperam adita dicitur, quamvis dominus poſtea ratam iſtam aditionem habuerit.*

17 *Dominus invitus per ſervum lædi non poteſt.*

18 *Hereditas ſemel adita repudiari amplius non poteſt.*

19 *L. pen. ff. rem rat. haber. conciliatur cum l. ſemper qui 60. ff. h. t.*

20 *Actus ratus habendus eſt intra illud tempus quod actui expediendo deſtinatum eſt.*

21 *Bonorum poſſeſſio poſt diem centeſimum peti non poteſt.*

22 *Mandatum quando non valet, nec ratihabitio valere poterit.*

IN hac l. Ulpianus exemplo demonſtrat, mandatum non hoc ſolùm cenſe[illegible] verbis † mandatum ſignificantibus datum eſt, ſed illud quoq;, quod re ac ſilentio quis fecit. Re autem ac ſilentio † mandare intelligitur, qui præſens patitur, ut ſuo nomine in rem ſuam alius quiſpiam quid faciat vel inſtituat: veluti ſi quis pro me præſente nec prohibente interve- 1 2

niat,

niat, vel ſi ratum habeam id, quod alius mei abſentis nomine geſſit: utrobique enim, quemadmodum Ulpianus hoc loco ſtatuit, mandati a-
3 ctione obſtringor. Itaque † mandati actionem habet is, qui pro debitore præſente, nec prohibente, ſed patiente fidejuſſit: quoniam pro
4 † conſentiente habetur, qui in ſuum commodum vel favorem quid fieri videt, nec contradicit. *l. ſi remunerandi. 6. §. ſi paſſus. & l. qui patitur. 18. ſup. mandat. In ſuum commodum*, inquam, quia ſecus ſe res habet, ſi actus ejuſmodi in præjudi-
5 cium præſentis tendat: id quod exemplo † rei oppignoratæ ſciente creditore venditæ declarat Marcianus *in l. ſicut. 8. §. non videtur. ſup. quib. mod. pign. vel hypoth. ſolvit.* Eandemque mandati
6 † actionem conſequitur, qui alterius abſentis nomine quid geſſit, quod poſtmodum ab ipſo ratum eſt habitum.

7 Ratihabitio † namq; mandato comparatur, ac retrotrahitur ad illud tempus, quo quis negocium alterius gerere cœpit. *l. verò. 12. §. ult. ſup. de ſolut. & l. ult. C. ad SC. Macedon.* Idq; in delictis
8 † etiam obſervari docet Ulpianus *in l. hoc jure. 152. §. pen. inf. h. t.* Unde ſi quis nomine meo de fundi poſſeſſione quempiam dejiciat, egoque
9 dejectionem iſtam ratam habeam, † interdicto unde vi tenebor ad reſtituendam poſſeſſionem, non ſecus ac ſi ab initio dejectionem iſtam mandaſſem. *l. 1. §. ſed & ſi quod. ſup. de vi & vi armat.* quamvis Didacus Covarruvias *in Clem. ſi furio-*

furioſus.part.2.§.1.n.5.de homicid. ratihabitionem † pœna ordinaria delicti plectendam eſſe negat. 10

Cæterùm ut per † ratihabitionem mandati 11 actione obſtringar, neceſſe eſt, ut meum negocium meo quoque nomine geſtum ſit: quo tamen caſu etiam negociorum geſtorum actio competere poteſt, *per l.de eadem. ſup. de except.rei judic.* Quod ſi verò meum † negotium nomine 12 meo geſtum non fuerit, ratihabitio mea non mandati, ſed ſaltem negociorum geſtorum actionem parit, *per l. item ſi. 5. §.1. ſup. de negoc.geſt.* Eandemque actionem ratihabitio producit, ſi negocium alienum meo nomine geſtum ſit, atque ex ea geſtione etiam aliquid ad me pervenerit. *l.ſi pupilli.6 § item quæritur.& §.pen.eod.* Nam ſi geſtio iſta hoc caſu nihil lucri mihi attulit, nec ratihabitio quicquam operabitur. *d. l. ſi pupilli. §. ſed ſi ego.* Atque hoc modo ll.iſtas diſcrepantes conciliat Julius Pacius *in quæſt. 53. cent.2. ll. conciliat.* cui † conciliationi Sichardus quoq; 13 *in l.ſi pecuniam.9.n.6.C. de negoc.geſt.* haud obſcurè conſentit.

Verumenimverò l. huic adverſari videtur principium *l. quid ergo.13.ſup.de his qui not. infam.* ubi pater nuptias filiifam. cum vidua intra annum luctus contractas ratas habens infamia non notatur, quâ tamen notatur, ſi mandato ipſius nuptiæ ejuſmodi contractæ ſint, *l. liberorum.11.§.pen.eod.* Reſpondeo † ratihabitionem 14 non

non ſemper mandato æquipollere, ſed eo caſu invalidam eſſe, cùm quis comprobat id, quod ubi factum eſt, mutari non poteſt, *argumento l. ſi quis extraneus. 21. §. 1. ſup. de acquir. vel omittend. hered.* cùm igitur pater nuptias filii jam contractas ut maximè velit, mutare tamen non poſſit: inde factum eſt, ut nec infamia eum hoc caſu jura notatum voluerint.

15 Deinde cum hac l. pugnare † videtur principium *l. qui in aliena. 6. & l. ſi quis. 25. §. juſſum. eod.* ubi hereditas à ſervo ſine domini juſſu adita perpe-
16 ram adita dicitur, etiamſi dominus † poſtea aditionem iſtam ratam habeat. Reſpondeo, id
17 fieri propterea, ne dominus † invitus per ſervum lædatur: quòd ſi enim in manu ſervi eſſet hereditatem inconſulto domino adire, utique etiam aditione iſta dominum invitum æri alieno, ſi fortè damnoſa eſſet hereditas, obligare
18 poſſet: præſertim cùm conſtet † hereditatem ſemel aditam repudiari amplius non poſſe. *§. extraneis autem. Inſtit. de hered. qualit. & differ.*

19 Denique l. huic † non obſtat *l. pen. ſup. rat. rem haber.* ubi is, cujus nomine bonorum poſſeſſio petita fuit, petitionem iſtam poſt diem centeſimum ratam habere non poteſt: quoniam actus
20 † ratus habendus eſt intra illud tempus, quod actui iſti expediendo deſtinatum eſt: cùm igitur poſt diem centeſimum nec peti bonorum
21 † poſſeſſio poſſit, mirum non eſt, ſi nec rata poſt illud tempus haberi queat. Ratihabitio enim

enim nihil habet amplius, quàm ut mandato comparetur, ubi ergo mandatum † valere non 11
potuit, ibi nec ratihabitio alicujus momenti erit.

L. 61.

Ulpianus libro tertio opinionum.

¶ *Domum ſuam reficere unicuiq; licet, dum non officiat invito alteri, in quo jus non habet.*

Summaria.

1 *AEdificandi jus à jure reficiendi differt.*

2 *AEdificare quis in ſuo etiam invito vicino poteſt.*

3 *Reficere quis ſuum ita demum poteſt, ſi alteri, adverſus quem ſervitutem non habet, refectio iſta non noceat.*

4 *Reficere eſt corruptum in priſtinum ſtatum reponere.*

5 *Servitutem adverſus vicinum qui habet, tam reficere quàm de novo extruere ædes poteſt, licet vicinus damnum inde patiatur.*

6 *Tignum in vicini ædes immiſſum etiam invito vicino eximi ac reparari poteſt.*

7 *Damnum dare non dicitur, qui jure ſuo utitur.*

8 *Servitutem altius non tollendi vel luminibus non officiendi qui habet, hoc juris habet, ne ipſo invito vicinus ædificare poſſit.*

9 *AEdificiorũ altitudo ac forma in ædificando excedi non poteſt, quando illa civitatis lege definita eſt.*

10 *AEdificiorum formam Imp. Trajanus Romanis præſcripſit.*

1 JUs ædificandi † à jure reficiẽdi ſive reſtaurandi diſtat. Nam ædificandi jus publicum eſt, atque hinc unicuique in ſuo ædes extruere etiam
2 † invito vicino licet: ex regula videlicet naturæ, quâ quilibet jure ſuo quidvis in ſuo facere poteſt, quamvis alteri inde damnum detur, *per l. cum eo. 9. ſup. de ſervit. præd urban. & l. altius. 8. C. de ſervit. & aq.* verùm jus reficiendi ſtrictius eſt,
3 quoniam † reficere ita demum licet, ſi alteri invito, adverſus quem jus, hoc eſt ſervitus non eſt, refectione iſta non noceatur. Neque enim ratio patitur, ut cum incommodo vicini producatur, aut deprimatur id, quod ſuum ſtatum accepit, nec niſi refectione indiget: id quod & verbum *reficiendi* ſatis innuit: ſiquidem reficere
4 † eſt corruptum ſtatum reſtaurare. *l. 3. §. pen. ſup. de itin. act. privat. & l. 1. §. deinde. ſup. de rivis.*

5 Cæterùm qui ſervitutem † à vicino ſibi debitam habet, is tam reficere, quàm de novo ædificare poteſt, quantumvis vicino invito noceat: veluti ſi ædes habeat, ex quibus tignum in vicini parietem immiſſum ſit, tignum illud, ſi
6 † refectionem deſideret, etiam invito vicino, cujus paries eſt, eximere, atque in ejus locum aliud novum immittere, ſicque ædes ſuas pro ſervitutis illius jure etiam cum vicini jactura reſtaurare poteſt, *argumento l. hac autem. 6. in fin. ſup.*

de ſer-

de ſervit. præd. urban. Ejusque ratio eſt, quòd damnum dare † non cenſeatur, qui jure ſuo utitur, quemadmodum notavi ad *l. nullus 55. ſup. h. t.* 7
Quod de jure ædificandi modò dixi, illud eatenus verum eſt, quatenus vicino ſervitus quæſita non eſt. Si enim ſervitutem † altius non tollendi, vel luminibus non officiendi vicinus àdeptus ſit, ipſo invito ædificare jus non eſt. Quemadmodum & eo caſu, quando certa forma & altitudo † ædificiorum lege civitatis definita eſt, formam atque altitudinem iſtam in ædificando, non niſi venia impetrata, excedere licet, *per l. qui luminibus. 11. in pr. ſup. de ſervit. præd. urban.* cujuſmodi formam Romanis ab Imp. Trajano † præſcriptam fuiſſe Sext. Aurelius Victor in ejus vita ſcribit. Quò referri quoque poſſunt ea, quæ And. Geil. *in obſ. 69. lib. 2. practic. obſervat.* tradit.
8
9
10

L. 62.

Julianus libro ſexto Digeſtorum.

§ *Hereditas nihil aliud eſt, quàm ſucceſſio in univerſum jus, quod defunctus habuit.*

Summaria.

1 *L. hereditas. 62. ff. h. t. an ad regulas juris pertineat?*
2 *Definitiones quoq; regulæ nuncupari poſſunt.*
3 *Hereditatis definitio cur in duobus ffſtorum titulis de verb. ſignif. & Reg. jur. iiſdē verbis expreſſa ſit?*

4 *Hereditatis definitio.*

5 *Juris vocabulum quid in hereditatis definitione ſignificet?*

6 *Defuncti & commoda & incommoda in hereditatis definitione juris vocabulo denotantur.*

7 *Heres quando jure defuncti potiatur?*

8 *Heres præter onera, quibus defunctus obſtrictus fuit, ferre tenetur etiam illa onera, quæ defunctus peculiariter heredi injunxit.*

9 *Æs alienum à defuncto contractum heres ſolvere tenetur.*

10 *Heres ex conſtitutione Juſtiniani ultra vires hereditarias non tenetur, ſi inventarium fecerit.*

11 *Legatariis inventario ab herede confecto legata integra præſtanda non ſunt eo caſu, quando bona teſtatoris erogandis legatis non ſufficiunt.*

12 *Venditor hereditatis ab ſe aditæ de evictione non tenetur, ſi res quædam ſingulares ex iſta hereditate evictæ ſint.*

13 *Hereditas eſt nomen juris.*

14 *Jus incorporale ſubſiſtit, etiamſi res quædam corporales ſub illo jure contentæ perierint.*

15 *Hereditatis definitio à JCtis tradita, cur à Joh. Mercerio impugnetur.*

16 *Heredi non omnia ſemper cedunt, quæ defunctus habuit.*

17 *Legata nonnunquam recta via à teſtatore in legatarium transferuntur.*

18 *Hereditatis definitio adverſus Joh. Mercerium defenditur.*

19 *Defuncti jus univerſum in heredem ex tempore hereditatis adita tranſlatum dicitur, quamvis bona hereditaria ſolvendo non ſint.*

20 *Legata quinám regulariter præſtare teneatur?*

21 *Heres etiam in quota bonorum inſtitutus, univerſi juris, quod defunctus habuit, ſucceſſor dicitur.*

22 *Heres factum defuncti impugnare non poteſt.*

23 *Heres eadem perſona eſt cum defuncto.*

24 *Hereditatis definitio à quibus expoſita ſit?*

CUjacius in procemio hujus tit. præſentem hanc l. ex ea ratione, quòd definitionem † duntaxat hereditatis continet, iſtis annumerat ll. quæ neq; regulam conſtituant, neque ad regulas Juris pertineant. Quod ipſum mihi non placet, quoniam & definitiones † regulæ ſunt, & regula *in l. omnis definitio. 202. inf. h. t.* ex plerorumq; juris interpretum ſententia definitio nuncupatur. Nec quenquam movere debet, quòd hereditatis † definitio, quam Julianus hoc loco tradit, iiſdem verbis à Gajo expreſſa reperitur. *in l. nihil eſt aliud 24. ſup. de verb. ſignif.* ſiquidem definitio hæc in hunc finem ſub hoc tit. collocata eſt, ut ſciri poſſit, quid ac quantum juris heres adeundo hereditatem cõſequatur. Verùm in titulo proximè præcedente *de verb. ſignific.* eadem hæc definitio propterea poſita eſt, ut ejus, quam apud JCtos habet, ſignificatio conſtaret.

1 2 3

Hereditas igitur, ex mente tam Gaji quàm
4 Juliani, nihil † eſt aliud, quàm ſucceſſio in univerſum jus, quod defunctus habuit. *Juris* voca-
5 bulum † hoc loco accipi debet non ſolùm de illo jure, quod defunctus in alios habuit, ſed quo ipſe quoq; aliis obſtrictus fuit. Nam omnia
6 & commoda † & incommoda defuncti *Juris* vocabulo hìc denotantur, veluti interpretatur Ulpianus *in princ. l. 3. ſup. de bonor. poſſeſſ.* Heres itaque ſimulac hereditatem adierit, non modò dominium iſtarum rerum, quæ in patrimonio
7 † defuncti fuerunt, actionesque, quas defunctus adverſus alios habuit: ſed onera quoque
8 nanciſcitur, quibus vel ipſe † tenebatur, vel heredes ſuos obſtrinxerat, *per l. heres in omne. 37. ſup. de acquir. vel omittend. hereditat. & l. cum heres. 11. ſup. de diverſ. temporal. præſcript.*

9 Quam ob cauſam etiam heres † æs alienum à defuncto contractum ſolvere tenetur, etiamſi hereditas ſolvendo non ſit, teſte Africano *in fine l. quæ dotis. 33. ſup. ſolut. matrim. quemad. dos petat.* cui conſentiunt Impp. Diocletianus & Maximianus *in l. ſi te bonis. 10. C. de jur. deliber.* quamvis
10 ex † conſtitutione Imp. Juſtiniani heres tum demum ultra vires hereditatis teneatur, ſi inventarium conficere neglexerit, quemadmodum evincit *l. ult. §. ſin verò poſtquam. 12. C. eod.* ſi-
11 cuti etiam legatariis eo caſu, quando † inventarium non fecit, integra legata præſtare tenetur, licet teſtatoris facultates univerſæ abſumptæ ſint,

jur-, veluti videre eſt *cap.2. Novellæ 1. §. ſi verò non fecerit.*

Eandemq́ue ob cauſam is, qui hereditatem † ab ſe aditam ſimpliciter vendidit, nulla facta 12 mentione hujus vel illius rei, quæ in iſta hereditate ſit, de evictione non tenetur, ſi hæc vel illa res ſingularis poſtea evicta fuerit, *argumento l.2. in pr. ſup. de hered. vel action. vendit.* Etenim † he- 13 reditas, teſte Pomponio *in l. hereditatis. 119. ſup. de verb. ſignif.* nomen juris eſt, quod utique † ſub- 14 ſiſtit, etiamſi hæc vel illa res amiſſa ſit, ſicut tradit Sichardus *in l.1. n.4.5. & 14. C. de evictiom.*

Unde & hoc intelligi poteſt, prædictam hereditatis † definitionem à Joh. Mercerio *in* 15 *cap.13. lib.2. opinionum.* perperam impugnari hoc nomine, quòd multa ſint, quæ à teſtatore † ad 16 heredem non tranſeant, qualia ſint legata, quæ ſæpius recta via † legatario cedunt, ſic, ut nun- 17 quam heredis facta cenſeantur, ſed à teſtatore, qui legavit, ad eum, cui legata ſunt, directò trāsferantur, *l. legatum ita. 80. ſup. de legat. 2. & l. à Titio. 64. ſup. de furt.* Etſi † enim in ejuſmodi rebus ſin- 18 gularibus alteri legatis, quorum jure defunctus ipſe quodammodo tempore mortis ſeſe abdicatũ voluit, nihil juris heres habeat: † univerſum 19 tamen jus, quod à defuncto in heredem tranſit, imminutum propterea dici non poteſt: quia jus hereditatis incorporale eſt, atque ſubſiſtit, etiamſi in bonis nihil ſit. *§. pen. Inſtit. de reb. corpor. & incorpor.* proinde jus hoc ſingularum rerum

commoda, quæ defunctus tempore vitę ſuę habuit, ſolùm non reſpicit, ſed cōplectitur vel maximè incommoda ſive onera, quibus defun-
20 ctus & obſtrictus fuit, & heredem quoq; † ſuum obſtrictum voluit, fortè dum legatum alteri ab ipſo præſtandum reliquit, *per l. 2. C. ad SC. Trebell.* quò apprimè quoque faciunt ea, quæ notat Zaſius *in §. actionum autem. n. 77. & in §. ſeq. n. 22. Inſtit. de actionib.* Hinc heres univerſi juris, quod defunctus habuit, ſucceſſor dicitur,
21 quamvis † in quota bonorum inſtitutus ſit, quemadmodum docet Menochius *in remed. adipiſcend. poſſeſ. 4. quæſt. 17. n. 114. per l. quoties. 13. ubi* Sichardus *n. 5. & 6. C. de heredib. inſtituend.* Quæ
22 cauſa etiam eſt, quòd heres † in quacunque parte inſtitutus ſit, factum defuncti impugnare non poſſit, *per l. cùm à matre. 14. C. de re. vendic.*

Quin & ex fundamento hujus definitionis
23 illa quoq; promanavit regula, quòd heres † eadem cum defuncto perſona eſſe cenſetur: quam regulam ponit Imp. Juſtinianus *in principio Novellæ 48.* eamque præter alios quoque tradunt Sichardus *ad rubric. C. de heredit. action. n. 2.* Zaſius *ad §. item Serviana. n. 34. Inſtit. de action.* & Menochius *lib. 2. de arbitr. judic. quæſt. caſ. 560. n. 19.* Cum quibus conjungi poſſunt ea, quæ de eadem
24 hereditatis † definitione eruditè ſcripta ſunt à Franciſ. Duareno *in cap. 1. tit. de acquir. vel omittend. hered. & in cap. 4. tit. ſi quis omiſſ. cauſ. teſtam. ab inteſtat.*

inteſtat. vel al. mod. hered. poßid. Hug. Donello *in cap. 2. libri 6. commentar. de jur. civil.* & à Valent. Forſtero *in cap. 1. & 2 libri 2. de ſucceß.*

L. 63.

Julianus libro 17. Digeſtorum.

¶ *Qui ſine dolo malo ad judicium provocat, non videtur moram facere.*

SUMMARIA.

1 *Mora quomodo definiri poßit?*
2 *Creditor aquè ac debitor moram committere poteſt.*
3 *Mora in re fieri quando dicatur?*
4 *Mora, quæ in re fieri dicitur, in cujus debitoris odium inducta ſit?*
5 *Creditoris favore quando mora fieri dicatur?*
6 *Mora in perſona fieri quando dicatur?*
7 *Intellectus l. mora 32. ff. de uſur.*
8 *Mora facta non dicitur, niſi culpa aut creditoris aut debitoris intervenerit.*
9 *Dilatio ex juſta cauſa facta moram non inducit.*
10 *Provocatio ad judicium ſi abſq; dolo malo fiat, moram non inducit.*
11 *Debitum liquidum eſſe qui negat, ad judicium jure provocat.*
12 *Exceptionem pro ſe qui habet, jure ad judicium provocat.*
13 *Mora nulla fit, ubi nulla petitio eſt.*

14 *Solutionis differendæ cauſam juſtam habet; qui neſcit cui, aut ex qua cauſa debitum ſolvi debeat.*

15 *Moram non facit, qui ignorat quantum ſolvere debeat.*

16 *Morator in l. non poteſt. 99. h. t. per vocem* Improbus *denotatur.*

17 *Solutionis differendæ cauſam juſtam qui habet, nec uſuras, nec caſum fortuitum præſtare tenetur.*

1 MOra eſt ſolvendi † accipiendive debiti injuſta dilatio: quomodo Cujacius ferè illam definit *in l. ſi ex legati. 23. ſup. de verb. oblig.* eſtque hæc definitio ita comparata, ut & creditori & debitori competat. Neque enim ex parte
2 † debitoris ſolùm mora fit, quando videlicet opportuno tempore ac loco creditori non ſolvit id, quod ſolvere & debuit & potuit: ſed etiam ex parte creditoris, quando ſolutionem ritè à debitore oblatam ſine legitima cauſa accipere detrectat; *per l. ſi ſoluturus. 39. & l. qui decem. 72. in princ. ſup. de ſolut.*

Fit autem mora vel in re, vel in perſona. Mo-
3 ra in † re fieri dicitur, quando res ipſa ſine ulla interpellatione moratorem facit, id eſt, quando mora fit hoc ipſo, quòd res à debitore non ſolvitur, quamvis à nullo is interpellatus ſit.
4 Cujuſmodi mora † potiſſimùm inducta eſt vel debitoris odio, ſi videlicet pecus alterius iſte abege-

abegerit, vel aliam quampiam rem alienam rapuerit, *per l. pen. ſup. de vi & vi armat. & l. ult. C. de condict. ob turp. cauſ.* vel creditoris † favore, ſi ni- 5
mium Eccleſiæ, Reipub. vel minori quid debeatur: utrobique enim in re, hoc eſt, ex ipſo tempore tardæ ſolutionis mora committitur, veluti videre eſt *ex l. cùm verò 26. §. 1. ſup. de fideic. libert. & l. 3. C. in quib. cauſ. in integ. reſtit. neceſſ. non eſt.*

In perſona † mora fieri dicitur, quæ fit per 6
interpellationem, quando videlicet debitor opportuno tempore ac loco interpellatus debitum non ſolvit, aut creditor de acceptione debiti ritè compellatus illud accipere detrectat, *l. mora. 32. ſup. de uſur.*

Neque † prædictis obſtat, quod *in principio l.* 7
modò dicta Marcianus ſcribit, moram ex re non fieri: quoniam nihil aliud eò loci Marcianus ſibi vult, quàm quod ex eo, quod debitum non
ſolvitur, mora † non fiat, niſi culpa perſonæ 8
acceſſerit, hoc eſt, niſi aut debitor ſolutionem, aut creditor acceptionem debiti ſine juſta cauſa diſtulerit. Quod ſi enim dilatio iſta † ex juſta 9
cauſa facta fuerit, mora commiſſa non dicetur, *l. ſciendum 21. ſup. de uſur.*

Atque hinc eſt, quòd Julianus hîc ait, mo-
ram facere eum non videri, qui ſine † dolo ma- 10
lo ad judicium provocat. Quod ipſum refert etiam Paulus *in principio l. ſi quis. 24. ſup. de uſur.* Juſtam verò ad judicium provocandi, atque hinc diffe-

11 differendæ ſolutionis cauſam habet, qui † de-
12 bitum liquidum eſſe negat: aut exceptione † a-
liqua tutus eſt, *per l. nulla intelligitur. 88. inf. h.t.* ubi
13 Scævola ait, nullam intelligi † moram ibi fieri,
ubi nulla petitio ſive actio eſt, vel ejuſmodi a-
ctio, quæ exceptione elidi poſſit, *l. nihil intereſt.*
112. inf. h. t. ejusque exemplum eſt *in l. ſi pupillus*
14 *127. ſup. de verb. obligat.* ſic & juſtam † cauſam ha-
bet heres, qui neſcit, cui, vel ex qua cauſa debi-
tum ſolvendum ſit, *argumento l. ſi quis inficiatus. 13.*
in pr. ſup. depoſ. & l. qui in alterius. 42. in pr. ſup. h.t. aut
15 † qui ignorat, quantum ſolvere, vel ſi creditor
ſit, accipere debeat, *per l. non poteſt. 99. inf. h.t.* ubi
16 Venulejus per vocem *Improbus*, † moratorem
denotat. Atque exemplum *d. l. non poteſt.* inſigne
extat *in l. ſi reſiduum. 5. C. de diſtract. pignor.* Qui hu-
17 juſmodi vel ſimilem † juſtam cauſam prætexere poteſt, is à mora excuſatur, ac proinde nec ad uſuras, nec ſi res petita interea fortuitò perierit, ad fortuiti iſtius caſus præſtationem tenetur, *per l. cùm filiusfam. 49. §. ult. ſup. de verb. obligat.*

L. 64.

Julianus libro 29. Digeſtorum.

¶ *Ea quæ rarò accidunt, non temerè in agendis negotiis computantur.*

SUMMARIA.

1 *L. ea quæ rarò. 64. ff. h.t. non uno modo ab interpretibus exponitur.*

2 *Rarò*

2 *Rarò quæ accidunt in caſu dubio an attendi debeant?*

3 *Leges in dubio inſpici volunt id, quod plerunq; fieri ſolet.*

4 *Contrahentes id potiſſimum ſpectaſſe cenſentur, quod rarò non evenit.*

5 *Legumlatores in ſuis ll. conſideraſſe non videntur ea, quæ rarò contingunt.*

6 *Mulier prægnans veriſimiliter plures quàm tres liberos una vice non parit.*

7 *Mater ad tutelam liberorum impuberum admittitur, quamvis juratò ſecundis nuptiis non renunciârit.*

8 *Perjuriis feneſtra aperienda non eſt.*

9 *Dictio* temerè *quid ſignificet?*

10 *L. ea quæ rarò. 64. ff. h. t. aliter explicatur, quàm hactenus ab Interpretibus juris explicata fuit.*

11 *Contrahentes ſoliciti eſſe debent etiam de iis caſibus, qui rarò eveniunt.*

12 *Lites multæ præcaventur ab iis, qui in contractibus ac negociis ineundis de caſibus vel rariſſimè contingentibus quid certi ſtatuunt.*

13 *Leges etiam eorum, quæ rarò accidunt, rationem aliquando habent.*

HUjus l. ſententia † eodem modo ab interpretibus non exponitur. Sunt qui illius hunc ſenſum eſſe arbitrantur, quòd in agendis negociis, ſi quod † dubium occurrerit, temerè attendi non debeant ea, quæ rarò accidunt, præ- 1 2

3 præſertim cùm in † obſcuris leges potius in-
ſpici velint id, quod plerunq; fieri ſolet, *per l. in
obſcuris. 114. inf. h. t.* cujuſmodi interpretatio pa-
rum diſſentit ab iis, qui hanc l. hoc ſibi velle a-
4 junt, quòd † in contractibus ac quibuſcunque
5 aliis negociis peragendis perinde ut in † feren-
dis ll. non facilè habeatur ratio illorum, quæ ra-
rò accidunt, *per l. 3. & aliquot ſeqq. ſup. de legib.* e-
juſq; exemplum ſumunt *ex l. 3. ſup. ſi pars hered.
pet.* ubi filio ſuperſtiti quarta pars bonorum pa-
ternorum aſſignatur eo caſu, quando pater de-
functus uxorem prægnantem reliquit: quòd
6 veriſimile † non ſit eam plures quàm tres libe-
ros parituram eſſe. Simile exemplum & Ferra-
rius & Cujacius hîc adducunt *ex Novell. 94.* ubi
7 Imp. Juſtinianus matrem † ad tutelam libero-
rum impuberum vult admitti, etiamſi jureju-
rando iterum ſeſe nupturam haud eſſe non af-
firmârit: quòd rarò hujuſmodi jusjurandum
8 fœminæ ſervare ſoleant, nec feneſtra † perju-
rlis aperienda ſit. Utraque præſentis hujus l. in-
terpretatio vera quidem eſt: ſed tamen verbis
illius, ut mea fert opinio, ſatis non congruit.
Prior enim, quæ dubii incidentis meminit, di-
vinatione nititur: Poſterior ſignificationem
vocis *Temerè* quæ in hac l. ponitur, non expri-
9 mit: quia *Temerè*, idem † eſt, quod inconſultè ac
ſine ratione, neq; ullam aliam apud Latinos ſi-
gnificationem habet.

Hoc poſito, atque divinatione etiam omiſſa

gen-

genuinum † hujus l.ſenſum eſſe opinor, quòd 10
contrahentes in agendis negotiis † non incon- 11
ſultè computent ac ponderent eos quoque caſus, qui raro accidunt. Etenim quotidiana experientia docet, non paucas præcaveri lites † in 12
ejuſmodi contractibus & negociis, in quibus iſti etiam caſus, qui rariſſimè quidem eveniunt, ſed tamen evenire poſſunt, à contrahentibus prævisi atque accuratè deciſi ſunt. Neque novum eſt, ut in ll. quoque eorum habeatur ratio, quæ raro † accidunt, ſicuti videre eſt *ex l. quæ-* 13
ritur. 10. ſup. de ſtat. homin. l. quod dicitur. 12. ſup. de liber. & poſth. hered. inſtit. & l. ſi major. 12. C. de legit. hered.

L. 65.

Julianus libro 54. Digeſtorum.

¶ *Ea eſt natura cavillationis, quam Græci σωρείτην appellant, ut ab evidenter veris per breviſſimas mutationes diſputatio ad ea, quæ evidenter falſa ſunt, perducatur.*

SUMMARIA.

1 *Sorites an rectè à JCtis cavillatio dicatur?*
2 *Soriten quando Logici probent?*
3 *L. ea eſt natura. 65. ff. h. t. lectio vulgata corrigenda videtur.*
4 *Sacræ res in nullius bonis ſunt.*
5 *Occupanti cedit quod nullius eſt.*

6 Nul-

6 *Nullius eſſe in bonis, quomodo in jure accipiatur?*
7 *Mutationes breviſſima in Sorite quid ſignificent?*
8 *Beſtiæ feræ nullius ſunt.*
9 *Volucres occupanti cedunt.*
10 *Heres eſt ſucceſſor univerſalis.*
11 *Legatarius eſt ſucceſſor ſingularis.*
12 *Diſputatio quomodo ab evidentis veris ad evidenter falſa gradatim deducatur?*
13 *Succeſſor univerſalis in quo à ſingulari ſucceſſore differat?*

EAdem hæc l. quæ Juliano hîc adſcribitur, iiſdem verbis aſſignatur Ulpiano *in l. natura.177. ſup. de verb. ſignif.* Mirum autem haud abs re videri cuipiam poſſit, cur uterque ſoriten
1 † cavillationem appellet, eique hoc tribuat, quòd diſputationem ab evidenter veris per breviſſimas mutationes perducat ad ea, quæ e-
2 videnter falſa ſunt: cùm tamen † ex Logicis conſtet, non omnem ſoritem vitioſum eſſe, ſed ex affirmativis illos valere, in quibus vocabula neceſſariò ut ſpecies, genera, differentiæ, ac propria cohærent, vel cauſis per ſe ac propriis proprii effectus attexuntur. Unde moveor, ut
3 † exiſtimem pro voce σωρείτην legendum eſſe σόφισμα, quæ lectio quoque in antiquis nonnullis codicibus reperitur. Sed quoquo modo hæc ſeſe habeant, præſentem hanc regulam Bulga-
4 rus hujuſmodi exemplo illuſtrat: Res † ſacræ nullius ſunt in bonis. Quod nullius eſt in bonis,

nis, occupanti † conceditur. Ergo res ſacræ oc- 5
cupanti conceduntur. Cavillationem parit † 6
particula, *Nullius eſt in bonis*, quæ in propoſitione accipitur de re, commercio hominum exempta: ſed in aſſumptione de ejuſmodi re, quæ in hominum quidem commercio eſt, verùm domino ac poſſeſſore vacat, atq; hinc occupanti cedit.

Verumenimverò propoſitum exemplum non convenit Soriti, de quo Julianus hoc loco loquitur, quoniam in illo † breviſſimæ mutati- 7
ones, ſive, ut Cicero eas nuncupat, argutæ interrogatiunculæ gradatim ſtructæ nullæ fiunt, ſed ſola homonymia ſoriten vitiat. Itaque ad hanc regulam magis quadrabit illud, ſi hoc modo formetur: Res ſacræ ſuntné nullius? ſic ſanè. Sed nónne & feræ † beſtiæ nullius ſunt? 8
Certè. Feræ beſtiæ autem † occupanti conce- 9
duntur? Ita. Et volucres occupanti conceduntur? Rectè. Volucres igitur nullius ſunt? Sic certè. Ergo & ſacræ res occupanti conceduntur, quia nullius ſunt. Tale eſt & illud quod inter cætera Cujacius *in tract. 5. ad Africanum. ſuper l. qui quadraginta. 88. ſup. ad l. Falcid.* tradit. Heres † eſtné ſucceſſor? Certè. Quid verò, nónne † & 10
legatarius eſt ſucceſſor? Sic ſanè. Titius autem 11
eſt legatarius. Ita: & ſucceſſor igitur? Rectè. Denique & heres, quia ſucceſſor. Hoc modo diſputatio ab evidenter † veris ad evidenter falſa 12
gradatim deducitur: quoniam ex eo, quod ſuc-

ceſſor quis eſt, protinus non ſequitur, eum heredem eſſe: cùm ſucceſſores unius generis non ſint, ſed ab univerſalibus, quales ſunt heredes ac bonorum poſſeſſores, ſucceſſores ſingulares, in quorum numero ſunt legatarii, longè
15 diſtent: ſiquidem hi rei, illi juris † ſucceſſores exiſtunt, *l. quædam ſunt. 9. §. 1. ſup. de edend. & l. ait Prætor. 7. §. ult. cum l. ſeq. ſup. de jurejur.*

L. 66.

Julianus libro ſexageſimo Digeſtorum.

§ *Marcellus ait, deſinit debitor eſſe is, qui nactus eſt exceptionem juſtam, nec ab æquitate naturali abhorrentem.*

Summaria.

1 *Debitor propriè non eſt, qui agentem exceptione ſubmovere poteſt.*

2 *Creditor propriè non eſt, qui exceptione repelli poteſt.*

3 *Actionem habere non cenſetur, qui talem actionem habet, quæ exceptione elidi poteſt.*

4 *Exceptio ea demum debitum excludit, quæ cum æquitate naturali congruit.*

5 *Exceptio SCti Macedoniani odio fœneratorum inducta eſt.*

6 *Exceptio SCti Macedoniani ejus efficacia nõ eſt, ut filiusfam. qui mutuũ accepit, debitor eſſe deſinat.*

7. Po-

7 *Pecunia à filiofam. contra SCtum Macedonianum mutuo accepta, & per errorem ſoluta repeti non poteſt.*

8 *Exceptio rei judicatæ æquitati naturali non convenit.*

9 *Judicatum obligationem naturalem non perimit.*

10 *Judicatum repeti non poteſt, ſi ſolutum fuerit.*

DEbitor in jure † is propriè non dicitur, qui 1
exceptionem habet, qua agentem vel perpetuò, vel ad tempus ſaltem repellere poſſit, veluti Julianus hic ex Marcello haud obſcurè notat. Cui conſequens eſt, creditorem quoque
† propriè illum non eſſe, cui creditum petenti 2
juſta aliqua exceptio opponi poteſt, quemadmodum notavi ad *l. non videtur 13. n. 20. ſup. h.t. per l. creditor. 55. ſup. de verb. ſignif.* cum qua l. quæ Paulo adſcribitur, haud obſcurè quoque facit Ulpianus in *l. is cui. 42. §. 1. ſup. de oblig. & act.* Etenim paria ſunt ipſo jure † quis actionem non 3
habeat, aut habeat eam, quæ per exceptionem infirmari poſſit, veluti refert Paulus in *l. nihil intereſt. 112. inf. h.t.* quam ſub finem *d. l. non videtur.* paulò plenius explicui: cui explicationi in præſenti hoc addendum eſt, quòd exceptionem, cujus hic fit mentio, ſic comparatam eſſe oporteat, ne æquitate † naturali illa abhorreat. Ita- 4
que is, cui exceptio SCti Macedoniani competit, revera debitor eſſe non deſinit, quoniam exceptio hæc ab æquitate naturali abhorret,

 cùm

5 cùm odio † fœneratorum duntaxat inducta ſit,
neque efficere poſſit, ut filiusfam. qui pecuni-
6 am † mutuam accepit, jure naturali liberatus
cenſeri queat, antè, quàm pecuniam acceptam
ſolverit. Quam ob cauſam quoque nec filius-
fam.nec ipſius pater debitum hujuſmodi, ſi per
7 † errorem illud ſolverit, repetere poteſt, quia
ſolvit, quod naturâ debuit. *per l. qui exceptionem.
40.in princ.ſup.de condict.indebit. & l. ſed ſi paterſam.
9.§.pen.& ult.ſup. de SCto Macedon.* Eadem ratio
8 eſt exceptionis † rei judicatæ: quoniam res ju-
9 dicata quoque naturalem obligationem † non
10 perimit, ac proinde judicatum ſi ſolutum † fu-
erit, repeti non poteſt, teſte Ulpiano *in l. pen.§.
ult.ſup.quod quiſq. jur.in al.ſtat.* cui Paulus quoque
*in l.judex.28. & in princ l. Julianus. 60.ſup. de condict.
indeb.* conſentit.

L. 67.

Julianus libro 87. Digeſtorum.

¶ *Quoties idem ſermo duas ſententias exprimit, ea potiſſimùm excipiatur, quæ rei gerendæ aptior eſt.*

Summaria.

1 *Latinæ linguæ penuria.*
2 *Negocia plura ſunt, quàm vocabula.*
3 *Cicero Latinitatis princeps.*

4 Vo-

4 *Vocabulum polyſimon, quo videlicet uno, plures eademq́; diverſa res ſignificantur, in eo ſenſu accipiendum eſt, qui rei gerendæ magis convenit.*

5 *Vocabula in quibuſvis negociis ita interpretanda ſunt, ut actus potius valeat, quàm pereat.*

6 *Verba ſecundum ſubjectam materiam intelligi debent.*

7 *Penſio, quam dominus ob ſterilitatem unius anni colono donavit, ſequentibus annis, in quibus meſſes frugiferæ ſunt, nihilominus exigi poteſt.*

8 *Donationis verbum non ſemper donationem inducit.*

9 *Sterilitas unius anni cum ubertate ſequentium annorum compenſari debet.*

10 *Verba actionis intentatæ ſi dubia fuerint, pro Actore interpretanda ſunt.*

LIngua latina † ita dives non eſt, ut ſingu- 1
lis rebus ac negociis ſingula habeat indita
† vocabula: ſiquidem naturâ rerum, ut loqui- 2
tur Ulpianus *in l.4. ſup. de præſcript. verb.* conditum
eſt, ut plura ſint negocia, quàm vocabula, quod
ipſum quoque ipſe Latinitatis † princeps Cice- 3
ro *in principio lib.3. de finib. bonor. & mal.* non diffi-
tetur, adeoq; experientia quotidiana compro-
bat.

Hinc quæſitum eſt, ſi uſus quis ſit vocabulo, quo uno eodemq́ue res diverſæ ſignificantur, quo ſenſu illud in jure accipi debeat? Julianus in hac præſente l. reſpondet, eum ſenſum hoc

4 caſu † accipiendum eſſe, qui rei gerendæ aptior ſit. Quibus verbis nihil aliud Julianus innuit, quàm quòd in omnibus actibus & negociis quævis vocabula regulariter ſic interpretanda
5 ſint, ut res de qua agitur, in tuto ſit, ac † negocium potius valeat, quàm pereat, *per l. quoties. 13. & l. ubi eſt. 22. ſup. de reb. dub.* cum quibus congruit etiam *l. quoties. 80. ſup. de verb. oblig.* Atque huc pertinet quod Ulpianus *in l. Imperator. 16. ſup. de in diem addict.* quævis verba ſecundum ſubjectam
6 † materiam vult intelligi, ita nimirum, ut cujuslibet contractus naturæ conveniant. Cujus egregium exemplum extat *in l. ex conducto. 15. §. Papinianus. ſup. locat.* ubi dominus, qui colono pé-
7 ſionem † præſentis anni ob ſterilitatem donavit, non impeditur, quò minus ſequentibus annis, quibus ubertas contigit, penſionem remiſ-
8 ſam exigere poſſit. Etſi enim donationis † verbo uſus eſt, illo tamen tranſigendi potius quàm donandi animo uſus fuiſſe intelligitur: quod ex natura locationis in hujuſmodi caſu petitio penſionis tantiſper differri ſoleat, dum ſterilitas
9 cum † ubertate ſequentium annorum compenſetur.

Atque ex eadem hac regula Cujacius evincit
10 pro Actore † interpretationem faciendam eſſe, ſi verbis ille ambiguis uſus ſit, quibus videlicet & infringi & ſalvari actio ab ipſo intentata poſſit, id quod & Ulpianus *in l. ſi quis 66. ſup. de judic.* & Paulus *in fine l. in contrahenda. 172. inf. h. t.* ſatis

tis oſtendit, ejusq́ue exemplum idem Paulus in *l. inter ſtipulantem. 83. §. 1. ſup. de verb. oblig.* refert.

L. 68.

Paulus libro ſingulari de dotis repetitione.

¶ *In omnibus cauſis id obſervatur, ut, ubi perſonæ conditio locum facit beneficio, ibi deficiente ea beneficium quoq; deficiat: ubi verò genus actionis id deſiderat, ibi ad quemvis perſecutio ejus devenerit, non deficiat ratio auxilii.*

Summaria.

1 *Privilegii definitio.*
2 *Privilegium juri naturali non repugnat.*
3 *Privilegium ex eo nomen non habet, quòd legem privet.*
4 *Privilegium, ſalva æquitate, legem juris communis ſupplet.*
5 *Contrahentium placita ſervari debent.*
6 *Pupilli ab hominibus juſtæ ætatis diſcernendi ſunt.*
7 *Puerorum ætas improvida eſt.*
8 *Obligatio pupilli ſine tutoris autoritate contracta nulla eſt.*
9 *Privilegii diviſio.*
10 *Privilegium perſonale quòdnam ſit?*
11 *Privilegia perſonalia cum perſona, cui data ſunt, intereunt.*

12 Privilegium dotis perſonale eſt.
13 Maritus totam dotem reſtituere non cogitur, quando facultates ipſius non ferunt, ut totã reſtituat.
14 Mariti heres ſolidam dotem reſtituere tenetur, etiamſi bona ipſius imminuta ſint.
15 Dotis privilegio mulier non gaudet, niſi verè illam numeraverit.
16 Mulier ratione dotis numeratæ tacitam hypothecam in bonis mariti habet.
17 Mulier an omnibus mariti creditoribus, etiam iis, qui expreſſam hypothecam anteriorem habent, ratione dotis præferatur?
18 Hypothecæ expreſſæ vis major, quàm tacitæ à nonnullis tribuitur.
19 Dotes mulieribus ſalvas eſſe Reipublicæ expedit.
20 Andreæ Geil & Joachimi Mynſingeri diſſidium.
21 Heredes mulieris non gaudent iſto privilegio, quod mulieri in exactione dotis tributum eſt.
22 Privilegium donatoribus à D.Pio indultum perſonale eſt.
23 Privilegium perſonis egregiis tributum in l.ad perſonas 15.ff.de jurejur.perſonale eſt.
24 Privilegium Doctoribus ac ſtudioſis conceſſum in Auth.habita.C.ne fil.pro patr.an perſonale ſit?
25 Famuli Doctorum ac ſtudioſorum à privilegio Doctoribus & ſtudioſis tributo non excluduntur.
26 Privilegium reale quódnam ſit?
27 Privilegium reale etiam ad ſucceſſores tranſit.
28 Actionis funerariæ privilegio gaudet etiam heres ejus, qui funus fecit.

29 *Privilegia Academiæ, civitati, vel familiæ cuipiam tributa realia ſunt.*
30 *Privilegium reſtitutionis in integrum, itemq́; SCti Vellejani reale eſt.*
31 *Privilegia nulla mixta ſunt, ita ut partim perſonæ, partim rei tributa dicantur.*
32 *Reſtitutionem in integrum læſio extorſit.*
33 *Minor in integrum antè non reſtituitur, quàm ſe læſum eſſe probaverit.*
34 *Privilegium l.2. C. de reſcind. vendit. inductum utrum perſonale ſit, an reale?*
35 *Privilegium l. 2. C. de reſcind. vendit. ex ſententia Roberti emptori æquè ac venditori competit, ac proinde reale eſt.*
36 *Privilegium l.2. C. de reſcind. vendit. ex Cujacii ſententia ſoli venditori tributum eſt, atq; hac ratione perſonale cenſetur.*
37 *Venditori læſo cur citius ſuccurri debeat, quàm emptori, qui in emptione deceptus eſt?*
38 *Venditorem ſæpius neceſſitas ad vendendum compellit.*
39 *Emptor pecunia potius quàm re venali ob commoditatem aliquam carere velle cenſetur.*
40 *L.2. C. de reſcind. vendit. læſum venditorem magis, quàm ipſam læſionem ſpectat.*
41 *L.2. C. de reſcind. vendit. an in tranſactione locum habeat?*
42 *Correctio odioſa, atq; idcirco vitanda eſt.*
43 *Tranſactio ex quorundam ſententia valet, etiamſi ex inſtrumento poſt reperto appareat*

tranſigentem ultra dimidium deceptum fuiſſe.

44 *Tranſactionem quinam Dd. reſcindendam eſſe putent eo caſu, quando tranſigens ultra dimidium deceptus eſt.*

1 PRivilegium eſt † jus ſingulare certæ perſonę vel rei ob aliquam æquitatis rationem indultum, *l. jus ſingulare. 16. ſup. de ll.* Neque enim
2 † juri naturæ, aut utilitati publicæ privilegium adverſatur, vel etiam, ut Accurſius exiſtimat,
3 † legem privat: verùm ſalva juſtitia & æquitate,
4 legem potius † ſupplet in iis caſibus, ad quos jus commune accommodari non poteſt. Exempli gratia: Regula juris communis vult, ut
5 ſerventur ea, quæ inter † contrahentes placuerunt, teſte Ulpiano *in principio l. 1. ſup. de pact.* Quid ergò, ſi pupillo ſine tutoris ſui autoritate placuerit, ut alteri obligatus eſſet? Juxta regulam quidem juris communis placitum illud pupillus ſervare teneretur: ſed quia magna
6 † inter pupillos ac homines legitimæ ætatis hac in parte eſt inæqualitas, ac periculum foret
7 † puerorum imbecillem & improvidam ætatem plurimis captionibus ea ratione ſubjectum iri: ideò legumlatoribus iniquum viſum fuit, iſtam juris communis regulam ad pueros & juſtæ ætatis homines æqualiter referre. Proinde pupillos ab ea exemerunt alia lege ſpecia-
8 li, quæ † pupilli obligationem ſine tutoris autoritate factam prorſus improbat: ſicut videre

eſt

eſt ex *l. Julianus 13. §. ſi quis à pupillo. 29. ſup. de action. empt. & vendit. & l. pupillus. 5. §. 1. ſup. de autor. & conſenſ. tut. & curat.* Cujuſmodi ſpecialis lex privilegium nuncupatur, quaſi privata pupillorum lex.

Cæterùm privilegia unius generis non ſunt: verùm quædam † perſonalia ſunt, quædam re- 9
alia. Perſonalia privilegia voco, quæ † propter 10
ſolam perſonæ conditionem indulta ſunt: atq; hæc ad heredes non tranſeunt, ſed cum † per- 11
ſona, cui data ſunt, ſimul expirant, textus hìc & in *l. 1. §. ult. ſup. de conſtit. princ.* quò ſpectat quoque *l. privilegia. 196. inf. h. t.* Ex horum numero eſt privilegium † & marito & mulieri ratione dotis 12
datum. Maritus namq; in reſtituenda dote hoc privilegio utitur, ut † non in ſolidum, ſed in id, 13
quod facere poteſt, condemnetur, *§. item ſi de dote. Inſtit. de action.* cujuſmodi privilegio extraneus mariti † heres non gaudet, ſed in ſolidum 14
damnatur, *l. maritum 12. cum l. ſeq. ſup. ſolut. matr. quem. dos pet.*

Sic & mulier, in exigenda illa dote, quam revera † numeravit, teſte Mynſingero *in obſ. 61. n.* 15
3. cent. 1. hoc privilegium habet, ut aliis creditoribus omnibus præferatur, nō privilegiariis ſolùm, ſed vi † tacitæ hypothecæ ipſi in bonis ma- 16
riti conceſſæ, etiam hypothecam habentibus, olim quidem his ſaltem, qui tempore poſteriores eſſent, *per l. dotis 9. C. de jur. dot.* ſed hodie ex conſtitutione Juſtiniani, etiam iis, qui † hypo- 17
thecam

thecam tempore priorem habent, *l. pen. C. de jur. dot. & l. ult. §. 1. C. qui potior. in pign. habean.* Quam conſtitutionem etſi Bulgarus ac plerique alii interpretes, quibus Donellus quoque in *cap. 7. lib. 14. comment. de jur. civil.* accedit, de iis ſolummodo creditoribus anterioribus accipiunt, qui
18 ſimilem hypothecam † habent, videlicet tacitam privilegio juris conſtitutam: verius tamen Cujacius *in Novella 97.* illam conſtitutionem ad quoſcunq; creditores anteriores refert, etiam illos, qui expreſſæ hypothecæ jus habent, quòd
19 publicè non † tam expediat, quàm neceſſarium ſit ſuas mulieribus dotes quoquo modo cōſervari. *l. 1. ſup. ſol. matr. quem. dos pet. l. 2. ſup. de jur. dot. l. intereſt enim. 18. ſup. de reb. autor. judic. poſſid. & l. pater. 7. §. ult. ſup. de dot. præleg.* quam ſententiam quoque inter alios probat Jo. Robertus *in cap. 14. lib.*
20 *3. animadverſ.* Ac licet † And. Geil. *in obſ. 25. n. 10. lib. 2. practic. obſervat.* Bulgari defendat ſententiam, nec ab ea ſuo tempore unquam in Camera receſſum fuiſſe meminerit: Mynſingerus tamen *in obſ. 13. cent. 4.* contrarium in Camera deciſum fuiſſe disertè affirmat, propter generalia verba, quibus ll. hac de re loquentes utantur.
21 Hujuſmodi † igitur privilegium, quo mulieres in exactione dotis gaudent, ſimiliter ad ipſarum heredes non tranſit. *l. un. C. de privil. dot.* cùm in omnibus cauſis hoc regulariter obſervetur, ut privilegium, perſonæ cohærens, cum perſona quoq; extinguatur.

Tale

Tale eſt & privilegium, quod D. Pius † do- 22
natoribus indulſit, ne videlicet ex cauſa dona-
tionis damnarentur ulterius, quàm quod face-
re poſſunt. *l. inter eos. 19. §. 1. ſup. de re judic.* Nam
privilegio hoc heredes donatoris non gau-
dent, ſed in ſolidum condemnantur, ſi donata-
rius, à quo conveniuntur, donationem ſibi fa-
ctam evicerit, veluti oſtendi *in l. D. Pius. 28. ſup. h.
t. per l. ſciendum 25. ſup. de re judic.*

Atque huc Oldendorpius *in cap. 9. ſui libelli,
quem inſcripſit de jure ſingulari,* refert etiam † pri- 23
vilegium egregiis perſonis tributum, *in l. ad per-
ſonas. 15. ſup. de jurejur.* itemq; privilegium † Do- 24
ctorum ac ſtudioſorum, quod extat *in Auth. ha-
bita. C. ne filius pro patre.* quamvis Sichardus *in d.
Auth. habita. n. 11.* privilegium hoc non Doctori-
bus ac ſtudioſis ſolùm, ſed & iis, quos in familia
† hi habent, & quorum operâ neceſſariò indi- 25
gent, competere affirmet, *arg. l. 2. §. ult. C. de epiſc.
& Cleric.* Idq; haud dubiè hanc ob cauſam rece-
ptum eſt, ne, ſi Doctorum aut ſtudioſorum li-
beri aut miniſtri privilegio hoc excluderentur,
Doctoribus ipſis ac ſtudioſis uſus privilegii dati
per indirectum imminueretur.

Realia porrò privilegia † nuncupo, quæ ſo- 26
lius rei propoſitæ favore indulta ſunt, ſeu ut
Paulus hîc definit, ubi genus actionis ſive cau-
ſa ipſa privilegium induxit. Et hoc ad quoſvis
† ſucceſſores tranſit, *l. 3. §. 1. ſup. de cenſibus.* ubi Ul- 27
pianus ait, rebus conceſſam immunitatem non
debere

debere intercidere, quòd perſonis quidem data immunitas cum perſona extinguatur, rebus data nunquam extinguatur. Cujus exemplum
28 poni poteſt in actione † funeraria, quæ heredi ejus, qui in funus defuncti impenſas fecit, non ſolùm datur, *l. ſi filiusfam. 31. §. ult. ſup. de relig. & ſumpt. fun.* ſed etiam cum privilegio datur, ſic ut heres, non minus quàm anteceſſor, qui videlicet funus fecit, creditoribus omnibus præferatur. *l. pen. eod.* quoniam cauſa funeris, & non perſona funus facientis privilegium hoc meruit.

29 Hujus generis ſunt quoq; † privilegia Academiæ, civitati vel familiæ cuipiam tributa: hæc enim non perſonis, ſed generaliter Academiæ, civitati, vel familiæ, atque ita omnibus, qui unquam in illa Academia, civitate vel familia futuri ſunt, conceſſa intelliguntur, atque iccircò ad poſteros ttanſmittuntur, *l. 4. §. quanquam. ſup. de cenſibus.* Atque huc pertinent etiam iſta privi-
30 legia, quę † reſtitutio in integrum, SC. Vellejanum, Macedonianum, & ſimiles exceptiones tribuunt, *per l. exceptiones. 7. §. 1. ſup. de exceptionibus.* Unde ſatis liquet opus non eſſe, ut tertia
31 privilegiorum † ſpecies introducatur, eorum videlicet, quæ partim perſonæ, partim cauſæ accepta ferenda ſint. Etenim reſtitutionem in
32 integrum † non tam perſona minoris, quàm reſtitutionis cauſa ipſa læſio videlicet extorſit: cùm non minor ſolùm, ſed & major viginti

quinq;

quinque annis nonnunquam in integrum re-
ſtituatur: neque etiam antè minor beneficium
reſtitutionis in integrum impetret, quàm ſe
† læſum eſſe probaverit, *per l. non omnia. 44. ſup. de* 33
minor. viginti quinq. ann.

Hac occaſione quæri poteſt de privilegio,
quod *l. 2. C. de reſc. vendit.* induxit, † utrum illud 34
rem ſive cauſam potius an perſonam reſpiciat?
Quæ quæſtio, quam & Ar. Pinelus *in d. l. 2. part.*
1. cap. 2. n. 1. & octo ſeqq. eruditè juxta ac acutè ex-
plicat, eò ſpectat, ut, ſi ob rem, hoc eſt læſio-
nem præcipuè illud inductum ſit, tam emptor
quàm venditor beneficio *d. l. 2.* uti poſſit, ſi al-
teruter ſupra dimidium juſti precii deceptus
ſit: ſin verò perſonam reſpexerit, ut tum bene-
ficium illud ſoli venditori competat, quippe
cui ſoli quoq; Impp. Diocletianus & Maximia-
nus *in d. l. 2.* beneficium illud impertiunt. Joh.
Robertus *in cap. 13. lib. 2. animadv.* † privilegium 35
d. l. 2. etiam ad emptorem pertinere ſtatuit, ex
hac potiſſimùm ratione, quòd utrique in pre-
cio emptionis ac venditionis ſeſe invicem cir-
cumſcribere liceat. *l. in cauſa 16. §. pen. ſup. de mi-*
nor. 25. an. atque hinc utriq; pariter privilegium
illud competat, ſi circumſcriptio modum lege
definitum exceſſerit. Verùm † Cujacius *in cap.* 36
18. lib. 16. obſervat. privilegium illud ad empto-
rem producendum eſſe negat, quòd æquius ſit
venditori, qui minoris vendidit, ſuccurrere,
† quàm emptori, qui pluris emit. Siquidem 37

vendi-

In conſ.241.n.12. ſecutus eſt: nec ab ea in judicando recedendum eſſe monet And. Geil. *in fine obſ.70.libri 2.practic.obſervat.* tametſi ſecus ſentiant † Bartolus *in d.l.ſi quis cum aliter.n.5.& in d.l.* 44
2.n.72. cui adſtipulatur etiam meo judicio Joach. Mynſingerus *in obſ.33.cent.1.* necnon Hieron. Schurf. *in conſ.17.n.8.cent.1.* nec ab his diſſentire videtur Ar. Pinel. *in d.l.2.part.1.cap.4.n.12.& quatuor ſeqq.* cum quibus conjungi quoque poſſunt ea, quæ VVeſenbecius *in paratit. ſſtorum de tranſact.n.8.* notat.

L. 69.

Paulus libro ſingulari de aſſignatione libertorum.

§ *Invito beneficium non datur.*

SUMMARIA.

1 *Beneficium invito non datur.*
2 *Invito quid auferri poteſt.*
3 *Beneficiis ſibi a jure indultis nemo invitus ut utatur, cogi poteſt.*
4 *Reſtitutio in integrum repudiari poteſt ab eo, qui illam impetravit.*
5 *Patronatus jure uti non cogitur is, cui dominus libertum aſſignavit.*
6 *L.ſolvendo.39.ff.de negoc.geſt.conciliatur cum l. invito 69.ff.h.t.*
7 *Solvi pro invito poteſt.*

8 *Æs alienum ut ſolvatur tam creditoris, quàm debitoris intereſt.*
9 *Honores etiam invito deferri poſſunt.*
10 *Bene meriti ad dignitates ut evehantur, ipſius Reipublicæ intereſt.*
11 *L. etiam invitis. 32. ff. de acquir. rer. domin. concilia-tur cum l. invito. 69. ff. h. t.*
12 *Domino etiam invito ſervus acquirit.*
13 *Servus nihil ſuum habere poteſt.*

CUm hac regula convenit illa, quam tradit Ulpianus *in l. invitus. 156. §. ult. inf. h. t.* Quod
1 cuiq, pro eo præſtatur, † invito non tribuitur.
2 Invito namque auferri † quid poteſt; dari non poteſt. *l. hoc jure. 19. §. non poteſt. ſup. de donation.* Quæ cauſa eſt, quòd nec uti quis cogitur iis be-
3 neficiis, quæ † à jure ſibi indulta habet. Cujus inſigne exemplum nobis præbet Julianus *in l. ſi judex 41. ſup. de minor. 25. ann.* ubi minor circum-
4 ventus in venditione beneficio † reſtitutionis in integrum uti non cogitur, quamvis illud à judice impetrârit. Simile exemplum extat *in l.*
5 *1. §. ſed ſi is. ſup. de aſſign.* ubi jus † patronatus repudiari poteſt ab eo, cui dominus ſuum libertum aſſignavit. Atque hujus generis plura exempla notat Cujacius *ad l. ſervus. 62. ſup. de verb. oblig.* Ve-
6 rùm huic adverſari † videtur *l. ſolvendo. 39. ſup. de*
7 *neg. geſt.* ubi ex ſententia Gaji etiam † pro invito debitore ſolvi poteſt: quod ipſum & Pomponius *in l. ſolutione. 23. ſup. de ſolut.* & Juſtinianus *in princ.*

princ.Inſtit.quib.mod.toll. obligat. ſtatuit. Reſpondeo illud ideo admitti, quia non † debitoris ſo- 8
lùm ſed creditoris etiam intereſt ſolutionem fieri. Quam ob cauſam & invito † honores ac 9
dignitates deferuntur, quia Reipublicæ etiam intereſt bene meritos † ad dignitates evehi. *l.3.* 10
§. Præſes. ſup. de muner. & honor. Itaque Regulæ huic locus eſt, quando agitur ſaltem de intereſſe ejus in quem beneficium confertur. Neque pugnat † cum hoc *l.etiam invitis.32.ſup.de acquir.* 11
rer.domin. ubi domino etiam invito † acquiri- 12
tur, quod ſervus ex donatione, vel quavis alia cauſa accepit, licet ſolius domini interſit beneficium ejuſmodi habere: quod ipſum etiam ſentit Julianus *in l.ſervus vetante.62.ſup.de verb. oblig.* quoniam reſponderi poteſt beneficium illud non principaliter, ſed per conſequentiam domino obvenire, cùm in ſervo, quippe qui ſuum † nihil habere poteſt, ne momento illud 13
ſubſiſtere potuerit, quam rationem reddit Imp. Juſtinianus *in §.item vobis acquiritur.Inſtit.per quas perſon.cuiq.acquir.* cui conſentit Ulpianus *in l.placet.79.ſup.de acquir.hered.* & Gajus *in l. acquiruntur. 10.§ 1.ſup.de acquir.rer.domin.*

L. 70.

Ulpianus libro primo de officio Proconſulis.

¶ *Nemo poteſt gladii poteſtatem ſibi datam, vel cujus alterius coërcitionis, ad aliũ transferre.*

SUMMARIA.

1 L.nemo.70.ff.h.t.unde deſumpta ſit?

2 Gladii poteſtas eſt meri imperii.

3 Imperii meri quæ ſunt alteri demandari non poſſunt.

4 Imperium merum ei demum competit, cui nominatim illud à lege vel à Principe conceſſum eſt.

5 Imperium merum olim Romæ præfectus urbi, in provinciis verò Proconſul ac Præſes habuit.

6 Capitales cauſas Romani cuivis mandare noluerunt.

7 Conſul Romanus in caput civis animadvertere ſine populi juſſu non potuit.

8 Imperii meri quæ ſunt, jure Pontificio delegari poſſunt.

9 Gladii poteſtas hodierno more ei competit, cui juriſdictio omnimoda (quam vulgò vocant) conceſſa eſt.

10 Gladii poteſtas conſuetudine vel præſcriptione acquiri poteſt.

11 Imperium merum an hodie per alios exerceri poſſit?

Regula hæc, quod & inſcriptio demonſtrat,
1 † deſumpta eſt ex principio *l.ſolent. 6.ſup. de offic.proconſ.* nec quicquam aliud ſibi vult, quàm
2 quòd ea, quæ meri ſunt imperii, veluti † eſt gladii poteſtas, ac quævis alia in facinoroſos homi-
3 nes animadverſio corporalis, *l.3.ſup.de juriſdict.* † alii demandari non poſſint: cùm ei ſolùm competant,

petant, cui à lege vel principe † nominatim 4
conceſſa ſunt. *l. ſi quid. 11. ſup. de offic. proconſ. & l. 1. ſup. de offic. ejus cui mand. eſt juriſdict.*

Cæterùm gladii poteſtatem, ſive merum imperium olim Romæ quidem † Præfectus urbi, 5
in provinciis verò Proconſules ac Præſides habuerunt. *l. & ideo. 8. ſup. de offic. proconſ. l. illicitas. 6. §. pen. ſup. de offic. præſid. & l. 2. ſup. de in jus voc.* Majus
quippe † negotium priſcis Romanis viſum fu- 6
it, ſi de capite hominis liberi ageretur, quàm ut cuilibet mandari illud aut concedi poſſet. Quam ob cauſam nec conſuli quidem, cujus
poteſtas tamen fuit ſumma, ſine † juſſu populi 7
in caput civis Romani animadvertere licuit, *l. 2. §. exactis. ſup. de orig. jur.*

Verumenimverò ſecus jure Canonico † ſta- 8
tutum eſſe, haud obſcurè colligitur *ex c. 4. de raptor. & c. cum epiſcopus. 7. de offic. ordinar. in 6.* idque fatetur etiam Menochius *in quæſt. 74. n. 43. lib. 1.*
de arb. jud. quæſt. quemadmodum † & hodierno 9
more ei, cui juriſdictio omnimoda eſt conceſſa, merum imperium quoque conceſſum intelligitur, proindeque poteſtas gladii nunc jure magiſtratus competet his, qui ex ſpeciali privi-
legio, aut † conſuetudine, vel præſcriptione il- 10
lam acquiſiverunt, atque hinc per alios etiam
poteſtatem † ejuſmodi exercere poſſunt, velu- 11
ti notat Bartolus *in l. more. 5. n. 9. ſup. de juriſdict.* Quamvis complures juris interpretes contrarium ſentiant, ſicuti videre eſt ex iis, quæ præ-

ter alios notant Didacus Covarruvias *in cap. ult. lib.3.variar.reſolut.* & Menochius *in quæſt.54.n.3. & ſeq.lib.1.de arb.jud.quæſtion.*

L. 71.

Ulpianus libro ſecundo de officio Proconſulis.

§ *Omnia, quæcunq; cauſæ cognitionem deſiderant, per libellum expediri non poſſunt.*

SUMMARIA.

1 *L.omnia quæcunq;.71.ff.h.t.unde deſumpta ſit?*

2 *Cauſæ omnes cognoſci de plano non poſſunt.*

3 *Cognoſcere de plano quid ſit?*

4 *Alimenta pupillo de plano decerni poſſunt.*

5 *Liberi ad obſequium parentibus præſtandum etiam ſine judiciorum ſolennibus compelli à magiſtratu poſſunt.*

6 *Cauſæ, quæ de plano ſive per libellum cognoſcuntur, quovis loco per magiſtratum expediri poſſunt.*

7 *Libellus aliquando in jure ſchedam ſupplicem denotat.*

8 *Cognoſcere pro tribunali quid ſit?*

9 *Cognitionem cauſæ quæ deſiderant, per libellum ſupplicem expediri non poſſunt.*

10 *Cognitio, quæ pro tribunali facienda eſt, quid deſideret.*

11 *Decretum ſuper cauſis iſtis, quæ pro tribunali cognoſcenda*

ſcendæ ſunt, ſummatim interpoſitum ipſo jure nullum eſt.

12 *Intellectus l. ubicunq;. 105. ff. h. t.*

13 *Minorum prædia abſq; decreto magiſtratus alienari non poſſunt.*

14 *Decretum magiſtratus in alienatione rerum minoris interponendum quomodo fiat?*

15 *Unio prolium non valet, niſi prævia cauſa cognitione cum decreto magiſtratus facta ſit.*

16 *Tutor per libellum ſeſe excuſare non poteſt.*

17 *Excuſatio tutoris antè non valet, quàm per decretum magiſtratus admiſſa ſit.*

18 *L. ſcire oportet. 13. §. oportet autem, ff. de excuſat. conciliatur cum l. ſi cum. 39. ff. eod.*

19 *Excuſationis conteſtatio de plano fieri poteſt.*

20 *Tutor à tutela non excuſatur, niſi cauſæ excuſationis pro tribunali cognitæ ſint.*

INſcriptio hujus regulę ſatis oſtendit eam deſumptã † eſſe ex *l. neę quicquam. 9. §. 1. ſup. de offic. proconſ.* cujus l. contextus evincit de plano cognoſcere, ac pro tribunali cognoſcere † adverſa eſſe, cauſasq; quaſdam de plano, ſeu, ut Ulpianus hîc loquitur, per libellum expediri poſſe, quaſdam verò ſic comparatas eſſe, ut non per libellum, ſed pro tribunali diſcuti queant, id quod Marcianus quoq; innuit *in l. §. abolitio. ſup. ad SC. Turpill.* 1 2

De plano † cognoſcere dicitur magiſtratus, 3 quando de poſtulatis ſubditorum ſummatim

ſæ cognitio eſt, ibi Prætor deſideratur, hoc eſt, cognoſcenda eſt iſta cauſa à magſtratu pro tribunali. Cujus exemplum extat *in l.minorum.6.C. de præd.minor.ſin.decret.non alienand.* ubi ad hoc, ut prædia minorum cum † decreto alienata dican- 13
tur, ſatis non eſt, ſi tutor adeat Prætorem, ſibiq́; poteſtatem alienandi prædia † minorum dari li- 14
bello petat: Sed neceſſe eſt, ut de cauſis venditionis ſolenniter apud acta cognoſcatur.

Hujus generis quoq; eſt unio † prolium paſ- 15
ſim in Germania conſuetudine inducta, nam & hæc ad exemplum arrogationis exactam cauſæ cognitionem requirit, veluti patet ex iis, quæ tradit And. Geil. *in obſ.125.n.5.lib.2.practic.obſervat.* Atq; huc pertinet etiam quod Ulpianus *in l.excuſare. 25.ſup.de excuſat.* refert, tutorem † ſe per li- 16
bellum excuſare non poſſe, quia excuſationi hujuſmodi locus non eſt, niſi cùm † decreto ma- 17
giſtratus admiſſa ſit, *per l.ſi cum.39.eod.titul.* Neq; huic adverſatur *l.ſcire oportet. 13. § oportet autem.e-* 18
od. † ubi ex eo, quod Modeſtinus ait poſſe tutorem, qui ſe vult excuſare, & libellos dare, inferre quis poſſit, tutorem per libellum quoq; ſeſe excuſare poſſe, quoniam loquitur eò loci non de ipſa excuſatione, ſed de conteſtatione excuſationis, quę † ad ſubmovendam quinquaginta 19
dierum præſcriptionem, de plano etiam per libellum ſupplicem fieri poteſt, licet de cauſis † excuſationis poſtea pro tribunali plenè co- 20
gnoſcatur.

L. 72.

Javolenus libro tertio ex poſteriori- ribus Labeonis.

§ *Fructus rei eſt vel pignori dare licere.*

Summaria.

1 *Pignorandi commoditas appellatione fructuum continetur.*

2 *Commodum, quod quis percepiſſet, ſi rem ſibi ab alio ereptam pignori dare potuiſſet, perinde ut fructum æſtimari oportet.*

3 *Uſufructuarius jus utendi fruendi pignori dare poteſt.*

4 *Intellectus l. intereſt. 6. C. de uſufr. & habit.*

5 *Proprietas ab uſufructuario pignori dari non poteſt, niſi domini voluntate id fiat.*

HÆc l. prorſus convenit cum *l. ult. ſup. de uſur.*
1 ac luculenter docet, † appellatione fructuum etiam pignorandi commoditatem con-
2 tineri. Unde dominus, cujus res ab alio † poſſeſſa eſt, ſi queratur pecuniam mutuam ſeſe accipere non potuiſſe, propterea quòd rem ſuam pignori dare non potuiſſet, rectè petet, ut in æſtimatione fructuum ratio habeatur ejus quoq; utilitatis, quam ipſe habuiſſet, ſi rem pignori dare licuiſſet. Atq; ex eodem fundamento hoc
3 quoque deciſum eſt, quòd fructuarius † uſumfru-

fructum, hoc eſt, jus utendi fruendi pignori
hypothecęvę dare poſſit, *l. ſi is qui. 11. §. pen. ſup. de*
pignor. Neque hoc negat Imp. Alexander † *in l.* 4
intereſt. 6. C. de uſufr. & habit. quoniam proprieta-
tis duntaxat meminit, quæ non niſi domini
† voluntate pignorari poteſt, veluti *ex l. ſi fun-* 5
dus. 16. §. 1. ſup. de pignor. & hypothec. patet.

L. 73.

Quintus Mucius Scævola libro ſingulari ὅρων.

¶ *Eò tutela redit, quò hereditas pervenit, niſi cùm fœminæ heredes intercedunt.*

SUMMARIA.

1 *L. quò tutela. 73. ff. h. t. quomodo legi debeat?*
2 *Hereditas cuipiam ob geſtionem tutelæ non defertur.*
3 *Tutelæ onus demandatur ei, qui ſpem ſucceſſionis ab inteſtato conſequendæ habet.*
4 *Fœminæ illorum, quibus ab inteſtato ſucceſſuræ ſunt, tutrices eſſe non poſſunt.*
5 *Tutela eſt munus publicum.*
6 *Intellectus l. honor. 14. §. 1. ff. de muner. & honor.*
7 *Munus publicum eſt, quod in adminiſtranda Republica ſubitur.*
8 *Munus publicum bifariam in jure accipitur.*
9 *Tutela quo ſenſu dicatur munus publicum.*
10 *Tutor dari non poteſt, niſi quem lex dari permittit.*

11 Tu-

11 *Tutor datus tutelæ periculo ſubjacet tantiſper, dum ſe excuſaverit.*

1 IPſa ratio dictat principium † hujus l. legendum eſſe, vel ut Placentinus, teſte Cujacio, ſtatuit: Quò hereditas redit, eò & tutela pervenit: vel ut Hotomannus *in ſuis obſervationibus*, itemq; Ant. Faber *in errore 7. decad. 6.* notat: Eò tutela redit, quò hereditas pervenit. Neque e-
2 nim propter † tutelam cuipiam hereditas defertur, ſed tutela hereditatem conſequitur,
3 hoc eſt, onus tutelæ † demandatur ei, qui ſpem ſucceſſionis ab inteſtato conſequendæ habet, *§. 1. Inſtit. de legit. agnat. tutel.* Idque ipſum exceptio fœminarum huic regulæ ſubjecta ſatis ar-
4 guit: Etenim fœminæ † heredes quidem eſſe poſſunt, ſed tamen tutrices eſſe non poſſunt, ita ut hoc caſu alibi ſit hereditas, alibi tutela, quemadmodum loquitur Ulpianus *in l. 1. §. 1. ſup. de legit. tutor.* Cur autem ad tutelam vocetur is, qui aliâs, ſi pupillus inteſtatus moreretur, heres ipſius futurus eſſet, ejus ratio reddita eſt *in l. ſecundum. 10. ſup. h. t.* quemadmodum & *in l. 2. ſup. eod.* demonſtratum eſt, fœminas propterea tutelæ officium obire non poſſe: quoniam tu-
5 tela muneribus † publicis annumeratur, à quibus regulariter fœminæ remotæ ſunt.

6 Neque cum hoc † pugnat *l. honor. 14. §. 1. ſup. de muner. & honor.* ubi publicum munus à Cal-
7 liſtrato id demum † dicitur, quod in admini-

ſtranda

ſtranda Republica ſubitur, ſive ut Ulpianus refert *in l.1.§.hujus ſtudii.ſup.de juſt.& jur.* quod ad ſtatum rei Romanæ ſpectat: cujuſmodi munus tutelam non eſſe ſatis demonſtrat Modeſtinus *in l.ſi duas.6.§.tutela.ſup.de excuſat.* quoniam † jus 8
publicum in jure dupliciter accipitur, vel quod ad ſtatum Reipublicæ ſpectat, veluti conſtitutio legum ac magiſtratuum: vel quod ad ſingulorum quidem utilitatem pertinet: ſed tamen à jure publico ſic dependet, ut in privatorum hominum poteſtate non ſit, verùm iis tantùm detur, quibus à lege vel à principe conceſſum eſt: atq; in hac † poſteriori ſignificatione 9
tutela dicitur eſſe munus publicum, quia † nec 10
tutorem dare poteſt, niſi à lege vel magiſtratu dandi poteſtatem habeat: nec tutor dari poteſt, niſi quem lex dari permittit, quantumvis hic tutor fieri nolit: adeò quidem, ut ſuo † pe- 11
riculo ceſſet tutor, poſtquam datus eſt, niſi excuſetur, *l.1.ſup.ſi tut. vel curat.magiſtr.creat.appellav.eodemq́; ſpectat tit.ff.torum de tutor.& curat.dat. ab his qui jus dand.hab.*

Ad §.1.

¶ *Nemo poteſt tutorem dare cuiquam, niſi ei, quem in ſuis heredibus, cùm moritur, habuit, habiturúsve eſſet, ſi vixiſſet.*

SUMMARIA.

1 *Parentes liberis ſuis impuberibus tutores dare poſſunt, ſed ita, ſi in ſuis heredibus iſtos habeant.*

2 *L.1.ff.de teſtament. tutel. conciliatur cum l.eò tutela.73.§.1.ff.h.t.*

3 *Pater liberis exheredatis quoque tutorem dare poteſt.*

4 *Filius exheredatus in poteſtate patris eſſe non deſinit.*

5 *Filius exheredatus heres ſuus an dici poſſit?*

6 *Exheredatio ante aditam hereditatem nulla eſt.*

7 *Mater liberos in ſua poteſtate non habet.*

8 *Mater iis demum liberis tutorem dare poteſt, quos heredes inſtituit.*

9 *Tutor, quem mater ſuis liberis præfecit, tutelam adminiſtrare antè non poteſt, quàm ex inquiſitione à magiſtratu confirmatus fuerit.*

QUi & quibus teſtamento tutores dari poſſint, id Scævola in hoc §. explicat, dum ait, neminem poſſe cuiquam tutorem dare, niſi ei, quem in ſuis heredibus, cùm moritur, habuit, habiturúsve eſſet, ſi vixiſſet: quibus verbis de-
1 notat, parentes liberis † ſuis impuberibus tutores dare poſſe, ſive hi nati ſint, ſive in utero matris adhuc exiſtant, *§.pen.Inſtit. de tutel.* dummodò liberos iſtos in ſuis heredibus habeant.
2 Cui adverſari † videtur *l.1.ſup.de teſtam.tutel.* ubi Gajus ad hoc, ut parentes liberis ſuis tutores teſtamento dari poſſint, nihil amplius requirit, quàm ut eos in poteſtate habeant: pugnant enim, ſufficere patriam poteſtatem, & heredem præterea ſuum eſſe oportere: cùm filio exhe-

exheredato † quoque tutorem pater dare poſ- 3
ſit.*l.4.& l.ſi pater.31.eod.* cujuſmodi filius licet in
poteſtate patris † eſſe non deſinat, ut videre 4
eſt *ex l. pen. ſup. de bon. poſſ. cont. tab.* heres tamen
† ſuus minimè dici poteſt.*argumento l. qui in ali-* 5
*ena.6.§ interdum.ſup.de acquir.vel omitt.heredit.*Re-
ſpondeo Scævolam hîc non ſimpliciter de he-
redibus ſuis loqui,ſed de iis,quos habuit teſta-
tor, cùm moritur : jam verò dubium eſt nul-
lum, quin exheredatus eo tempore, quo pater
moritur, inter heredes ſuos habeatur : ſiqui-
dem † ante aditam hereditatem exheredatio 6
nulla eſt,veluti patet *ex d.l.pen.* His conſequens
eſt,† matrem liberis ſuis,quippe quos in pote- 7
ſtate non habet,*§.fœminæ.Inſtit. de adopt.* nec tu-
torem dare † poſſe, niſi heredes illos inſtitue- 8
rit: quo tamen caſu tutor datus † ad tutelæ ad- 9
miniſtrationem prius non admittitur, quàm ex
inquiſitione à magiſtratu confirmatus fuerit,*l.
4.ſup.de teſtam.tutel.l.1.& l.2.ſup.de confirm.tutor.*

Ad §.2.

§ *Vi factum id videtur eſſe, qua de re quis, cùm
prohibetur,fecit: clàm, quod quiſq; cùm con-
troverſiam haberet, habiturúmve ſe puta-
ret,fecit.*

Summaria.

1 *Vi aut clàm quod factum eſt reſcinditur, etiamſi
is,qui vi aut clàm fecit,faciendi jus habuerit.*

2 MA-

2 *Magiſtratus edicto obtemperandum eſt.*
3 *Jus ſuum quivis legitimis modis tueri debet.*
4 *Dolus nemini prodeſſe debet.*
5 *Vi feciſſe dicitur, qui contra prohibitionem quid fecit.*
6 *Vi feciſſe & ille dicitur, qui per vim fecit, ne prohiberi poſſet, cùm ſe prohibendum ſciret.*
7 *Clàm quinam feciſſe dicatur?*
8 *Vi factum quomodo differat ab eo, quod clàm factum eſt.*

EX generali Prætoris edicto in priſtinum
1 ſtatum reſtitui oportet omne id, quod † vi aut clàm factum eſt, quantumvis is, qui vi aut clàm fecit, faciendi jus habuerit. Etenim Præ-
2 toris edicto † obtemperare, ſuumq; jus legiti-
3 mis † modis tueri, nec dolo † aut calliditate al-
4 teri damnum inferre debuit, *l.1. §. & parvi. ſup. quod vi aut clam.*
5 Vi autem feciſſe videtur † non ſolùm qui contra prohibitionem quid fecit: ſed etiam
6 qui, cùm ſciret ſe prohibendum, per vim † molitus eſt, ne prohiberi poſſet, *d. l.1. §. ſed & Ariſto.*
7 Clàm † verò feciſſe videtur non ſolùm qui celavit adverſarium, ſed etiam qui ei non denunciavit, cujus prohibitionem ſive controverſiam vel timuit, vel timere debuit, *l.3. §. pen.*
8 *& ult. eod. titul.* Itaque vi facit † is, qui præſente prohibente quid facit: qui verò abſente vel igno-

ignorante prohibente facit, is clàm facit, *per l. ſi qui. 11. §. interdictum. eod. titul.*

Ad §. pen.

§ *Quæ in teſtamento ita ſunt ſcripta, ut intelligi non poſſint, perinde ſunt, ac ſi ſcripta non eſſent.*

Summaria.

1 *Teſtamenti tenor, qui intelligi non poteſt, pro non ſcripto habetur, ſed cætera ipſius contenta, quæ intelligi poſſunt, valent.*

2 *Heredis incerti inſtitutio non valet.*

3 *Legatum incertæ perſonæ relictum non ſubſiſtit.*

4 *Incerta perſona dicitur, quæ prorſus incerta eſt, nec ex futuro eventu certa fieri poteſt.*

5 *Hereditas relinqui poteſt iſti perſonæ, quæ ex certis aliis perſonis incerta eſt.*

6 *Legatum duobus ejuſdem nominis ſeparatim relictum, ſed poſtea uni ademptum, nihilominus utriq; debetur, quando non apparet cui ademptum ſit.*

7 *Legati ademptio incerta non valet.*

8 *L. 3. §. ſi duobus. ff. de adimend. legat. conciliatur cum principio l. ſi fuerit. 10. ff. de reb. dub.*

9 *Legatum ei adimendum non eſt, de quo dubitatur, an teſtator legatum illi ademptum voluerit.*

10 *Teſtator legatum, quod duobus ejuſdem nominis conjunctim reliquit, ſed uni poſtea ademit, utriq; ademptum voluiſſe præſumitur.*

TAmetſi ea, quæ in teſtamento ita ſcripta
1 ſunt, ut intelligi non † poſſint, perinde habentur, ac ſi ſcripta non eſſent: reliqua tamen in eodem iſto teſtamento contenta per ſe ipſa valent, ut habet *l.2.ſup. de his quæ pro non ſcript.haben.* Unde neque † incerti heredis inſtitutio
2 valet, *l.in tempus.62.§.1.ſup.de hered.inſtit.* Neque legatum † aut fideicommiſſum incertæ perſonæ
3 relictum ſubſiſtit, *§.incertis verò. Inſtit.de legat.*
4 Quod utique accipiendum eſt † de ejuſmodi perſona, quæ prorſus eſt incerta. Nam quæ ex
5 futuro eventu certa fieri poteſt, vel ſaltem † ex certis aliis perſonis incerta eſt, ei & hereditas & legatum & fideicommiſſum relinqui poteſt, veluti patet *ex l.quædam ſunt.15.ſup.de reb.dub.* Eodemq; ſpectat *l.3.§.ſi duobus.ſup.de adim. legat.* ubi
6 Ulpianus legatum † duobus quidem ejuſdem nominis ſeparatim relictum, ſed uni ademptum nihilominus utriq; deberi ſcribit, eo caſu, quando non apparet utri ademptum ſit: ut
7 ſic nec † ademptio legati incerta valeat.
8 Verùm huic graviter † adverſatur principiũ *l.ſi fuerit.10.ſup.de reb.dub.* ubi idem Ulpianus contrarium ſtatuit, videlicet legatum duobus ejuſdem nominis relictum, & uni ademptum, utrique adimendum eſſe. Reſpondeo, Ulpianum *in d.§.ſi duobus.* loqui de legato duobus Titiis ſeparatim relicto: hoc ſi uni ſaltem ademptum ſit, nec appareat, cui ſit ademptum, neu-
9 tri adimendum eſt, ne fortè † adimatur ei, qui

ex voluntate teſtatoris illud retinere debeat. Verùm *in principio d.l. ſi fuerit.* Ulpianus loquitur de legato duobus Semproniis † conjunctim 10
relicto, & uni poſtea adempto: hoc enim neutri debetur ex præſumpta teſtatoris voluntate, qui in adimendo quoque conjunxiſſe videtur eos, quos in dando conjunxerat.

Ad §. ult.

¶ *Nec paciſcendo, nec legem dicendo, nec ſtipulando quiſquam alteri cavere poteſt.*

Summaria.

1 *Paciſcendo cavere eſt nudo pacto cavere.*

2 *Pactum nudum exceptionem duntaxat parit.*

3 *Legem dicendo cavere eſt ejuſmodi pacto cavere, quod contractui ineſt.*

4 *Pactum contractui in continenti adjectum actionem ex contractu competentem format.*

5 *Paciſcendo quis ſibi non alteri cavere poteſt.*

6 *Stipulationes perinde ut pactiones adhoc inventa ſunt, ut quis acquirat ſibi, quod ſua intereſt.*

7 *Stipulationis non intereſt, ut alii quid detur vel fiat.*

8 *Dictio* Alter *extraneum denotat.*

9 *Filius patri, in cujus eſt poteſtate, & paciſcendo, & ſtipulando, & legem dicendo cavere poteſt.*

10 *Servus ſuo domino paciſcendo cavere poteſt.*

11 *Extraneo quando quis paciſcendo cavere poſſit?*

QUi paciſcendo ac legem dicendo cavet, is
pacto quidem cavet, ſed non uno modo.
1 Nam paciſcendo † cavere eſt nudo pacto cave-
2 re, cujuſmodi pactum † exceptionem duntaxat
parit, *l. juris gentium 7. §. ſed cum nulla. ſup. de pact.* ſed
3 legem † dicendo cavere eſt ejuſmodi pacto ca-
vere, quod contractui in continenti adjicitur:
quoniam pactum hujuſmodi legem contractui
4 dicit, adeoq; actionem † ex contractu compe-
tentem format. *d. l. juriſgentium. §. quin imò.* Paci-
ſcendo igitur, & legem dicendo, & ſtipulando
5 † ſibi cavere quis poteſt, alteri cavere non po-
6 teſt: ſiquidem pactiones ac † ſtipulationes hu-
juſmodi ad hoc inventæ ſunt, ut unuſquiſq; ac-
quirat ſibi quod ſua intereſt. Cæterùm ut alteri
7 quid detur, vel fiat, nec † ſtipulatoris nec paci-
ſcentis intereſt. *§. alteri. Inſtit. de inutil. ſtipul.* Di-
8 ctionem *Alteri* hìc accipio de † extraneo: nam
9 filiusfam. qui videlicet in patris † poteſtate
conſtitutus eſt, itemq; ſervus, qui in manu do-
10 mini eſt, & † paciſcendo, & ſtipulando, & le-
gem dicendo patri vel domino cavere poteſt.
l. ſi ſervus. 42. ſup. de damn. infect. l. ſtipulatio iſta. 38. §.
alteri. ſup. de verb. obligat. & §. ſi quis. Inſtit. de inutil.
11 *ſtipulat.* Quamvis eo quoque caſu quis † extra-
neo & paciſci, & legem dicere, & ſtipulari poſ-
ſit, ſi ipſius interſit, ut quid extraneo fiat vel de-
tur: cujus tria exempla proponit Juſtinianus in
§. ſed & ſi quis. Inſtit. eod.

L. 74.

Papinianus primo libro quæ-ſtionum.

§ *Non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri.*

SUMMARIA.

1 *Lædere nemo alterum debet.*
2 *Conditio iniqua inferri alteri per alterum non debet.*
3 *Lucrari quid cum alterius damno fas non eſt.*
4 *Damnum per alterius lucrum ſentire iniquum eſt.*
5 *Hereditatis diviſio à coheredibus facta coheredi abſenti præjudicium non parit.*
6 *Foſſæ aquarum duci ita debent, ne vicinus quid damni inde patiatur.*
7 *Homo prodeſſe ſibi ita poteſt, ut alii non noceat.*
8 *L. 1. §. denique Marcellus. ff. de aq. & aqu. pluv. arcend. conciliatur cum §. ſed & foſſas. d. l. 1.*
9 *Fodere in ſuo quis poteſt, etiamſi vicino iſta foßio noceat.*
10 *Terra foßionibus fit fœcundior.*
11 *Aquarum derivationes utplurimum cum vicinorum detrimento conjunctæ ſunt.*
12 *Solutio particularis an creditori invito obtrudi poßit?*
13 *Solutio partium non minima incommoda habet.*
14 *Legibus particularis ſolutio conſentanea non eſt.*

15 *Intellectus l. quidam exiſtimaverunt. 21. ff. ſi cert. petat.*
16 *Creditor ipſo jure cogi non poteſt, ut partem liquidam accipiat, & illiquidam judicio perſequatur.*
17 *Humanitatis ratio in oblatione partis liquidæ acquieſcit.*
18 *Lis ne fiat gravior judici providendum eſt.*
19 *Confeſſum pro judicato habetur.*
20 *Negantis conditio melior eſſe non debet, quàm confitentis.*
21 *Solutio ei non injungitur, qui debitum inficiatur.*
22 *Fiſco canon fundi patrimonialis particulatim ſolvi poteſt.*
23 *Homo privatus non eſt melioris conditionis, quàm fiſcus.*
24 *Penſiones publicæ cur particulatim ſolvi queant?*
25 *Fiſci debitores favorabiliores ſunt cæteris debitoribus.*
26 *Creditor partem crediti etiam ab invito debitore petere poteſt.*
27 *Correlativorum idem eſt judicium.*
28 *Creditoris ac debitoris ratio eadem ſemper non eſt.*
29 *Debitori tolerabilius eſt partem, quàm totam ſummam debitam ſolvere.*
30 *Debitor debiti partem creditori offerens, non ſibi, ſed creditori nocet.*
31 *Conditionem alterius deteriorem facere nemini licet.*
32 *Intellectus l. 2. §. 1. ff. de verb. obligat.*

33 Di-

33 Dictio Præſtationis *quid denotet?*
34 *Accipere quis dicitur id, quod volens accipit.*
35 *Res dividua non niſi contrahentium conſenſu partitionem recipiunt.*
36 *Heres partem debiti, in quam ſucceſſit, etiam invito creditori offerre poteſt.*
37 *Obligationis conditio ex perſona heredum immutanda non eſt.*
38 *Solvere totum tenetur, qui totum debet.*
39 *Heredes ſinguli totum non debent, quod debuit is, cui ſucceſſerunt.*
40 *AEs alienum ipſo jure inter heredes pro hereditariis portionibus dividitur.*
41 *Intellectus l.2.§.ex his igitur.ff.de verb.obligat.*
42 *Conventione induci poteſt, ut æs alienum à debitore particulatim ſolvi poteſt.*

EX ſecundo juris præcepto, quod, ut habet *§.pen. Inſtit.de juſt.& jur.* vult, ne † quis alterum lædat, præſens hæc regula profluxit: ſiquidem natura inter homines, ut loquitur Florentinus *in l.3.ſup. de juſt. & jur.* eam cognationem conſtituit, ut nefas ſit alterum alteri nocere, ſive ut Papinianus hîc refert, alteri per † alterum iniquam conditionem inferri. Hinc eſt, quod Pomponius *in l. jure ſuccurſum. 6. §.ult. ſup.de jur. dot.* ait, bono & æquo non convenire, ut † quis lucretur cum damno alterius, aut † damnum ſentiat per alterius lucrum. Eandemque ob cauſam diviſio † hereditatis à coheredibus fa-

1 (line "§.pen. … alte-"), 2 (line "ve ut Papinianus …"), 3 (line "dot.ait …"), 4 (line "lucretur …"), 5 (line "cauſam …")

ctæ prejudicium parere non poteſt coheredi abſenti, *l.coheredibus. 17. C.famil. erciſc.* cui convenit quoque *l.1. § ſed & foſſas. ſup.de aq.& aq.pluv.arcen.*
6 ubi Ulpianus ait, foſſas † derivandæ aquæ cauſa fieri ſic debere, ne ager vicini deterior fiat: pro-
7 deſſe † enim ſibi unuſquiſq;, dum alii non no-
8 cet, non prohibetur. Neque cum hoc † pugnat *§.deniq; Marcellus.d.l.1.* ubi idem Ulpianus ex ſententia Marcelli eum, qui in ſuo fodiens fon-
9 tem † vicini avertit, hoc nomine teneri negat: quoniam hic jure ſuo uſus eſt, dum in ſuo fecit id, quod facere jus habuit, veluti notavi *ad l.nullus videtur 55.ſup. h.t.* ſiquidem in ſuo fodere cui-
10 vis licet, cùm foſſionibus † terra fiat fœcundior. At verò foſſas derivandæ aquæ cauſa facere ita demum licet, ſi agro vicino inde damnum non inferatur: cùm derivationes aquarum ut-
11 plurimum † cum incommodo vicinorum conjunctæ ſint.

12 Denique ex eadem hac regula decidi quoq; poteſt nobilis illa quæſtio de † particulari ſolutione, utrum videlicet hæc invito creditori obtrudi poſſit? cùm enim ſolutio partium, ut
13 ſcribit Gajus *in l.3. ſup. famil. herciſc.* non † minima incommoda habeat: fas ſanè non eſt, ut cre-
14 ditori per debitorem particulari † iſta ſolutione conditio iniqua inferatur: præſertim cùm *l. qui pignori. 19. ſup. de pign. l.tutor. 41. §.1. ſup.de uſur. l.his conſequenter. 18. §. Celſus. ſup. famil. herciſcun. & l. obſignatione 9. C. de ſolut.* particularem iſtam ſolu-

tionem

tionem haud obſcurè etiam reſpuant. Ac licèt Alciatus *in l. quidam exiſtimaverunt. 21. n. 12. ſup. ſi cert. pet. & in l. 2. §. 1. n. 14. ſup. de verb. obligat.* ibidemq; Corraſius contrarium ſtatuant, creditoremque cogendum exiſtiment ad accipiendam partem debiti, quæ offertur: propterea quòd † 15
Julianus *in d. l. quidam exiſtimaverunt.* indiſtinctè ſcribat, Prætorem humanius facturum, ſi actorem compulerit ad accipiendum id, quod à debitore offertur: rectè tamen Donellus *in d. l. quidam exiſtimaverunt. n. 14.* atque hunc ſecutus Joh. Borcholt *in tract. de verb. oblig. cap. 2. n. 12. & aliquot ſeqq.* necnon *in cap. 7. n. 70. & duobus ſeqq.* reſponſum Juliani exaudiunt de illo debitore, qui eam partem, quam non offert, ſe debere negat. Quin Julianus hoc ipſo, quod ibidem ait, *humanius facturus videtur Prætor*, ſatis oſtendit, creditorem quidem non modò tum, quando debitum uſquequaq; eſt liquidum, ſed tum quoque, quando illud omni ex parte liquidum non eſt, ipſo jure † cogi non poſſe, ut partem li- 16
quidam accipiat, illiquidam verò perſequatur: ſed tamen humanitatis † rationem ſuadere, ut 17
oblatam partem liquidam accipiat, & illiquidam judicio perſequatur, ne perſequendo totum debitum, & † gravior lis fiat, & majores et- 18
iam ſumptus in illam impendantur: maximè cùm aliâs etiam is, qui partem debiti fatetur, reſpectu partis iſtius confeſſæ † pro judicato ha- 19
beatur, atque hinc non conveniat, ut amplius

de illa parte quæratur, *argumento l. poſt rem. 56. ſup. de re judicat.* Neq; ſolutio hæc conditionem
20 negantis † meliorem facit, quàm confitentis, veluti Alciatus opinatur: cùm idem dici quoq; poſſet de eo, qui totum ſe debere negat aut confitetur, & tamen nihilominus, qui totum confitetur, ſtatim ſolvere cogitur, non is qui
21 † totum debitum inficiatur.

Quod porrò Alciatus de fiſco adducit, cui
22 † canon fundi patrimonialis particulatim ſolvi poſſit, dummodo tribus vicibus totus Canon ſolvatur, *per l. pen. C. de collat. fund. patrimon.* illud
23 eò non pertinet, quaſi † privatus quoque creditor utpote fiſco ratione privilegii inferior, quemadmodum videre eſt ex iis, quæ Ægid. Boſſius ſub *tit. de fiſco & privilegiis ejus* prolixè tradit, ſolutionem particularem accipere teneatur. Etenim ex eo, quòd in penſionibus publicis, quæ de fundis patrimonialibus quotannis ſolvendæ ſunt, hoc nominatim conſtitutum eſt, ut particulatim ſolvi queant, dummodò tribus vicibus intra annum totæ ſolvantur, ſatis evincitur, cæterorum debitorum ſolvendorum eandem rationem non eſſe: alioquin fruſtra de ſolutione penſionum publicarum illud cautum fuiſſet, contrà quàm ſtatutum eſt *in l. 1. §. ult. ſup. ad municipal.* Quòd autem penſiones
24 † publicæ particulatim ſolvi poſſunt, id principes ſuis colonis jure ſingulari indulſerunt, quò plures particulas ſeparatim ſolvendo ſeſe debito

bito facilius exonerent. Cujuſmodi favor † ad 25
reliquos debitores producendus nō eſt, quemadmodum Coſtalius *ad d. l. quidam exiſtimaverunt.* rectè notat.

Sed nec ex eo, quod creditori partem crediti etiam † ab invito debitore petere licet, *juxta* 26
l. in commodato. 17. § pen. ſup. commodat. Alciatus inferre poteſt etiam debitorem vice verſa invito creditori partem ejus quod debet, offerre poſſe, quaſi † de correlativis idem ſit judicium, ut 27
quod in uno ſtatuitur, & in alio ſtatutum intelligatur, *argumento l. quid tamen. 21. §. pen. ſup. de recept. arbitr.* quoniam Barnab. Cornazzanus *in deciſ. Lucenſi 189. n. 1. & 2.* creditum ab invito debitore particulatim peti poſſe negat, idq́; ſenſiſſe ait Bartolum *in d. §. pen. & in l. non eſt novum. 10. ſup. de actionib. empt. & vend.* itemq́; Cagnolum *in l. pen. §. 1. n. 4. ſup. de juriſdict.* necnon Jaſonem *in d. l. quidam exiſtimaverunt. n. 8.* Ac licet creditori particularis crediti petitio in jure permiſſa dicatur: tamen ne ſic quidem hujuſmodi Alciati argumentum ſubſiſtet, cùm diſpari creditoris † ac debitoris ratione refelli poſſit. Nam cre- 28
ditor partem pecuniæ ab ſe creditæ petens ſibi potius quàm debitori nocet: cùm tolerabilius ſit debitori † partem, quàm totam ſummam 29
debitam ſolvere. At verò debitor debiti partem creditori † offerens, non ſibi, ſed creditori no- 30
cet, *per d. l. 3. ſup. famil. erciſcund.* Mirum igitur non eſt, ſi debiti pars, quæ ab invito peti poteſt, ſolvi

tamen

tamen invito non poſſit : cùm ſuam, non alte-
31 rius conditionem † deteriorem facere cuivis liceat, *l. pactum 46. ſup. de pact. & l. ſolvendo. 39. ſup. de negoc. geſt.*

Neque etiam ex eo, quod Paulus *in l. 2. §. 1.*
32 *ſup. de verb. obligat.* indiſtinctè ait, † *obligationem pecuniæ dandæ recipere partium præſtationem.* Alciatus evincere poteſt, non volenti ſolùm, ſed invito quoque creditori pecuniam debitam pro
33 parte ſolvi poſſe : quoniam † dictio *Præſtationis*, qua Paulus eò loci utitur, ſatis arguit, partem debiti non niſi volenti creditori ſolvi poſſe. Nam id demum pręſtitiſſe quis dicitur, quod ab alio acceptum eſt: accipere autem nemo in-
34 telligitur, niſi volens † accipiat, *argumento l. hoc jure. 19. §. non poteſt. ſup. de donat.* Dubium itaque non eſt, quin in voce *Præſtationis* etiam voluntas accipientis vi ipſa contineatur. Et aliâs re-
35 rum † dividuarum, quarum Paulus *in d. §. 1.* meminit, natura hæc eſt, ut, quemadmodum conſenſu contrahentium in ſtipulatum per partes rectè deducuntur : ita etiam volente demum creditore per partes ritè diſſolvantur.

Denique, etſi Alciatus hoc ipſo, quòd qui-
36 vis heredum † partem debiti, in quam ſucceſſit, etiam invito creditori offerre poteſt, *per l. 2. C. de heredit. action.* ſtatuit, debitori adhuc vivo quoque idem concedendum eſſe : quòd aliâs
37 immutaretur conditio † obligationis, quæ ex perſona heredum immutari nequeat, *per d. l. 2.*

§. ex

§.*ex his igitur.ſup.de verb.oblig.*tamen cum Donello reſponderi poteſt, conditionem obligationis non immutari, quando unuſquiſq; ex heredibus partem duntaxat hereditariam præſtat: neque enim amplius quàm debet, quis ſolvere compellitur. Debitor quidem † totum ſolvere 38
cogitur, quia ſolus totum debet, atque hoc ſolvendo liberatur: At verò ſinguli ipſius † here- 39
des totum non debent, quoniam æs alienum ipſo jure inter † heredes pro hereditariis porti- 40
onibus dividitur, *l.pacto.26.C.de pact.* Unde unuſquiſq; heredum ſi ſolvat eam debiti partem, in quam ſucceſſit, liberatur. Neque etiam Paulus *in d.§.ex his igitur*, dicit † conditionem obligati- 41
onis non immutari ex perſona heredis, ſed ex perſona heredum omnium videlicet conjunctim, ut ſic quid in ſingulis heredibus ſeparatim fiat, quærendum non ſit. Ex quibus omnibus ſatis elucеſcit, creditorem non cogi accipere partem ejus, quod ſibi debetur, niſi conventio † intervenerit, ut pars ſolvi poſſit, quo 42
caſu conventioni ſtandum eſſet, *per l.1.ſup.de pact.*

L. 75.

Papinianus libro tertio quæſtionum.

§ *Nemo poteſt mutare conſilium ſuum in alterius injuriam.*

Sum-

SUMMARIA.

1 *Conſilium in melius mutare licet, ſi damnum inde alteri non inferatur.*

2 *Injuriæ vocabulum læſionem ſive damnum aliquando ſignificat.*

3 *Judex ſententiam ab ſe dictam corrigere non poteſt.*

4 *Hereditas ſemel adita repudiari non poteſt.*

5 *Heres creditoribus hereditariis obligatur ſimulac hereditatem adiit.*

6 *L. ſi ſterilis. 21. §. ult. ff. de action. empt. conciliatur cum l. nemo poteſt. 75. ff. h. t.*

7 *Emptor ædium, ſi venditori ad dies vitæ habitationem, aut in annos ſingulos decem condixerit, hoc anno decem, altero habitationem præſtare poteſt.*

8 *Mandatum ſuſceptum ita renunciari poteſt, ſi mandatori jus integrum reſervetur.*

9 *L. nonnunquam. 8. ff. de collat. bonor. conciliatur cum l. nemo poteſt. 75. ff. h. t.*

10 *Filius emancipatus præteritus cautionem de bonis ſuis conferendis offerens ad bonorum poſſeſſionem contra tabulas admittitur, etiamſi primùm cautionem iſtam detrectaſſet.*

11 *Bona paterna jure naturali liberis emancipatis æquè debentur ac liberis iſtis, qui in poteſtate manſerunt.*

QUod Philoſophi ſapientis viri eſſe ajunt, conſilium ſuum mutare in melius: id JCti, quem-

quemadmodum hæc Papiniani regula docet, ita † demum admittunt, ſi hoc fiat circa alterius injuriam. Injuriæ autem † vocabulum hoc loco non contumeliam, ſed damnum ſive læſionem ſignificat: quo ſenſu accipitur etiam *in l. operis. 43. ſup. de oper. libert. & in l. jure naturæ. 206. inf. h. t.* Cæterùm exemplum hujus regulæ extat *in l. judex. 55. ſup. de re judic.* ubi Ulpianus refert judicem † ſententiam ſemel ab ſe dictam corrigere amplius non poſſe: quòd correctio iſta damno afficeret eum, pro quo ſententia primùm lata eſt. Simile exemplum præbet *l. 4. C. de repud. vel abſtin. hered.* ubi † heredi hereditatem ſemel aditam repudiare non permittitur, quòd repudiatio iſta creditoribus † hereditariis damnoſa eſſet, quippe quibus ex aditione heres ita obnoxius factus eſt, ut in ſolidum etiam ultra vires hereditatis ipſis teneatur. *l. ult. §. pen. C. de jur. delib.*

1
2
3
4
5

Verùm regulæ huic obſtare videtur *l. ſi ſterilis. 21. §. ult. ſup. de act. empt.* ubi Paulus ex ſententia Trebatii, emptorem eo caſu, quando domum mercatus eſt hac conditione, ut venditori habitationem donec viveret, aut † in annos ſingulos decem præſtaret, mutandæ voluntatis poteſtatem habere ſtatuit, ut hoc anno habitationem, altero decem præſtet. Reſpondeo venditori mutatione iſta nullam injuriam fieri, quoniam ipſe ſibi diverſa diſiunctim reſervavit, aut habitationem, aut decem: itaque culpa

6
7

emptor

emptor caret, ſi alterutrum quovis anno venditori præſtiterit, *per l.in eo.110.§.pen.inf.h.t.*

Cui conſequens eſt regulæ huic locum non eſſe, quando conſilii mutatio alii damnum non affert, *per l.de ætate.11.§.ult.ſup.de interrog. in jur. facien.* Ejusque exemplum Paulus *in l.ſi mandavero.22.§.ult.ſup.mandat.* proponit in † mandato
8 ſuſcepto, quod ita demum renunciari poteſt, ſi integrum jus mandatori reſervetur. Sed magis
9 adverſari videtur † *l.nonnunquam.8.ſup.de collat. bonor.* ubi Prætor filium emancipatum præteritum, qui de bonis ſuis conferendis primùm quidem cavere noluit, ſed tamen poſtea mutato conſilio cautionem iſtam obtulit, ad benefi-
10 cium bonorum † poſſeſſionis contra tabulas admittit, licet mutatio iſta fratribus ipſius, qui videlicet heredes ſcripti fuerant, hoc ipſo noceat, quod ea ratione totam hereditatem non conſequuntur. Reſpondeo l. oppoſitam eſſe exceptionem hujus regulæ, quod inſcriptio ſatis indicat: Utraque enim Papiniani eſt, & ex eodem *lib.3.quæſtionum* deſumpta. Ratio autem exceptionis dependet ex eo, quòd Prætor jus
11 naturale potiſſimùm attendit, quo bona † paterna liberis emancipatis non minus debentur quàm iis, qui in poteſtate manſerunt, ut ſic revera hi ex fratris emancipati conſilio mutato læſi haudquaquam dici queant, cùm quicquid iis decedit, lucro detracto potius adſcribendum ſit, quàm damno dato.

L.76.

L. 76.

Papinianus libro 24. quæſtionum.

¶*In totum omnia, quæ animi deſtinatione agenda ſunt, non niſi vera & certa ſcientia perfici poſſunt.*

Summaria.

1 *Erroris interventu vitiantur ea, quæ ex certa ſcientia agenda ſunt.*

2 *Conſenſui nihil tam eſt contrarium, quàm error.*

3 *Dominium rei ſuæ quis errore ductus non amittit.*

4 *Poſſeſſionem rei ſuæ errans non amittit.*

5 *Conductor rei propriæ locatorem dominum non facit, ſi ignorans ſuam rem conduxerit.*

6 *Heres de morte teſtatoris dubitans nec adire, nec repudiare hereditatem poteſt.*

7 *Hereditatis aditio certo animi judicio fieri debet.*

8 *L. ſi quis extraneus. 21. §. ult. ff. de acquir. vel omitt. hered. cõciliatur cum l. ſi is ad quem. 22. ejuſd. tit.*

9 *Delicta pœnam non merentur, niſi ſcienter admiſſa ſint.*

10 *Maleficia voluntate ac propoſito delinquentis diſtinguuntur.*

11 *Voluntas ſpectatur in maleficiis, non exitus.*

12 *Vaſallus feudo non privatur, ſi ignorans cum Domini uxore concubuerit.*

13 *Error ſive ignorantia facti excuſat.*

14 *Error juris non minuit delictum jure gentium prohibitum.*

15 *Error juris mulieres ac minores excuſat in his, quæ jure civili prohibita ſunt.*

16 *Jus civile per naturam ignorari poteſt.*

IN ultimis voluntatibus, neque his ſolùm, ſed quibuſvis aliis negotiis, quæ inter vivos expediri ſolent, ea, quæ animi deſtinatione, hoc eſt,
1 ex † certa ſcientia agenda ſunt, erroris inter-
2 ventu vitiantur: cùm animo ſive † conſenſui, ut ex Juliano refert Ulpianus *in l. ſi per errorem. 15. ſup. de juriſdict.* nihil tàm ſit contrarium, quàm error, qui imperitiam detegit.
3 Unde nec † dominium, nec poſſeſſionem
4 rei ſuæ quiſquam † errans amittit. *l. ſi procurator. 35. ſup. de acq. rer. domin. & l. 3. §. in amittenda. ſup. de acquir. vel amitt. poſſ.* Eodemq; pertinet *l. ad probationem. 23. C. de locat. & conduct.* ubi dominium
5 † in locatorem tranſtuliſſe negatur, qui rem propriam ignorans ab eo conduxit.
6 Similiter & heres inſtitutus nec adire † nec repudiare hereditatem poteſt, quando de morte teſtatoris dubitat, etiamſi ille jam defunctus ſit, *l. is qui heres. 13. §. 1. & l. heres. 32. in princ. ſup. de ac-*
7 *quir. vel omitt. hered.* quoniam & aditio & † repudiatio hereditatis certo animi judicio fieri debet, *per l. ſi is ad quem. 22. & l. eum bonis. 87. in princ.*
8 *eod.* cui non † obſtat *l. ſi quis extraneus. 21. §. ult. eod.* quoniam heres eo caſu ſcivit ſe heredem inſtitu-

ſtitutum eſſe, quamvis neſciverit, ex qua parte inſtitutus ſit.

In delictis idem obſervatur : neque enim † pœnam legibus ſtatutam illa merentur, niſi 9
ſcienter ac dolo malo commiſſa ſint, *per l. pen. ſup. ad l. Jul. de adulter.* Hinc Paulus in principio *l. qui injuria. 53. ſup. de furt.* ait, voluntatem & propoſitum delinquentis † maleficia diſtinguere. 10
Cui convenit illud, quod Calliſtratus *in l. Divus. 14. ſup. ad l. Cornel. de ſicariis.* ex reſcripto Imper. Hadriani refert, in † maleficiis voluntatem 11
ſpectari, non exitum. Idque Zaſius *in epit. feud. part. 10. n. 27. verſ. verùm ſi vaſallus.* illuſtrat exemplo vaſalli, quem † feudo privari negat, ſi igno- 12
rans cum Domini uxore concubuerit, *argumento c. ſi virgo. & c. ſeq. 34. q. 2.*

Atq; hæc ita ſe habent, ſi ignorantia † facti 13
interceſſerit : quòd ſi enim delictum errore ſive ignorantia juris commiſſum ſit, tum diſtingui oportet, utrum delictum illud gentium an civili jure prohibitum ſit. Quod enim † jure 14
gentium prohibetur, in eo venia ignorantiæ non datur: cùm factum ſit id, quod ratione naturali, ac proinde omnibus cognita prohibitum eſt. Quod verò jure civili prohibitum eſt, in illo error † juris mulieres ac minores excu- 15
ſare ſolet, quia jus civile † ejuſmodi non eſt, ut 16
cuiquam ſola ratione naturali in mentem venire poſſit, *per l. ſi adulterium 38. §. quare mulier. ſup. ad l. Jul. de adulter. & l. 1. §. accuſationem. ſup. ad SC.*

Turpil. qua de re videri etiam poterunt illa, quæ Hugo Donellus *in cap. pen. lib. 1. comment. de jur. civil.* prolixè tradit.

L. 77.

Papinianus libro 28. quæſtionum.

¶ *Actus legitimi, qui non recipiunt diem vel conditionem, veluti mancipatio, acceptilatio, hereditatis aditio, ſervi optio, datio tutoris: in totum vitiantur per temporis vel conditionis adjectionem, nonnunquam tamen actus ſuprà ſcripti tacitè recipiunt, quæ apertè comprehenſa vitium adferunt. Nam ſi acceptum feratur ei, qui ſub conditione promiſit, ita demum egiſſe aliquid acceptilatio intelligitur, ſi obligationis conditio extiterit, quæ ſi verbis nominatim acceptilationis comprehendatur, nullius momenti faciet actum.*

SUMMARIA.

1 *L. actus legitimi 77. ff. h. t. quomodo in Pandectis Florentinis legatur?*

2 *L. actus legitimi 77. ff. h. t. intellectus ſecundum Cujacium.*

3 *L. actus legitimi. 77. ff. h. t. quomodo ex ſententia Alciati, Coraſii & Hotomanni legi debeat?*

4 *Papinianus elegantiæ Latinitatis ſtudioſiſſimus fuit.*

Ταυτο-

5 Ταυτολογία evitanda eſt.
6 *Actus legitimi quínam dicantur.*
7 *Actus legitimos quomodo Hotomannus ab actionibus legis diſcernat?*
8 *Actus legitimi perinde ut actiones legis ſunt juris publici.*
9 *Actiones legis certis verborum formulis peraguntur.*
10 *Actus legitimi purè ſine diei vel conditionis adjectione fiunt.*
11 *Mancipatio certis verborum formulis olim peracta fuit.*
12 *Emancipatio mancipatione perficiebatur.*
13 *Adoptio per mancipationem olim fiebat.*
14 *Mancipatio nec diem, nec conditionem recipit.*
15 *Adoptari ad tempus nemo poteſt.*
16 *Emancipari an quis ita poſſit, ut in patris poteſtatem aliquando redeat?*
17 *Filium temporalem habere abſonum eſt.*
18 *Liberorum ſtatus an in pendenti eſſe debeat?*
19 *Arrogatio in patriam poteſtatem reducit eum, qui ſui juris factus eſt.*
20 *Ingratitudo filium emancipatum in patris poteſtatem redigit.*
21 *Liberorum ſtatum neceſſitas aliquando ſuſpendit.*
22 *Filius naturalis curiæ oblatus cujus reſpectu legitimus habeatur?*
23 *Intellectus l. communium. 9. C. de natural. liber.*
24 *Succeſſionis jus ex civili jure ortum ſuum ducit.*
25 *Liberorum ſtatus juri naturæ acceptus fertur.*

26 Acceptilatio quanám actus legitimus dicatur?
27 Acceptilatio ſimplex jure uſitato nititur.
28 Acceptilationis Aquilianæ origo.
29 Acceptilatio ſub conditione fieri non poteſt.
30 Acceptilatio in diem facta non valet.
31 Acceptilatio per Procuratorem fieri non poteſt.
32 Acceptilatio eſt ficta ſolutio.
33 Solutio ficta ſolutioni veræ æquippollet.
34 Solutio eſt actus legitimus.
35 Solutio quamvis obligationem ſtatim perimit.
36 Hereditatis aditio eſt actus legitimus.
37 Hereditatis aditio l.12.tab. ortum ſuum acceptum refert.
38 Hereditas per alium quàm heredem ipſum olim adiri non poterat.
39 Princeps ſummus per Procuratorem ſuum adire hereditatem poteſt.
40 L.1.§.ult.ff.de offic.procur. Cæſar.eſt exceptio l. per procuratorem.90.ff.de acquir.vel omitt.hered.
41 Hereditas ſub die vel conditione adiri non poteſt.
42 Hereditatis aditio ex certa heredis voluntate dependet.
43 Voluntas iſta certa non eſt, quæ ex die, in diem, vel ſub conditione concepta eſt.
44 Heres ſemel factus per diei vel conditionis eventum heres eſſe non deſinit.
45 Hereditas longè poſt mortem teſtatoris adita non ſecus habetur, ac ſi ſtatim à teſtatoris morte adita fuiſſet.
46 L.eum qui.51.§.ult.ff.de acquir.vel omitt.hered. conci-

conciliatur cum l.primo gradu.23.ff.quæ in fraud. creditor.fact.ſunt.

47 *Heres an adire hereditatem ita poſſit, ut æris alieni, quod defunctus contraxit, partem duntaxat ſolvere velit.*

48 *Solutio debiti hereditarii ex voluntate creditorum hereditariorum ad certam partem fieri poteſt.*

49 *Legata cur in caſu l. primo gradu. 23. ff. quæ in fraud.credit.fact. ſunt, non debeantur?*

50 *Optionis ſervorum cur Papinianus in l. actus legitimi.77.ff.h.t.ſaltem meminerit, cùm tamen & reliquarum rerum optio eſſe poſſit?*

51 *Optio ſervi nec diem, nec conditionem recipit.*

52 *Legatario certum tempus præfigi poteſt, intra quod ſervum legatum eligat.*

53 *Tutoris datio eſt actus legitimus.*

54 *Tutoris datio cum cauſa cognitione fit.*

55 *Tutelæ adminiſtratio ei demum à magiſtratu committitur, qui publicè idoneus pronunciatus eſt.*

56 *Decretum judicis ſub die vel conditione non fertur.*

57 *Tutela teſtamentaria & diem & conditionem recipit.*

58 *Pupillus, cui tutor ex die vel ſub conditione teſtamento datus eſt, alium tutorem à magiſtratu tantiſper accipit, dum dies vel conditio evenerit.*

59 *Tutor à magiſtratu præficitur pupillo tum, quando extitit dies vel conditio, ad quam teſtamentarius datus fuerat.*

60 *Actus legitimi cur diei vel conditionis adjectione ex Alciati ſententia vitientur?*

61 *Actus legitimi fictione legis inducti ſunt.*

62 *Executioni dies vel conditio repugnat.*

63 *Actus hominum ex voluntate hominum ſuſpendi poſſunt.*

64 *Actus legis cur ſuſpendi non poßint?*

65 *Legis nomen non meretur, quod in perpetuum non valet.*

66 *Tutela teſtamentaria ſola actus legitimus non eſt.*

67 *Actus legitimi ſolummodò expreſſam, non verò tacitam diei vel conditionis adjectionem reſpuunt.*

68 *Acceptum purè an ferri poßit id, quod in diem vel ſub conditione debetur?*

69 *Dotis conſtitutio nulla eſt, niſi nuptiæ ſecutæ fuerint.*

70 *Expreſſa interdum nocent, quæ ſi expreſſa non fuiſſent, minimè nocerent.*

DE lectione hujus l. inter juris interpretes
1 non convenit. In † Florentinis namque Pandectis priora hujus l. verba hoc modo leguntur: Actus legitimi, qui recipiunt diem vel conditionem &c. Atque hanc lectionem Cujacius non hîc ſolùm, ſed & *in cap. 16. lib. 15. obſer.*
2 probat, ejusq; ſenſum eſſe ait, † actus legitimos ita demum in totum vitiari, ſi diem vel conditionem iis partes apertè adjiciant. Verùm alii Codices interpoſitam habent negationem, ita
3 videlicet: Actus † legitimi, qui non recipiunt diem

diem vel conditionem &c. quam lectionem ex recentioribus & Alciatus *in cap.4.lib.3.παρέργων*, & Coraſius *in principio l. 4. n. 18. ſup. de ſervitut.* & Hotomannus *in illuſtri quæſt. 32.* probant, eaque mihi etiam videtur verior: cùm veriſimile non ſit, Papinianum, cui hæc l. adſcribitur, in uno eodemq; membro die ac conditionis mentionē bis ſine cauſa feciſſe: ſiquidem, ut ex ipſius ll. videre eſt, uſquequaq; † elegantiæ ſtuduit, & 4
ταυτολογίαν † accuratè evitavit. Nec parum fidei 5
Florentinæ lectionis principium *l. ſtipulationes 72. ſup. de verb. oblig. l. contractus. 23. ſup. h. t.* & complures aliæ ll. derogant. Ex quibus ſatis evincitur, JCtis hoc familiare eſſe, ut dicant res quaſdam naturâ recipere aliquid, quod cæteræ non recipiunt.

Cæterùm † actus legitimi hoc loco dicun- 6
tur non omnes actus jure civili introducti & approbati, ſed, quemadmodum Briſſonius *in cap. 20. lib. 4. ſelect. antiquit. juris*, itemque Cujacius in allegato loco demonſtrant, legis actiones, quæ ſolennitate quadam juris, certiſque verborum formulis peraguntur: tametſi Hotomannus *in d. quæſt. 32.* actus legitimos † ab actio- 7
nibus legis in hoc diſcernit, quòd illos ad formulas rerum à privatis agendarum duntaxat accommodat: has verò tam magiſtratuum quàm privatorum communes facit: illos partim ex lege, partim ſine lege à priſcis JCtis inſtitutos eſſe refert: has verò omnes ex legis alicujus inſti-

tuto deducit: illorum pleroſq; etiam per Procuratorem expediri antiquitus potuiſſe ſcribit: harum verò nullam niſi inter præſentes fieri potuiſſe ait. Sed quoquo modo hæc ſeſe habe-
8 ant, de hoc conſtat, tam actus † legitimos, quàm
9 legis actiones juris eſſe publici, certamq; † formulam JCtis acceptam referre, neque iterari,
10 ſed ſemel tantùm & quidem † purè ſine diei aut conditionis adjectione fieri: id quod exempla hìc enumerata ſatis evincunt.

Etenim mancipatio, cujus primùm fit men-
11 tio, ex *l.12. tabul.* inſtituta, atque certis † verborum formulis ab auctore ac mancipe præſentibus uſurpata fuit, veluti videre eſt ex iis, quę notat Ulpianus *in fragm. tit. 10.* & Gajus *lib. 1. Inſtit. tit. 6. verſ. item per emancipationem.* Mancipatio hęc
12 & in † emancipatione & in adoptione adhi-
13 benda † erat, teſte Juſtiniano *in §. preterea. Inſtit. quib. mod. jus patr. poteſt. ſolv. & in l. ult. C. de adoption.*
14 Hujuſmodi autem mancipatio nec diem, † nec conditionem recipit: ideoq; nemo ad tempus
15 † adoptari poteſt, nec filiusfam. ita emancipari
16 poteſt, ut aliquando † in poteſtatem patris redeat: cùm moribus Romanis non conveniat, ut
17 temporalem † filium quis habeat, nec legi con-
18 ſentaneum ſit, ut ſtatus † liberorum in pendenti & ſuſpenſo remaneat, *l. quæſitum. 34. ſup. de adoption.* quod quidem ita ſe habet, ſed tantiſper, dum vel arrogatio, vel ingratitudo filii eman-
19 cipati non intervenerit. Nam & † arrogatio & in-

& ingratitudo eum, qui ſui juris factus eſt, in † 20
patriam poteſtatem reducit, illa quidem hone-
ſtè, ut loquitur Ulpianus *in l. qui liberatus. 12. ſup.*
eod. hæc verò inhoneſtè, *l. unic. C. de ingrat. liber.*
Quemadmodum & neceſſitas aliquando † li- 21
berorum ſtatum ſuſpendit, cujus exemplum
nobis præbet *§. ſi ab hoſtibus. Inſtit. quib. mod. jus*
patr. poteſt. ſolvit. in eo, qui ab hoſtibus captus eſt.
Neque ex eo, quòd filius naturalis † curiæ ob- 22
latus ſolius patris reſpectu legitimus cenſetur,
cæterorumque agnatorum ratione pro illegi-
timo habetur, ut habet conſtitutio Juſtiniani
† *in l. communium. 9. ſup. de natur. liber.* prædicta in- 23
firmantur: quoniam de jure ſucceſſionis illud
accipiendum eſt, quod, cùm ex civili jure † or- 24
tum ſuum ducat, ſtatum liberorum, qui juri
† naturæ adſcribitur, non immutat, *per l. jura* 25
ſanguinis. 8. ſup. h. t. Neque naturæ contrarium
hoc eſt, ut quis patris duntaxat, non reliquo-
rum agnatorum reſpectu legitimus cenſea-
tur filius, cùm varietatem hujuſmodi civile a-
gnatorum jus potius, quàm ipſius filii perſona
extrudat.

Mancipationi Papinianus ſubjungit accepti-
lationem: † ubi haud immeritò dubitari poſ- 26
ſit, utrum de quavis acceptilatione Papinia-
nus ſuam l. acceptam voluerit? Hotomannus
certè non ſimplicem acceptilationem, ſed eam,
quæ fit interveniente Aquiliana ſtipulatione
actibus legitimis annumerat: quòd hæc juri
uſitato,

27 uſitato, quo ſimplex † acceptilatio nititur, accepta non referatur, ſed, ut Cicero in oratione
28 pro Aul. Cecinna teſtatur, à Gallo Aquilio † tribuno plebis JCto apud veteres Romanos autoritatis maximæ primùm inducta ſit, adeoque ſola legis vim obtineat. Verùm Hotomanno aſſentiri non poſſum, tum quòd Pomponius *in l. 4. ſup. de acceptil.* id, quod actuum legitimorum eſt proprium, indiſtinctè ad quamvis accepti-
29 lationem accommodat, dum eam ſub † condi-
30 tione fieri poſſe negat, adeoq; in diem † ſi facta fuerit, nullius momenti illam eſſe Ulpianus quoque *in l. in diem. 5. eod.* ſtatuit: tum quòd per
31 † procuratorem illa fieri non poſſit, *l. & per jusjurandum. 13. §. tutor. eod.* cui conſentit quoque Imp. Gordianus *in l. 4. C. de novat.* Ac licèt ex ju-
32 re uſitato ſimplex † acceptilatio deſcendat, imaginaria tamen ac ficta illa eſt ſolutio, quæ ſolu-
33 tioni † veræ æquippollet, *d. l. in diem.* ſolutio-
34 nem verò actum † legitimum eſſe hinc patet,
35 quia quamvis obligationem ſtatim † perimit non expectata die vel conditione, *l. qui res. 98. §. aream. ſup. de ſolution.* cui accedit *§. 1. Inſtit. quib. mod. toll. obligat.*

Actibus legitimis tertio loco annumeratur
36 hereditatis † aditio, quæ & ipſa *ex l. 12. tab.* or-
37 tum † ſuum ducit, ſive ex teſtamento, ſive ab inteſtato hereditas adeatur, *l. 1. ſup. de hered. petit.* cui conſentit Ulpianus *in l. lege obvenire 130. ſup. de verb. ſignif.* Nec adiri hereditatem potuiſſe per alium

alium † quàm heredem ipſum, patet inde, 38
qui ſummus Princeps hoc præcipuum habuit,
ut per ſuum † procuratorem hereditatem adire 39
poſſet. † *l.1.§.ult. ſup. de offic. procur. Cæſar.* De cæte- 40
ris igitur accipi oportet, quod Paulus *in l. per
procuratorem. 90. ſup. de acquir. vel omitt. heredit.* hereditatem per procuratorem acquiri poſſe indiſtinctè negat. Neque etiam diem † vel con- 41
ditionem hereditatis aditio recipit, *l. eum qui. 51. §. ult. eod.* ubi Africanus aditionem nullam eſſe ait, ſi quis ita dixerit: adeo hereditatem, ſi ſolvendo illa eſt. Cùm enim aditio † hereditatis 42
ex heredis voluntate, eaq́; certa dependeat, *l. jam dubitari. 86. ſup. de hered. inſtit. & l. quoniam. 7. C. de jur. delib.* voluntas † autem ex die, in diem, 43
aut ſub conditione concepta certa non ſit, neque etiam propriè voluntas dicatur, *argumento l. 1. ſup. de donat.* inde fit, ut adiri hereditas non niſi purè poſſit. Et qui ſemel † heres eſt, per diei 44
vel conditionis eventum heres eſſe non deſinit, *l. ait Prætor. 7. §. ſed quod Papinianus. ſup. de minor. 25. ann.* Ac quamvis longè poſt † mortem 45
teſtatoris hereditatem heres adierit, ex die tamen eam adiiſſe non dicitur: quoniam hujuſmodi aditio perinde habetur, ac ſi ſtatim à tempore mortis facta eſſet, *per l. omnis hereditas. 138. in princ. & l. omnia ferè. 193. inf. h. t.* Verùm huic adverſari videtur *l. primo gradu. 23. ſup. quæ in fraud. cred. fact. ſunt.* † ubi heredes ejus, qui ſolvendo 46
non erat, ea conditione hereditatem adiiſſe dicuntur,

47 cuntur, ut creditoribus † partem duntaxat ſolverent. Reſpondeo conditionem, quam heredes eò loci adjecerant, non aditionem hereditatis, ſed ſolutionem debiti hereditarii reſpicere, quæ ex pactione cum creditoribus hereditariis
48 riis inita † ad certam quantitatem fieri poteſt, hereditatis aditione pura nihilominus manen-
49 te: quòd verò legata † in caſu iſtius l. non debentur, id fit propterea, quia ſaltem famæ defuncti conſervandæ cauſa hereditas eſt adita.

Porrò ad actus legitimos Papinianus etiam
50 refert † optionem ſervi, non quòd cæterarum rerum optio diem vel conditionem recipiat, ſed quia ſervorum magis quàm aliarum rerum optio in uſu erat, & de hac ſæpius, quàm de aliarum rerum optione quærebatur. Cæterùm
51 ſervi optio ſimiliter † nec diem nec conditionem recipit, ſed purè ac ſemel facienda eſt, ne ſit in poteſtate legatarii, heredem reliquos fortaſſe ſervos diſtrahere volentem in certæ diei vel conditionis eventum remorari: quam ob
52 cauſam quoque magiſtratus certum † tempus legatario præfinire poteſt, intra quod ſervum eligat, *l. mancipiorum. 6. ſup. de option. legat.*

Denique in numero actuum legitimorum
53 & † tutoris datio ponitur, ac proinde diei conditionísve adjectione vitiatur. Cujus rationem Coraſius *in principio l. 4. n. 23. ſup. de ſervit.* hanc
54 reddit, quòd datio hujuſmodi † cum cauſæ cognitione fiat, nec cuiquam à magiſtratu tutelæ

† ad-

† adminiſtratio antè committatur, quàm is pu- 55
blicè interpoſito decreto idoneus pronuncia-
tus ſit. *per l. naturali. 7. §. ult. ſup. de confirm. tutor.* de-
cretum verò Judicis ſub die vel † conditione 56
non feratur, *l. 1. § biduum. ſup. quand. appell. ſit. & int.*
qua temp. Unde apparet, Papinianum hoc lo-
co non de quavis tutoris datione loqui, ſed e-
am duntaxat intelligere, quæ dativa vulgò nun-
cupatur. Etenim tutela teſtamentaria † & diem 57
& conditionem recipit, ita quidem, ut & ex
tempore, & uſque ad certum tempus, & ſub
conditione, & uſque ad certam conditionem
tutor teſtamento dari poſſit. *l. tutor datus. 8. §. 1.*
& ſeq. ſup. de teſtam. tutel. & §. ad certum. Inſtit. qui te-
ſtam. tutor. dar. poſſ. quo tamen caſu † alius tutor 58
à magiſtratu pupillo præficitur: & quidem ſi ex
die vel conditione tutor teſtamento datus ſit,
tantiſper magiſtratus pupillo tutorem præfe-
cit, dum dies vel conditio iſta exiſtat: ſin verò
ad certam diem † vel conditionem ille datus 59
ſit, ex eo tempore, quo dies vel conditio iſta e-
venit, tutor dativus pupillo præeſſe incipit, *§. 1.*
Inſtit. de Attilian. tutor.

Cæterùm Alciatus *in cap. 8. lib. 3.* παρέργων in
prædictis rationibus, ex quibus & hereditatis
aditionem, & ſervi optionem & dationem tu-
toris (nam de mancipatione atq; acceptilatio-
ne hoc caſu inter interpretes diſſenſio non eſt)
diei conditionisve † adjectione vitiari dixi, non 60
acquieſcit: verùm omnes illos caſus unica hac
ratio-

ratione deciſos eſſe concludit, quòd actus iſti à præſenti executione nomen habeant, legiſq;
61 † fictione vel interpretatione inducti ſint, ac proinde neq; diem, neq; conditionem accipi-
62 ant: quoniam dies † vel conditio nomini ipſius actus executioniq; repugnat. Ergo actus homi-
63 num † ſuſpendi poſſunt, cùm ex ipſorum vo-
64 luntate effectum ſortiantur: ſed actus † legis in pendenti eſſe non poſſunt, quia lex eos confeſtim certos eſſe jubet, nec in diei vel conditionis eventum ſuſpendit. Neque enim legis no-
65 men † meretur, quæ non in omne tempus concipitur, atq; in perpetuum valet: id quod haud obſcurè quoque Did. Covarruvias *in cap. 3. n. 3. partis 2. de matrimon.* ſentit. Atque ex hâc ratione non ea ſolùm tutela, quæ à magiſtratu datur, & vulgò dativa nuncupatur, ſed & hæc quoque, quę ex lege proximioribus defertur, & legitima dicitur, diei vel conditionis adjectione vitiabi-
66 tur, eaque ſola, quę † teſtamento datur, ab actibus legitimis removebitur.

Verumenimverò, quæ de diei conditionisve adjectione hactenus dixi, ea de expreſſa diei conditionisve adjectione accipi debent: nam
67 † tacitam diei vel conditionis adjectionem actus legitimi non reſpuunt: cujus exemplum Papinianus hoc loco in acceptilatione propo-
68 nit: quòd ſi enim purè † acceptum feratur id, quod in diem vel ſub conditione debetur, acceptilatio tum demum valet, atque affectum ſortia-

ſortitur, cùm ipſa obligationis conditio extiterit, vel dies venerit, quaſi in acceptilatione tacitè repetita cenſeatur conditio, quæ in ſtipulatione expreſſa eſt: quemadmodum refert Pomponius *in l. quod in diem. 12. ſup. de acceptil.* Quam ob cauſam etiam Ulpianus *in l. licet. 43. ſup. de jur. dot.* acceptilationem, per quam † dos ſimpliciter conſtituta eſt, nullam eſſe ſtatuit, ſi nuptiæ 69
ſecutæ non ſint, quòd acceptilationi hujuſmodi tacitè inſit hæc conditio, ſi nuptię ſecutę fuerint, *per l. non enim. 37. eod.* & aliâs tritum eſt, expreſſa nocere, † quæ ſi expreſſa non fuiſſent, 70
minimè nocerent, veluti dicetur ad *l. expreſſa. 195. inf. h. t.*

L. 78.

Papinianus libro 31. quæſtionum.

¶ *Generaliter cùm de fraude diſputatur, non quid habeat actor, ſed quid per adverſarium habere non potuerit, conſiderandum eſt.*

SUMMARIA.

1 *L. generaliter. 78. ff. h. t. in Florentinis exemplaribus aliter quàm in Baſilicis legitur.*

2 *Actor qui de fraude queritur, eo ſolum fraudatus eſſe cenſetur, quod dolo ſui adverſarii habere non potuit.*

3 *L. generaliter. 78. ff. h. t. Cujacius nimis ſtrictè interpretatur.*

4 *Actor rem dolo adverſarii ſibi ereptam recepiſſe non intelligitur, niſi & omnem utilitatem, quam ex iſta re interim, dum ea caruit, percipere potuiſſet, receperit.*

5 *Res cum ſua cauſa reſtitui debet.*

6 *Cauſæ vocabulum aliquando denotat utilitatem, quam actor habiturus eſſet, ſi res tempore judicii accepti reſtituta fuiſſet.*

7 *Poſſeſſor bonæ fidei, ſi conventus rem domino non reddat, ex eo demum tempore, quo litem eſt conteſtatus, quoſvis fructus præſtare tenetur.*

8 *Poſſeſſor malæ fidei omnes rei fructus domino ex eo tempore reſtituere tenetur, quo rem alienam ad ſe traxit.*

9 *Fructuum æſtimatio utrum facienda ſit ex eo, quod Actor ex re, ſi eam habuiſſet, percipere potuiſſet: an verò ex illo, quod Reus poſſeſſor, ſi frugi fuiſſet, inde percepiſſet?*

10 *Actoris arbitrio perperam Bartolus relinquit, utrum petere velit fructus quantos ipſe ſi rem habuiſſet, inde percipere potuiſſet: an verò quantos frugi poſſeßor percepiſſet.*

11 *Fructus iſti petendi ſunt, quos Actor ex re, ſi eam habuiſſet, percipere potuiſſet.*

12 *L. ſi navis. 62. §. ult. ff. de rei vendicat. conciliatur cum l. domum. 5. C. eod.*

13 *L. domum. 5. C. de rei vendicat. incidenter æſtimationis fructuum meminit.*

HÆc l. duplici modo legitur: vulgaris lectio, 1 quæ † & Florentini exemplaris autoritate

nitι-

nititur, ita habet : Generaliter cùm de fraude diſputatur, non quid habeat actor, ſed quid per adverſarium habere non potuerit, conſiderandum eſt. Altera lectio in Baſilicis reperitur, atque in initio unam adhuc interpoſitam habet negationem, hoc modo : Generaliter cùm de fraude diſputatur, non quid non habeat actor &c. Utriuſq; lectionis eandem eſſe ſententiam teſtatur Cujacius *in cap. 19. lib. 15. obſer.* & quidem vulgarem lectionem idem ſub perſona Mercatoris *in cap. 15. lib. 1. notatorum ad animadverſiones Roberti* ſic interpretatur. In judiciis, quibus † de fraude agitur, actor eo, quod non habet, haud aliter fraudatus eſſe cenſetur, quàm ſi & adverſarius fecerit, quò minus id, quod non habet, habeat. Atque ut hic ſenſus magis perſpicuus eſſet, ideò negationem in Baſilicis adjectam fuiſſe opinatur : ut ſic & altera lectio ex mente Cujacii nihil aliud ſibi velit, quàm quod Actor, qui de fraude agit, non videatur fraudatus omni eo, quod non habet, ſed eo duntaxat, quod dolo adverſarii habere non potuit. 2

Verumenimverò † interpretatio hæc vera quidem eſt, ſed generalitati hujus regulæ non reſpondet, neque etiam verbis Florentinæ lectionis congruit. Ideoq; Accurſii interpretatio, quam & Robertus *in allegato cap. 15. lib. 1. animadverſ.* ſequitur, mihi magis placet, videlicet Actorem, qui de fraude ſui adverſarii queritur, hujuſmodi exceptione non ſubmoveri, quòd 3

rem per fraudem ſibi ab adverſario extortam,
4 vel ipſius dolo malo † alienatam, in ſuas manus recepiſſet, niſi & omne emolumentum, quod ex iſta re interea dum ea caruit, percipere po-
5 tuiſſet, ei reſtituatur. Nam † res cum ſua cauſa reſtitui debet, ut refert Ulpianus *in l. ait Prætor. 10. §. per hanc actionem. ſup. quæ in fraud. cred. fact. ſunt.*
6 ubi per *cauſæ* † vocabulum intelligit quamvis utilitatem, quam habiturus eſſet actor, ſi quo tempore judicium accipiebatur, res reſtituta fuiſſet, veluti exponit Gajus *in l. præterea. 20. ſup. de rei vindic.* quam expoſitionem quoque probat Ulpianus *in l. utifrui. 5. §. fructuario. ſup. ſi uſusfr. pet.* itemque Paulus *in l. cum fundus. 31. ſup. ſi cert. pet.* Atque hæc quidem ita ſeſe habent, ſi ſermo
7 ſit de eo, qui bona fide rem † alienam poſſidet, nec conventus reddit: hic enim fructus, ac quodvis aliud emolumentum ex eo demum die præſtat, quo res in judicium deducta eſt, quamvis petitor emolumentum illud percepturus non fuiſſet. *l. cum hereditas. 56. ſup. de hered. petit.*
8 At verò prædo, & qui mala † fide rem alterius poſſidet, fructus omnes, omneque aliud emolumentum, quod percipere vetus poſſeſſor potuiſſet, ex eo die præſtat, quo rem alienam ad ſe traxit, veluti docet Cujacius *in cap. 21. lib. 5. obſ. per l. 1. § ex die. ſup. de vi & vi arm at.* eodemque faciunt ea, quæ tradit Zaſius *in l. 3. n. 2. ſup. de interdict. ſive extraord. action.*

Quo loco & illud interpretes quærunt, u-

trum

trum † fructuum iſtorum æſtimatio referenda 9
ſit ad actorem, ſive petitorem, an verò ad e-
um, qui poſſedit? hoc eſt, utrum actori tantum
emolumenti reſtitui oporteat, quantum ipſe
ex re, ſi eam habuiſſet, percipere potuiſſet: an
verò tantum, quantum poſſeſſor ſi frugi fuiſſet,
inde percepiſſet? Bartolus *in l. & ex diverſo. 35. ſup.*
de rei vendic. exiſtimat in arbitrio † actoris eſſe, 10
utrum petere velit fructus, quantos ipſe, ſi rem
poſſediſſet, percipere potuiſſet, an verò quan-
tos poſſeſſor, ſi diligens fuiſſet, percepiſſet. Cui
ſententiæ adſtipulatur Sichardus *in l. domum. 5.*
n. 4. C. de rei vendic. ex eâ ratione, quòd diverſæ de
hac quæſtione proditæ ſint leges, videlicet *d. l.*
domum. quæ æſtimationem fructuum ad poſ-
ſeſſorem referat. *& l. ſi navis. 62. §. ult. eod.* quæ a-
ctori illam tribuat. Verùm Donellus *in l. 2. n. 14.*
C. *unde vi.* diverſum ſentit, videlicet † ſpectari 11
debere actorem, ſive eum fructum, qui ab a-
ctore percipi potuiſſet. Quæ ſententia & mihi
videtur verior, quòd non Papinianus ſolùm
† *in d. l. ſi navis. §. ult.* ſed & Impp. Diocletianus & 12
Maximianus *in l. 4. C. unde vi.* pro illa diſertè pro-
pugnant, dum generaliter, cùm de fructibus æ-
ſtimandis quæritur, ſpectari volunt fructus,
non quos poſſeſſor percepiſſet, ſed quibus pe-
titor frui potuiſſet. Quibus ll. non † repugnat 13
d. l. domum: cùm contextus ſatis arguat, ſuppli-
cantem de æſtimatione fructuum principali-
ter non quæſiviſſe, ſed de hoc potiſſimùm ab

Imp. Gordiano erudiri voluiſſe, ſi ædes abadverſario occupatæ reſtitui ſibi debeant, an etiam tum impenſas, quas adverſarius in ædes iſtas feciſſet, refundere ipſi teneretur.

L. 79.

Papinianus libro 32. quæſtionum.

§ *Fraudis interpretatio ſemper in jure civili non ex eventu duntaxat, ſed ex conſilio quoque deſideratur.*

Summaria.

1 *Fraus cujuſpiam cùm inquiritur, non eventus ſolùm, ſed conſilium quoq; ſpectari debet.*

2 *Fraudaſſe non dicitur, qui re ipſa fraudem fecit, niſi & animum fraudandi habuerit.*

3 *Alienatio in fraudem creditorum facta tum demum revocatur, ſi debitor & animum fraudandi creditores habuerit, & re ipſa quoq; facultates ſuas diminuerit.*

4 *Bonorum appellatione ea quoq; bona denotantur, quæ incorporalia ſunt.*

5 *Fraudare creditorem dicitur, qui ſervitutibus ſibi debitis non utitur.*

6 *Fraudationis cauſa geſta dicuntur & illa, quæ fraudulenter in contractum deducta ſunt.*

7 *Debitor ex neceſſitate rei familiaris quid alienans, animum fraudandi creditores habuiſſe non cenſetur.*

8 Ho-

8 Homines de ſuis facultatibus ſæpè amplius ſperant, quàm in iis eſt.

9 Alienatio ſciente nec contradicente creditore facta fraudulenta non dicitur.

10 Fraudare eos, qui ſciunt ac conſentiunt, nemo videtur.

11 Alienatio fraudandi animo facta revocari antè non poteſt, quàm ſi is quoq;, qui rem à debitore accepit, fraudis particeps fuerit.

12 Alienatum fraudulenter, ſi titulo oneroſo acceptum ſit ab eo, qui fraudis iſtius ignarus fuit, revocari non poteſt.

13 Fraudulenter alienatum ſi ex cauſa lucrativa acceptum fuerit, revocari poteſt, etiamſi accipiens fraudem ignoraverit.

14 Fraudis conſcius præſumitur is, qui de lucro captando certat.

15 Damnum vitare qui nititur, fraudis conſcius non præſumitur.

16 Intellectus l.ult.C.qui manum.non poſſ.

17 Libertas fideicommiſſaria relicta ab eo, qui ſolvendo non eſt, invalida dicitur, etiamſi fraudandi animo relicta non ſit.

18 Legata & fideicommiſſa heres præſtare antè non tenetur, quàm ſi hereditas ſolvendo fuerit.

19 Donationes mortis cauſa factæ perinde ut legata non niſi deducto ære alieno debentur.

20 Hereditatis inanitas ſola facit, ut nec legata, nec fideicommiſſa, nec donationes mortis cauſa factæ debeantur.

QUotieſcunq; de fraude alteri facta quæſtio
1 incidit, † non eventus ſolùm, ſed conſilium quoque attendi debet. Neque enim frau-
2 daſſe quempiam † cenſetur is, qui reipſa fraudem ei fecit, niſi & fraudandi animum habue-
3 rit. Unde alienatio † quæ in fraudem creditorum facta dicitur, per actionem Paulianam revocari prius non poteſt, quàm ſi duo hæc concurrerint, eventus videlicet ac conſiliū, hoc eſt, ſi debitor & animum fraudandi creditores habuerit, & reipſa etiam bona ſua imminuerit. *l. ſi quis. 15. ſup. quæ in fraud. credit. fact. ſunt.*
4 Bona † intelligo tàm incorporalia, quàm cor-
5 poralia, quoniā & is creditores ſuos † fraudare intelligitur, qui ſervitutibus ſibi debitis non utitur, vel etiam rem ſuam pro derelicto habet, *l. 4. & ſeq. eod.* ſiquidem verba Prætoris, *quæ fraudationis cauſa geſta erunt*, generalia ſunt, & omnem omninò in fraudem factam alienationem, neq;
6 hanc ſolùm, ſed quemvis † contractum fraudulenter initum complectuntur, veluti declarat Ulpianus *in l. 1. eod.* Hinc ergò liquet, alienationem ejuſmodi non revocari, ſi vel eventus, vel
7 conſilium defecerit. Unde ſi debitor † prædium ſuum alienaverit, non quidem fraude ulla, ſed neceſſitate rei familiaris ad hoc inductus, alienatio iſta revocari non poterit, licet revera creditores inde fraudati ſint, quia conſilium fraudandi defuit, & aliàs notum eſt homines
8 de ſuis † facultatibus ſæpè amplius ſperare,

quàm

quàm in iis eſt, veluti refert Juſtinianus *in §. in fraudem. Inſtit. quib. ex cauſ. manum. non lic.* Atque hæc quidem ita ſe habent, ſi fraudulenta iſta alienatio inſcio creditore facta ſit.

Quod ſi enim creditor ſciverit † rem aliena- 9
ri, nec contradixerit, vel etiam in alienationem conſenſerit, nihil in ipſius fraudem factum intelligitur, quantumvis revera fraudatus fuerit, ac debitor etiam fraudandi animum habuerit: cùm nemo † videatur fraudare eos, qui ſci- 10
unt ac conſentiunt, ut dicetur *ad l. nemo. 145. inf. h. t.* Quibus hoc etiam addendum eſt, alienationem † fraudandi animo factam ita demum re- 11
vocari, ſi & is, qui rem à debitore accepit, fraudis particeps fuerit: quoniam Ulpianus *in l. quod autem. 6. §. hoc edictum. ſup. quæ in fraud. cred. fact. ſunt.* verba edicti ceſſare ait, ſi quid in fraudem creditorum factum ſit, & tamen is qui cepit, ignoraverit. Quod ita verum eſt, ſi titulo † oneroſo rem acceperit. Nam ſi titulo lucrati- 12
vo, puta ex cauſa donationis † eam acceperit, 13
edictum hoc locum habebit, hoc eſt, alienatio revocabitur, ſive accipiens fraudem ſciverit, ſive ignoraverit, *l. pen. C. de revoc. his quæ in fraud. cred. alien. ſunt.* cùm fraudis conſcius † præſuma- 14
tur is, qui de lucro captando certat, quam præſumptionem evitat hic, qui precio rem emit, & ſic de damno † vitando agit. 15

Prædictis obſtare videtur *l. ult. C. qui manum. non poſſ.* ubi † fideicommiſſaria libertas relicta 16

17 ab eo, qui ſolvendo non eſt, invalida † dicitur, quamvis fraudandi animo illa relicta non ſit, quòd eventus tantùm ſpectetur: quod ipſum de legatis ac mortis cauſa donationibus pronunciat Ulpianus *in l.1.§.1. ſi quid in fraud. patron.*
18 *fact. ſit.* Reſpondeo † legata, & fideicommiſſarias libertates, necnon donationes mortis cau-
19 ſa factas, ab † herede non antè præſtandas eſſe, quàm ſi hereditas ſolvendo fuerit, cùm deducto ære alieno demum debeantur, *§. cùm autem. Inſtit. de l. Falcid.* cui conſentit quoque *l. ex facto. 35. §. 1. ſup. de hered. inſtit.* quod ſi igitur hereditas ſolvendo non ſit, nec legata, nec fideicommiſſa, nec mortis cauſa donationes debebuntur, etiamſi fraudandi animum non habuerit is, qui legata vel fideicommiſſa reliquit, vel etiam
20 mortis cauſa donavit: cùm per ll. hoc † caſu evẽtus, hoc eſt, ipſius hereditatis inanitas ſufficiat.

L. 80.

Papinianus libro 33. quæſtionum.

§ *In toto jure generi per ſpeciem derogatur: & illud potiſſimùm habetur, quod ad ſpeciem directum eſt.*

Summaria.

1 *Genus omnes ſpecies ſub ſe complectitur, ſi ejus ſolius in diſpoſitione mentio fiat.*
2 *Specialia generalibus inſunt.*

3 *Ali-*

3 *Alimenta cui legata ſunt, ei veſtitus ac habitatio non minus quàm cibus ac potus legata cenſentur.*

4 *Hominis corpus ſine veſtitu ac habitatione ali non poteſt.*

5 *Hypotheca generali & ſpecialis ineſt.*

6 *Bona futura quoq; generali hypotheca inſunt.*

7 *Procuratori ad omnes cauſas generatim conſtituto an etiam futuræ cauſæ demandatæ intelligantur?*

8 *Species generi derogat, ſi & generis & ſpeciei in eadem diſpoſitione mentio fiat.*

9 *Penum cui legatum eſt, ei vinum non debetur, ſi in eadem diſpoſitione vinum alteri ſpeciatim legatum ſit.*

10 *Inſtrumentum cui legatum eſt, ei mancipium non debetur, ſi hoc alteri ſpeciatim in eâdem diſpoſitione relictum ſit.*

11 *Species generi non derogat, ſed potius genus ſpeciem ampliat, quando in diſpoſitione primùm ſpeciei, & poſtea generis mentio facta eſt.*

12 *Genus per adjectionem ſpeciei reſtringitur, ſi primùm generis, ac poſtea ſpeciei mentio facta ſit.*

13 *L.2.in princ.ff.qui potior.in pign. habean. conciliatur cum l.in toto jure 80.ff.h.t.*

14 *Creditor, cui ſpeciatim prædium debitoris pignori datum eſt, non præfertur iſti creditori, cui generatim antè bona debitoris omnia hypothecæ data fuerant.*

15 *Creditorum hypothecariorum ille præfertur, qui cæteros tempore prævenit.*

Quan-

QUandocunq; in diſpoſitione aliqua, ſive illa inter vivos, ſive ex ultima voluntate fiat,
1 ſolius generis fit mentio, genus † omnes ſub ſe
2 ſpecies complectitur: cùm ſpecialia † generalibus ſemper inſint. *l.ſemper.147. inf. h.t.* Unde is,
3 qui alimenta cuipiam legavit, non † cibum ac potum ſaltem, ſed veſtitum quoq; ac habitati-
4 onem ei legaſſe intelligitur: quia ſine † his corpus ali nõ poteſt, *l.legatis.6.ſup.de alim.legat.* Atq;
5 hinc Juſtiniano etiam placuit generali † hypothecæ eam ineſſe, quæ eſt ſpecialis, ac futura et-
6 iam bona † reſpicit, *l.ult.C.quæ res pign.oblig.poſſ.* cujus l. argumento Antoninus Teſſaurus *in de-*
7 *ciſ.59.* hoc quoq; infert, Procuratori † ad omnes cauſas generatim conſtituto etiam futuras cauſas demandatas cenſeri, licèt Bartolus *in l.damni. 18.§.ſi is,qui unas.n.2.ſup.de damn.infect.* contrarium teneat.

8 Quod ſi verò & generis † & ſpeciei in diſpoſitione fit mentio, ſpecies generi derogat: cujus exemplum proponit Pomponius *in principio l. 2.ſup.de trit.vin.vel ole.legat.* ubi vinum non debe-
9 tur ei, cui penum † legatum eſt, ſi in eadem diſpoſitione vinum alteri ſpeciatim legatum ſit.
10 Sic ſi cuipiam inſtrumentum † omne legatum ſit, ac poſtea alteri mancipium quoddam ejuſdem inſtrumenti relictum ſit, mancipium ceu ſingulare legatum detrahetur ei, cui univerſum inſtrumentum legatum eſt, teſte Papiniano *in l.legatum.24.§.1.ſup.de adim.legat.* Atque hæc quidem

dem ita ſe habent, ſi generale ac ſpeciale legatum diverſis perſonis relictum ſit. Nam ſi uni
eidemque & † genus & ſpecies legetur, ac primùm ſpeciei, poſtea generis mentio facta ſit, 11
ſpecies generi uſque adeò non derogat, ut etiam genus ſpeciem amplier, ac legatum univerſale conſtituat: quemadmodum videre eſt ex his quæ & Ulpianus *in l. hoc legatum. 45.* & Paulus *in l. ea tamen proximè ſeq. ſup. de legat. 3.* tradunt.

Sin verò primùm † generis & deinde ſpeciei 12
mentio facta ſit, nec diſponentis imperitiâ id factum fuiſſe doceri poſſit, generi per adjectionem ſpeciei modus datus intelligitur, *l. legata. 9. in princ. ſup. de ſupellect. legat.*

Cæterùm quod Papinianus † *in principio l. 2.* 13
ſup. qui potior. in pign. hab. ſtatuit, creditorem, cui
ex bonis debitoris ſpeciatim prędium † pignori datum eſt, potiorem non haberi eo, qui antè generaliter omnia debitoris bona pignori accepit: id regulam hanc non infringit, quoniam creditor, cui generaliter bona debitoris erant 14
oppignorata, alterum † tempore prævenerat, 15
eaque ratione ei præferebatur: ſiquidem hoc caſu prævalet jure is, qui prævenit tempore, ſicut reſcriptum Imp. Antonini *in fine l. 2. C. eod.* ſatis demonſtrat.

L 81.

Papinianus libro 3. Reſponſorum.

Quæ

§ *Quæ dubitationis tollendæ cauſa contractibus inſeruntur, jus commune non lædunt.*

SUMMARIA.

1 Creditor jure Novellarum eam conveniendi ſuos debitores vel horum fidejuſſores poteſtatem non habet, quam jure veteri habuit.

2 Creditor ſolutionem debiti à fidejuſſore debitoris exigere poterat, quamvis antè diſtractionem pignorum elegiſſet.

3 Jus commune pactionibus ſupervacuis non læditur.

4 Conventio ſupervacua dubitationis tollendæ cauſa inſerta intelligitur.

5 L. inter ſocerum. 26. §. cùm inter. ff. de pact. dotal. conciliatur cum l. quæ dubitationis. 81. ff. h. t.

6 Dos genero numerata ſub hac conditione, ut, ſi filiafam. in matrimonio ſine liberis deceſſerit, patri illa reſtituatur, penes maritum manet, ſi liberis ſuperſtitibus filia diem ſuum obiiſſet.

7 Dos filiafam. data ex quorundam ſententia etiam tum ad patrem revertitur, ſi liberis extantibus filia iſta deceſſiſſet, quintis ſaltem in liberos ſingulos penes maritum relictis.

8 Liberorum favor in Jure multum operatur.

9 Favori ſuo cuivis renunciare licet.

10 Superflua ſcripturas non vitiant.

11 Rei ſatis demonſtratæ quod adjicitur, fruſtra eſt.

12 Supervacua obligationem non inducunt.

13 Verba ſupervacua utilibus admixta ſtipulationem non vitiant.

14 Uti-

14 *Utiliter quæ geſta ſunt, manent, rejectis iis, quæ inutilia ſunt.*

15 *L. fideicommiſſa. 11. §. ſi cui. ff. de legat. 3. declaratur.*

16 *Fideicommiſſum filiofam. relictum ſub hac conditione, ſi morte patris ſui juris factus fuerit, cur præſtandum ipſi ſit, etiam eo caſu, quando ante patris mortem ſui juris factus eſt?*

17 *Teſtatoris verba non attenduntur, quando de ipſius voluntate conſtat.*

18 *Conditiones à teſtatoribus adjectæ ex voluntate ipſorum maximè explicandæ ſunt.*

CReditor jure antiquo (nam jure Novellarum aliud conſtitutum eſſe *Novella 4.* ſatis arguit) facultatem † habebat conveniendi vel 1
ipſum debitorem principalem, vel ejus fidejuſſorem, vel mandatorem, vel etiam pignora ſibi data diſtrahere poterat, unoq; horum electo, ad alium tranſeundi poteſtatem nihilominus habebat, *per l. 3. §. 1. ſup. de duob. reis conſtit. & l. 2. C. de fidejuſſ.*

Hinc quæſitum fuit, ſi inter contrahentes conveniſſet, ut, omiſſo debitore principali, ac pignoribus etiam non diſtractis, liceret creditori mandatorem convenire, an etiam poſtquam pignora diſtracta ſunt, creditor ad mandatorem redire, ab eoque debiti ſolutionem exigere poſſit? † Papinianus *in principio l. qui mu-* 2
tuam. 56. ſup. mandat. ex qua hæc regula eſt deſumpta, reſpondet, conventionem iſtam creditori

tori non obſtare, quò minus diſtractis pignoribus ad mandatorem redire poſſit: quòd jus †
3 cō nunc non lædatur pactionibus ſupervacuis,
4 quæ † dubitationis tollendæ cauſa contractibus inſertæ ſunt: licèt enim pactio ejuſmodi non interveniſſet, creditor tamen nihilominus hanc electionem ipſo jure habuiſſet. Simile exemplum ſumi poteſt *ex l.4.§.item quæritur.ſup.de dol.m il.& met.except.* ubi conventio, ut uniones pignori dati, ſoluta pecunia, reddantur, diſpoſitionem juris civilis non immutat: quoniam dubitationis tollendæ cauſa conventio iſta inſerta fuit, & quamvis inſerta non fuiſſet, uniones tamen, ſoluta pecunia, ipſo jure reddendi eſſent. *l.debitor.40.§.ult.ſup.de pignor.act.*

Verùm hanc ipſam regulam infirmare vide-
5 tur idem Papinianus † *in l.inter ſocerum. 26.§. cum inter. ſup.de pact. dotal.* ubi conventio inter patrem ac generum hoc modo inita, ut dos patri reſtituatur, ſi filiafam. in matrimonio ſine liberis diem ſuum obierit, hoc operatur, ut libe-
6 ris † ſuperſtitibus filia defuncta, gener dotem retineat: tametſi hoc quoque caſu, ſi pactum ejuſmodi non interveniſſet, & filia in poteſtate
7 patris fuiſſet, dos ad patrem rediiſſet, † quintis duntaxat in liberos ſingulos penes virum relictis, ut docet Ulpianus *in fragm.tit. 6.* in quē ſenſum quoq; nonnulli allegant reſcriptum Imp. Alexandri *in l.4.C.ſolut.matrim. quemadm. dos petat.& l.pater.71.ſup.de evict.* licet Martini ſenten-
tia

tia hòc caſu prævaluerit, quemadmodũ notavi *ad l.ſemper in obſcuris. 9. n. 38. & tribus ſeqq. ſup. h. t.* ſed quoquo modo hęc ſeſe habeant prædictam diſcrepantiam P. Faber *hîc. n. 4.* hac ratione conciliat, quòd favore † liberorum hujuſmodi con- 8
ventio ita interpretanda ſit, ut nõ tollendæ dubitationis cauſa dationi dotis inſerta dicatur, ſed ut præter jus commune quid peculiare operetur, videlicet renunciationem favoris † pa- 9
tri hoc caſu indulti, quippe quæ aliâs de jure communi quoq; cuivis permiſſa eſt.

Cæterùm regulæ huic haud abſimilis eſt illa, quam habet Ulpianus *in l. non ſolent. 94. inf. h. t.* Non ſolent quæ abundant, † vitiare ſcriptu- 10
ras. Quicquid enim rei ſatis demonſtratæ additur, † fruſtra eſt, teſte Ulpiano *in l. 1. §. ſi quis uxo-* 11
ri. ſup. de dot. prælegat. Quam ob cauſam nec ex iis, quæ † ſupervacua ſunt, obligatio aliqua naſci- 12
tur. *l. 2. in princ. ſup. mandat.* Unde etiam Florentinus *in l. quæ extrinſecus. 65. ſup. de verb. oblig.* ſtipulationem ob verba ſupervacua † vitiari negat, 13
dummodò cum utilibus & ad præſentem actum pertinentibus admixta ſint: quo caſu quæ † utiliter geſta ſunt, firma manent, quæ contrà, 14
pro ſupervacuis habentur, ne utile per inutile vitietur, veluti notavi *ad l. 1. n. 4. inf. h. t. per l. 1. §. pen. ſup. de verb. obligat.* cui conſentit quoq; Marcianus *in l. placuit. 29. ſup. de uſur.* Hujus inſigne exemplum idem Ulpianus proponit † *in l. fidei-* 15
commiſſa. 11. §. ſi cui. ſup. de legat. 3. ubi fideicommiſ-

ſum filiofam. ſub hac conditione relictum, ſi morte patris ſui juris factus fuerit, filio præſtandum eſt patre defuncto, etiamſi ante patris
16 mortem † emancipatione ſui juris ille factus fuiſſet: cùm hoc caſu conditio fideicommiſſo inſerta utpote ſuperflua adſcriptum fideicommiſſum non vitiet. Quamvis Donellus *in l. 3. C. de inſtit. & ſubſtitut.* ubi propemodum eundem caſum Imp. Antoninus proponit, alia ratione
17 iſtam deciſionem confirmet, videlicet † ſecundum verba teſtatricis quidem conditionem impletam non eſſe, ſed ſecundum voluntatem impletam eſſe, eamque ſic ſatis impletam intel-
18 ligi, quòd voluntas † teſtatoris in conditionibus primum locum obtineat, veluti Ulpianus *in principio l. in conditionibus. 19. ſup. de condit. & demonſtrat.* refert.

L. 82.

Papinianus libro 9. Reſponſorum.

¶ *Donari videtur quod nullo jure cogente conceditur.*

SUMMARIA.

1 *Donatio abſoluta nullo jure cogente ſolius liberalitatis cauſa fit.*
2 *Donatio abſoluta revocari non poteſt.*
3 *Teſtamento res abſolutè donata revocari non poteſt.*

4 Le-

4 *Legatum, quod teſtator vivus alienavit, an ademptum intelligatur?*

5 *Legatum neceſſariò alienatum à teſtatore ademptum non cenſetur.*

6 *Teſtator legatum ademiſſe videtur eo caſu, quando nulla urgente neceßitate illud alienavit.*

7 *Donatio abſoluta neceſſariò facta nulla dicitur.*

REgula hæc, quæ iiſdem verbis Papiniano adſcripta eſt *in l. donari. 29. ſup. de donat.* proprietatem abſolutæ donationis demonſtrat. Abſolutæ namque donationis hoc eſt proprium, ut † nullo jure cogente ſolius liberalitatis 1 cauſa fiat. *l. 1. in princ. ſup. de donat.* Et quidem † donatio hæc ſine animo ac ſpe revocandæ rei 2 donatæ intelligitur. *l. 1. §. pen. ſup. de precar.* uſque adeò quidem, ut ne teſtamento † quidem res 3 inter vivos donata revocari poſſit. *per l. ſequens. 68. ſup. de legat. 2. & l. verba teſtamenti. 6. C. de teſtam.*

Unde decidi quoque poteſt hæc quæſtio, an legatum illud ademptum videatur, quod teſtator † vivus alienavit? Nam aut jure neceſſitate- 4 que urgente, aut ſine ulla neceſſitate ex mera voluntate illud alienavit: illo † caſu legatum ab 5 ipſo ademptum non videtur: quod tamen ademptum intelligitur, ſi nulla † neceſſitate ur- 6 gente alienatio facta ſit, teſte Pomponio *in l. ſcribit 34. §. 1. ſup. de aur. & argent. leg.* cui adſtipulatur Paulus *l. cum ſervus. 15. ſup. de adim. legat.* cujuſmodi diſtinctio in donatione locum † non ha- 7

 bet,

bet, cùm fieri non poſſit, ut jure aliquo cogente quis ad abſolutam iſtam donationem inducatur, veluti Modeſtinus *in l.rem legatam. 18. ſup. de adim.legat.* oſtendit.

L. 83.

Papinianus libro 2. definitionum.

§ *Non videntur rem amittere, quibus propria non fuit.*

SUMMARIA.

1 *Privatio præſupponit habitum.*
2 *Dominium non amittit, qui dominium non habuit.*
3 *Poſſeſſione dejectus dici non poteſt, qui non poſſedit.*
4 *Servus capite non minuitur tum, quando manumittitur.*
5 *Caput in jure quid ſignificet.*
6 *Servus caput non habet.*
7 *Habere quis non deſiit id, quod non habuit.*
8 *Rem pro derelicto habere is demum poteſt, qui dominium ejus rei habuit.*
9 *Intellectus l.ſi ſervum.33.in fin.ff.ad l.Aquiliam.*
10 *Hereditatis ſervo relicta æſtimatio domino ipſius præſtanda eſt ab eo, qui ſervum occidit, etiamſi hereditas iſta necdum adita ſit.*
11 *Amiſiſſe quis & illud dicitur, quod culpa adverſarii conſequi non potuit.*
12 *Actio l.Aquiliæ quid perſequatur.*

Regu-

REgula, quæ ex Papiniano hìc refertur, trito illo Logicorum axiomate nititur, *Privatio* † *præſupponit habitum.* Neque enim quis do- 1
minium rei † amittere poteſt, cujus propria illa 2
res non fuit. Unde nec de poſſeſſione † deje- 3
ctus dicitur is, qui neque animo, neque corpore poſſidebat. *l. 1. §. eum qui. ſup. de vi & vi armat.*
ſic ſervus manumiſſus capite † minutus dici 4
non poteſt, quoniam quoad jus civile, quandiu
in ſervitute fuit, nullum † caput, hoc eſt, neque 5
libertatem, neque civitatem, neque familiam,
quæ † minui potuerit, habuit. *l. 3. in fin. ſup. de ca-* 6
pit. minut. & §. ſervus autem. Inſtit. eod. atque iccirco etiam nulla pœna ſervo irrogari poteſt, quæ caput, hoc eſt, ſtatum ipſius minuat, *per l. hos accuſare. 12. §. ult. ſup. de accuſat.*

Cæterùm regulæ huic apprimè convenit & illa, quam tradit Paulus *in l. non poteſt. 208. inf. h. t.*
Non poteſt videri † deſiiſſe habere, qui nun- 7
quam habuit. Quam ob cauſam is demum rem
† pro derelicto habere poteſt, ſic ut occupanti 8
acquiratur, cujus illa propria fuit. *l. 1. ſup. pro derelicto.* Verùm hiſce adverſari † videtur *l. ſi ſer-* 9
vum. 33. in fine. ſup. ad l. Aquil. ubi amiſiſſe dicimur, quod quidem non habuimus, ſed tamen conſequi potuimus, ejusque exemplum refertur *in principio l. inde Neratius. 23. eod.* ubi is, qui ſervum
heredem † ab alio inſtitutum antequam adire 10
hereditatem juſſus ſit, occidit, non ſolùm precium corporis occiſi, ſed hereditatis etiam æſti-

mationem domino iſtius ſervi reſarcire jubetur, non ſecus ac ſi hereditatem iſtam in manu habuiſſet. Reſpondeo, juris interpretatione et-
11 iam † id amiſiſſe dicimur, cujus conſequendi ſpem habuimus, ſed dolo vel culpa adverſarii conſequi illud non potuimus, veluti notant interpretes *ad l. Labeo 14. §. 1. ſup. de verb. ſignif.* Eam-
12 que ob cauſam in actione l. Aquiliæ † non ſolùm corporis occiſi æſtimationem, ſed quicquid præterea damni ex iſta cæde datum eſt, reſarciri jura volunt.

L. 84.

Paulus libro 3. quæſtionum.

¶ *Cùm amplius ſolutum eſt quàm debebatur, cujus pars non invenitur quæ repeti poſſit, totum eſſe indebitum intelligitur, manente priſtina obligatione.*

SUMMARIA.

1 *Debitor plus, quàm revera debuit, ſolvens, quando id quod verum debitum excedit, ceu indebitum repetere poßit?*

2 *Indebitum cenſetur illud, quod ultra verum debitum ſolutum eſt.*

3 *Res functionem in ſuo genere recipientes commodè dividi poſſunt.*

4 *Individuum in ſolutum datum, ſi verum debitum excedat, totum ceu indebitum repeti poteſt.*

5 Invi-

5 *Invitus in communione ſtare nemo tenetur.*
6 *Communio diſcordiam parit.*
7 *Individuum ultra verum debitum per errorem ſolutum retineri à creditore poteſt, tantiſper dum verum debitum ſolutum fuerit.*
8 *Indebitum conſultò datum donatum intelligitur.*

PAulus hac regula nihil aliud ſibi vult, quàm quòd † debitor eo caſu, quando plus, quàm 1
revera debuit, in ſolutum dedit, non totum quod ſolvit, ſed eam duntaxat partem, quam
† ultra verum debitum expendit, tanquam in- 2
debitam repetere poſſit: id quod in iis rebus,
quæ † commodè dividi poſſunt, veluti in pecu- 3
nia numerata, ac quavis alia re functionem in genere recipiente expeditum eſt, quemadmodum ex Marcello refert Ulpianus *in l. ſi non ſortem. 26. §. idem Marcellus. ſup. de condict. indeb.*

Verùm ſi ſpecies aut † individuum, cujus æ- 4
ſtimatio verum debitum excedit, in ſolutum datum fuerit, totum, quod ſolutum eſt, ceu indebitum repeti poteſt. Exempli gratia is, qui centum debet, & fundum ducentorum ſuo creditori ſolvit, totum fundum uti indebitum
repetere poteſt, ne † invitus, in fundi iſtius 5
communione, quæ aliâs diſcordiam † parere 6
ſolet, *per l. cum pater. 77. §. dulciſſimis. ſup. de legat. 2.* cum creditore ſtare teneatur: quamvis hoc ca-
ſu † creditor fundum ſibi ſolutum tantiſper re- 7
tinere poſſit, dum centum debitor ſolverit. *d. l.*

 ſi non

ſi non ſortem.§. ſi centum. Idq́ue verum eſt, ſi pars vel totum, quod tanquam indebitum hoc caſu repetitur, per errorem ſolutum fuerit: cùm in-
8 debitum, quod † conſultò datum eſt, donatum intelligatur, per ea quæ *ad l. cujus per errorem. 53. n. 8. & 15. ſup. h. t.* retuli.

Ad §. I.

§ Is natura debet, quem jure gentium dare oportet, cujus fidem ſecuti ſumus.

Summaria.

1. *Obligatio jure gentium inducta quandoq; naturalis obligatio dicitur.*
2. *Jus gentium aliquando jus naturale nuncupatur.*
3. *Debitor naturalis jure gentium debere non dicitur.*
4. *Debitor naturalis an vi actionis ad ſolvendum compelli poſſit?*
5. *Solutum ceu indebitum repeti non poteſt, ſi jure gentium illud debitum fuerit.*
6. *Condictio naturalis eſt.*
7. *Patrono operæ promiſſæ ſaltem à liberto debentur.*
8. *Operæ præter promiſſum patrono per errorem præſtitæ condici à liberto non poſſunt.*
9. *Manumiſſio jure gentium inducta eſt.*
10. *Libertus patrono omne obſequium ac officium jure gentium debet.*

Hic §. eum ſolummodò debitorem definit, qui jure gentium, non qui naturâ debet.

bet. Etſi autem obligatio, quæ † juris gentium 1
eſſe dicitur *in l. ex hoc jure. 5. ſup. de juſtit. & jur.* naturalis nominatur, *in l. naturales. 10. ſup. de oblig. & act.* adeoque jus † gentium etiam à Juſtiniano 2
in §. ſingulorum. & §. venditæ. Inſtit. de rer. diviſ. naturale appellatur: dici tamen è contrario non poteſt, omnem eum, qui naturâ debet, † jure gen- 3
tium dare oportere: cùm ſint quidam naturales debitores, qui neceſſitate ſolvendi † vi acti- 4
onis non adſtringuntur, veluti evincunt poſteriora verba *d. l. naturales.* cum quâ prorſus congruit *l. fidejuſſor. 16. §. naturales. ſup. de fidejuſſ.*

Is igitur, qui jure gentium debet, licet jure civili non debeat, repetere tamen per condictionem nequit, ſi † quod jure gentium debuit, 5
ex parte vel in totum ſolverit: cùm & ipſa condictio † naturalis ſit, teſte Paulo *in principio l. in-* 6
debiti 15. ſup. de condict. indebit. Unde libertus, qui non niſi promiſſas operas debet, *per l. operis. 31. ſup. de oper. libert.* ſi præter † promiſſas patronò a- 7
lias per errorem præſtiterit, condicere † operas 8
iſtas præſtitas non poteſt, *l. ſi non ſortem. 26. §. libertus. ſup. de condict. indebit.* quoniam jure gentium, quo ſolo † manumiſſionis beneficium in- 9
ductum eſt, *l. 4. ſup. de juſtit. & jur.* omne † obſe- 10
quium & officium patrono debet, *l. generaliter. 13. conjuncta cum l. ult. ſup. de in jus vocand.*

L. 85.

Paulus libro ſexto quæſtionum.

¶ *In ambiguis pro dotibus reſpondere melius eſt.*

SUMMARIA.

1 *Dotis cauſa ſi dubia fuerit, pro dote reſponderi debet.*

2 *Dotium cauſa ſemper & ubiq; præcipua eſt.*

3 *Mulieribus ut dotes conſerventur publicè intereſt.*

4 *Res cuipiam donatæ ſub hac conditione, ut, nuptiis ſecutis, dotales ſint, in dotem tempore nuptiarum cedunt, quamvis donator ante nuptias deceſſerit.*

5 *Donatio ſub conditione facta valet, etiamſi conditio poſt donatoris mortem extiterit.*

QUod ſi de dote quæſtio incidat dubia, quæ
1 in utramque partem, tam contra † dotem,
quàm pro dote decidi poſſit, eligenda eſt illa
2 deciſio, quæ doti inſervit: quia † dotium cauſa
ſemper & ubique præcipua eſt: cùm & publicè
3 † interſit dotes mulieribus conſervari, adeoq;
ad ſobolem procreandam, replendamq; liberis
civitatem dotatas eſſe fœminas maximè ſit
neceſſarium, ut refert Pomponius *in l. 1. ſup. ſolut. matrim. quem. dos pet.* cui Paulus quoque conſentit *in l. 2. ſup. de jur. dot.* Ejusque inſigne exemplum refertur ab Ulpiano *in l. ſi ergo. 9. §. 1. ejuſdem tit.* ubi res ex cauſa donationis alicui tradi-
4 tæ † ſub hac conditione, ut nuptiis ſecutis, do-

tis

tis efficiantur, favore dotium dotales tempore
nuptiarum fiunt, etiamſi donator ante nuptias
deceſſerit : quamvis prætentus hic favor dotis
haud abs re in dubium vocari poſſit, propter *l.*
2.§.ſi pecuniam.ſup.de donat. ubi Julianus indiſtin-
ctè donationem † ſub conditione factam vale- 5
re ait, etiamſi poſt mortem donatoris conditio
extiterit. Cujuſmodi diverſitas non immeritò
arguere poſſet, Ulpianum *in d.§.1.* nihil aliud ſi-
bi velle, quàm ſi de donatione ejuſmodi condi-
tionali dubium exoriturum eſſet, an etiam tum
valeat, quando mortuo donatore conditio exi-
ſtit, quòd favore dotis illa valere debeat : licet
cæteris JCtis dubium in hoc fuerit nullum,
quin conditionalis quoque donatio valeat,
quandocunque conditio extiterit. Interim ta-
men hoc manet in dubiis pro dote pronunci-
andum eſſe, cujus exemplum etiam Hermoge-
nianus *in l.ſi ſponſa.74.ſup.de jur.dot.* recenſet.

Ad §. I.

¶ *Non eſt novum, ut quæ ſemel utiliter conſtituta ſunt, durent, licet ille caſus extiterit, à quo initium capere non potuerunt.*

SUMMARIA.

1 *Initio quæ valent irrita nonnunquam fiunt, ſi in eũ caſum devenerint, à quo incipere non potuerunt.*

2 *Stipulatio rei prophanæ, quæ poſtea ſine promiſſoris facto ſacra facta eſt, inutilis eſt.*

3 Sti-

3 *Stipulator fundum alienum, quem initio utiliter ſub conditione ſtipulatus fuerat, petere non poteſt, ſi eum ſub conditionis iſtius eventum ex cauſa lucrativa nactus fuerit.*

4 *Teſtamentum initio ritè factum non infirmatur, etiamſi ex parte teſtatoris furor, vel quid aliud intervenerit, ob quod teſtari ille prohibeatur.*

5 *Initium ritè cœptum teſtamenta ſuſtinet.*

6 *Uſucapio ſemel bona fide cœpta malæ fidei interventu non vitiatur.*

7 *Obligatio duorum reorum initio ritè cœpta non infringitur, etiamſi poſtea reorum alter tale quid fecerit, quod ſi initio factum fuiſſet, totam obligationem vitiaſſet.*

CUjacius ex his verbis, *Non eſt novum*, ſtatuit, Paulum hoc loco exceptionem potius quàm regulam proponere, & regulam quidem
1 ita conſtituit: Ea quæ initio † conſtiterunt, evaneſcunt, ſi in eum caſum venerint, à quo incipere non potuerunt. Cujus exemplum ſumi poteſt ex eodem Paulo *in l. inter ſtipulantem. 83. §. ſacram. ſup. de verb. oblig.* ubi inutilem ſtipulatio-
2 nem pronunciat, ſi quis † rem prophanam dare promiſerit, quæ poſtea ſine ejus facto ſacra eſſe cœperit: uſque adeò quidem, ut nec in obligationem iſta res revocetur tum, quando ſacra eſſe deſiit. Simile exemplum adducit Marcellus *in principio l. exiſtimo. 91. eod.* ubi perimitur
3 ſtipulatio, ſi quis † fundum alienum, quem initio

tio utiliter ſub conditione ſtipulatus fuerat, ex cauſa lucrativa conſequatur. Proinde ex Cujacii ſententia hæc ipſa regula officium ſuum aliquando perdet, cùm exempla dari poſſint, ubi ea, quæ ſemel utiliter conſtituta ſunt, durant, licèt ille caſus extiterit, à quo initium capere non potuerunt. Tale exemplum ſumi poteſt ex *§.præterea. verſ. furioſi autem. Inſtit. quib. non eſt permiſſ. facer. teſtam.* ubi teſtamentum † legitimè fa- 4
ctum non infirmatur, licèt furor, aut captivitas, aliudvé impedimentum, ob quod aliâs teſtari quis prohibetur, ex parte ejus, qui teſtamentum fecit, poſtea intervenerit: ſiquidem omnia, quæ ex teſtamento proficiſcuntur, effectum ſuum ſortiuntur, ſi modò † initium ſine 5
vitio cœperit, ut habet *l. omnia 201. inf. h. t.* ſic mala fides ſuperveniens de jure civili † uſucapionẽ 6
ſemel bona fide cœptam non vitiat. *§. diutina. Inſtit. de uſucap.* ſimile exemplum notat Papinianus *in l. eandem. 9. §. 1. ſup. de duob. re. conſtit.* ubi obligatio duorum † reorum initio ritè cœpta non 7
mutatur, etiamſi poſtea in unius rei perſona conventio interceſſerit ejuſmodi, quæ ſi primùm interceſſiſſet, totam obligationem vitiaſſet. Eodemque ſpectat exemplum ab eodem Papiniano propoſitum *in principio l. donationes. 31. ſup. de donat.* Ac plura talia exempla, quibus regula hæc illuſtratur, ab Hotomanno *in illuſtr. quæſt. 36.* referuntur.

Ad §.

Ad §. ult.

§ *Quoties æquitatem deſiderii naturalis ratio, aut dubitatio juris moratur, juſtis decretis res temperanda eſt.*

Hujus §. ſententia expoſita eſt ſub finem *l. ſemper in obſcuris. 9. ſup. h. t.*

L. 86.

Paulus libro 7. quæſtionum.

§ *Non ſolet deterior conditio fieri eorum, qui litem conteſtati ſunt, quàm ſi non: ſed plerunq; melior.*

SUMMARIA.

1 *Litem qui conteſtatur ſuam conditionem plerunq; meliorem facit.*

2 *Conditionem ſuam meliorem facit is, qui ſuum perſequitur.*

3 *Suum quis perſequi dicitur, quando litem conteſtatus eſt.*

4 *Litis conteſtatio actiones tempore perituras perpetuas facit.*

5 *Injuriarum actio annua eſt, ſed lite intra annum conteſtata fit perpetua.*

6 *Injuriarum actio poſt litis conteſtationem in bonis eſſe dicitur.*

7 *Injuriarum actio ſolam vindictam perſequitur.*

8 *Perpetuitas, quæ litis conteſtatione inducitur, quandiu duret?*

9 Inju-

9 *Injuria realis anno non tollitur.*

10 *Injuria in ſcriptis facta poſt annum quoq; vindicari poteſt, etiamſi lis intra annum à tempore illata injuriæ numerandum conteſtata non fuerit.*

11 *Litigantes per litis conteſtationem quaſi contrahunt, ſeq; ad id obſtringunt, quod judicis ſententia conſtituetur.*

12 *Heres in contractibus ejuſdem iuris eſt, cujus defunctus fuit.*

13 *Litis conteſtationis effectus.*

14 *Exceptiones dilatoriæ poſt litem conteſtatam opponi non poſſunt.*

15 *Reus poſtquam litem conteſtatus eſt, in mala fide conſtituitur.*

16 *Uſuræ perinde ut fructus debentur ab eo tempore, quo judicium per litis conteſtationem acceptũ eſt.*

17 *Litem qui conteſtatus eſt, ſuam conditionem in quibuſdam caſibus deteriorem facit.*

18 *Procurator poſt litis conteſtationem non niſi cauſa cognita mutari poteſt.*

19 *Dominus actione noxali ſervi communis nomine conventus in ſolidum tenetur, ſi litem potius conteſtari, quàm ſua parte cedere velit.*

20 *Libellus ante litem conteſtatam mutari poteſt, ſed an pòſt, quàm litis conteſtatio facta eſt, mutari quoq; poſſit inter Dd. non convenit.*

21 *Libelli mutationem quinám poſt litem conteſtatam fieri poſſe negârint.*

22 *Judicia univerſalia & generalia an poſt litem conteſtatam libelli mutationem admittant?*

23 *In judicium veniſſe non dicitur, quod poſt judicium acceptum accidit.*

24 *Libelli mutationem quinám poſt litem conteſtatam admiſerint?*

25 *Intellectus l.3. C.de edend.*

26 *Intellectus § ſi minus. Inſtit. de action.*

27 *Petitionis vocabulum litis conteſtationem denotat.*

28 *Judicium ſine litis conteſtatione eſſe non poteſt.*

29 *Intellectus §. ſi quis aliud. Inſtit. de action.*

30 *Intellectus l. non poteſt. 23. ff. de judic.*

31 *In judicium poſt Zenonis conſtitutionem illud quoque venire dicitur, quod poſt litem conteſtatam apud eundem judicem petitur: licet antè ſecus ſtatutum fuerit.*

32 *Libellus ante Zenonem mutari poſt litis conteſtationem non poterat, niſi judicio novo illud fieret.*

33 *Intellectus l. cum fundum. 18. §. ult. ff. de vi & vi armat.*

34 *Libellus ſi poſt litem conteſtatam mutari poteſt, multò magis emendari poterit.*

35 *Reo damna reſarcienda ſunt eo caſu, quando libellus ab Actore mutatur.*

CUm hac l. conjungenda eſt *l. ſeq.* quoniam utraq; litis conteſtationem reſpicit. Nam Paulus in præſente hac l. conditionem eorum,
1 qui litem † conteſtati ſunt, non deteriorem, ſed
plerunque meliorem fieri ait: quod etiam innuit *in fine l. ſi pluribus. 33. ſup. de legat. 1.* idque *in l. ſeq.* duobus argumentis declarat: quorum primum

mum eſt, quòd is, qui ſuum perſequitur, † con- 2
ditionem ſuam non deteriorem, ſed meliorem
faciat: perſequi † verò ſuum quis tum demum 3
propriè dicatur, cùm litem eſt conteſtatus, *per*
l.1. C. de lit. conteſtat. Alterum argumentum eſt,
quòd omnes † actiones tempore perituras, 4
quantumvis pœnales, facit perpetuas, ita ut &
heredibus dentur, & in heredes tranſeant, *l. o-*
mnes pœnales. 26. ſup. de obligat. & action. l. omnes a-
ctiones. 139. & l. pœnalia 164. inf. h.t. Unde & actio
† injuriarum, quæ aliâs poſt annum tanquam 5
præſcriptione & diſſimulatione ſopita non au-
ditur, teſte Cujacio *in l. auxilium. 37. §. 1. ſup. de mi-*
nor. 25. ann. per l. ſi non convitii. 5. C. de injur. per-
petuò durat, ſi intra annum ab illatæ injuriæ
tempore lis conteſtata ſit, ſicut tradit Balbus *in*
tractat. de præſcript. 4. part. 4. partis princip. q. 1. n. 4.
Neque n. actio † hæc in bonis eſſe dicitur antè, 6
quàm lis conteſtata ſit, *l. injuriarum. 13. in pr. ſup.*
de injur. Sichardus ad rubr. C. de hered. vel action. ven-
dit. n. 9. præſertim cùm odioſa ſit propter vindi-
ctam, quam ſolam † perſequitur, *argumento l. qui* 7
ſervum 34. in princ. ſup. de oblig. & action. Cæterùm
perpetuitas iſta quæ litis † conteſtatione indu- 8
citur, ſpacium quadraginta annorum non ex-
cedit, quemadmodum probat Laurentius Ten-
ninus *in cautelarum tractat. cautel. 115. n. 6. per l. ult.*
C. de præſcriptione 30. vel 40. annor. Et hæc quidem
accipi debent de injuria verbis facta: Nam in-
juria † realis, de qua l. Cornelia loquitur, ut re- 9

fert Imp. Juſtinianus *in §. ſed & l. Cornelia. 8. Inſtit. de injur.* anno non tollitur, ſed perpetua eſt, teſte Mynſingero *in obſer. 84. cent. 1.* Quod ipſum quo-
10 que receptum eſt in injuriis, † quæ ſcriptura factæ ſunt: ſiquidem & hæ inſtar realium injuriarum perpetuæ ſunt, atque hinc poſt annum quoque vindicari poſſunt, veluti tradit And. Geil. *in obſervat. 104. lib. 2. practic. obſervat.* tametſi jure Saxonico ſecus ſe res habeat, ſicut videre eſt ex iis, quæ tradunt VVittenbergenſes & Lipſenſes Scabini *in quæſt. 30. part. 4. conſult. Saxonic.*

Cur autem litis conteſtatio actionem injuriarum perpetuam faciat, ejus vix alia ratio dari poteſt, quàm quòd in judicio per litis conte-
11 ſtationem uterque † litigantium quaſi contrahit, atque in id tacitè ſeſe obligat, quod judicis ſententia conſtituetur, *argumento l. 3. §. idem ſcribit. ſup. de pecul.* cujuſmodi quaſi contractus facit, ut ad heredes quoque actio devolvatur: ſiqui-
12 dem in contractibus † heres ejuſdem juris eſſe cenſetur, cujus defunctus fuit, *argumento l. heredem. 59. ſup. h. t.*

13 At verò † præter hæc commoda, quæ litis conteſtatio inducit, ſunt etiam alii ipſius effectus actori ſatis commodi.

14 Nam litis † conteſtatio exceptionum dilatoriarum opponendarum poteſtatem omnem Reo adimit, *per l. ult. C. de except.*

15 Eadem litis conteſtatio † Reum in mala fide conſtituit, & facit, ut etiam in ſtricti juris judi-

ciis

ciis ab eo tempore, quo judicium per litis † con- 16
teſtationem acceptum eſt, uſuræ æquè ac fru-
ctus debeantur, quemadmodum patet ex *l. ſed*
etſi.25.§.ſi ante.ſup.de hered.petit.& l.videamus.38.§.
ſi actionem.ſup.de uſur.

Quòd verò Paulus in fine hujus l. adjecit
particulam *plerumq;*, eo ipſo ſignificare voluit,
fieri aliquando, ut † qui litem conteſtatus eſt, 17
deterioris ſit conditionis, quàm ante litis con-
teſtationem fuit. Etenim poſt litem conteſta-
tam Procurator † non niſi cauſa cognita muta- 18
ri poteſt, qui ante litis conteſtationem liberè ſi-
ne ulla cauſæ cognitione mutari potuiſſet, *l.an-*
te litem.16.cum l.ſeq.ſup.de Procurat. Sic etiam qui-
vis dominus, ſi ſervi † communis nomine no- 19
xali actione conveniatur, poſt litem conteſta-
tam in ſolidum tenetur, cùm ante litis conte-
ſtationem parte ſua cedendo ſecuritatem con-
ſequi potuiſſet, *per l.ſi ſervus.8.ſup.de noxal.action.*

Deniq; ex plerorumq; interpretum ſenten-
tia actor libellum ſuum poſt litem † conteſta- 20
tam mutare non poteſt, cujus tamen mutandi
poteſtatem ante litis conteſtationem habuiſ-
ſet. Ita namque inter † alios ſentiunt Zaſius 21
in § ſi minus.n.11.Inſtit.de action. Sichardus *in Auth.*
qui ſemel.n.13.C. quomod. & quand. jud. ſentent. pro-
fer.deb. And. Geil. *in obſ.74.n.4. & 8.lib. 1. pract. ob-*
ſervat. Everhard. Bronchorſt. *in aſſert. 20.cent.1.&*
Vincent. de Franchis *in deciſ.60.n.19.& ſeq.* Neq;
ab his diſſentit Menochius *lib. 2. de arbitr. judic.*

quæſtion.caſ.176. quamvis ibidem *n.5. & 22.* libellum in judiciis univerſalibus & generalibus,
22 † poſt litem conteſtatam eo demum caſu mutari non poſſe ſtatuat, ſi res certæ ac ſingulares ab actore petitæ ſint: tum enim alias res, de quibus lis conteſtata non fuit, peti non poſſe exiſtimat: quod ipſum quoq; ſentit Didac. Covarruvias *in cap.12.n.6.pract. quæſtion.* Atque nituntur hi Doctores potiſſimùm *l.non poteſt 23. ſup. de ju-*
23 *dic.* ubi Paulus negat in judicium † veniſſe id, quod poſt judicium acceptum accidit: ideoq; alia interpellatione opus eſſe ait: unde iſti libellum poſt litem conteſtatam mutari non poſſe, ſed novo judicio agendum eſſe concludunt.

Verùm contrarium ſtatuit Martinus, & li-
24 bellum † etiam poſt litem conteſtatam ad ſententiam uſque mutari poſſe affirmat: cui & Alciatus *in l.3.* ibidemq; Donellus *n.17. & ſeq. C.de edend.* Eguin. Baro, & VVeſenbecius *in d.§.ſi minus.* adſtipulantur: neque his reluctari videntur VVittenbergenſes ac Lipſenſes Scabini *in quæſt.3.n.20. & aliquot ſeqq.part.3.conſultat.Saxonicarum.* Horumq́ue ſententiam veriſſimam eſſe
25 ego ipſe puto, præſertim † cùm *d.l.3. & d.§.ſi minus.* ſine ulla diſtinctione loquantur, & verba
26 iſta, *Petere & judicium*, quorum † *d.§ ſi minus.* meminit, hujuſmodi ſenſum efflagitent. Nam ver-
27 bum *petere*, litis † conteſtationem denotat, *argumento l.amplius.15.ſup.rem rat. haber.* ubi Paulus ex ſententia Labeonis verbum illud ita accipit, ſi ju-

ſi judicio petitum ſit. Judicium † verò ſine litis 28
conteſtatione eſſe non poteſt: cùm à litis conteſtatione initium illud ſumat, per ea quę communiter Dd. notant *in principio l.1.C.de lit.conteſt.* Nec probare poſſum, quod Accurſius ejusque aſſeclæ *in d.§.ſi minus.* verba hæc, *eodem judicio*, ſic interpretantur, quaſi Juſtinianus dicere voluiſſet, coram eodem judice, ſed alia tamen inſtantiá reliquum peti poſſe. Quod ſi enim hujuſmodi interpretatio admittatur, conſtitutio Zenoniana, cujus *in d.§.ſi minus*.fit mentio, ſupervacanea eſſet: ſiquidem nemini dubium eſt etiam ante Zenonem reliquum in alia inſtantia peti potuiſſe, ſicut liquet *ex l.non poteſt.23.ſup. de judic.& l.ſi mater.11.§ 1.ſup.de except.rei judic.* Neque etiam huic interpretationi convenit verbum *corrigere*, quo utitur Juſtinianus *in* † *§ ſi quis* 29
aliud. inſtit.de action. quoniam is, qui ad aliam inſtantiam confugit, novam actionem verius inſtituit, quàm ut veterem corrigat.

Nec movere quempiam † debet *d. l. non po-* 30
teſt. quæ Accurſium ipſiusq; ſectatores, ſecus ut ſentirent, unicè, meo judicio, movit: quoniam ante † Zenonem in judicium illud ſaltem veni- 31
re dicebatur, quod in litis conteſtationem veniſſet. Poſt Zenonem in judicium venire etiam illud dicitur, quod poſt litem conteſtatam apud eundem judicem petitur, ac proinde ſi poſt litem conteſtatam error emendetur, hodie æquè illud in litis conteſtationem veniſſe cenſe-

 bitur,

bitur, ac ſi diſertis verbis mentio illius in ea facta fuiſſet: id quod VVeſemb. *in d. §. ſi minus.* æquitati, Alciatus verò *in d.l.3.* favori dirimendarum litium adſcribit: tametſi Donellus in *d. l.3. n.17. & ſeq.* priſcorum Jctorum temporibus et-
32 iam ante Zenonis † conſtitutionem idem non quidem in eodem, ſed novo judicio obtinuiſſe ſcribat, idq; ipſum probet *l. 4. §. ult. ſup. de noxal. action.* ubi Paulus haud obſcurè innuit, quòd quis actioni noxali ab ſe intentatæ quid adjicere vel detrahere poſt litem conteſtatam non prohibeatur. Atque in eundem ſenſum quoq;
33 † allegat *l. cum fundum. 18. §. ult. ſup. de vi & vi armat.* ubi is qui rei vendicationem inſtituit, ſi interdicto unde vi agere potuiſſet, errore cognito, etiam pendente judicio (hoc eſt, poſt litis conteſtationem, cùm litis conteſtatione demum, ut dixi, res in judicium deducatur) ex Papiniani ſententia ab rei vendicatione deſiſtere, atque interdicto unde vi experiri poteſt. Ergo poſt litem conteſtatam Actori actionem in-
34 tentatam † mutare, multoq; magis emendare licet, & quidem toties, quoties ipſa æquitas ſua-
35 ſerit, dummodo damna, † quæ ob actionem præcedentem temerè inſtitutam Reus fecit, actor ipſi reſarſerit, per *l. eum quem. 79. in pr. ſup. de judic.* Sichardus *in l.4. n.21. C. de pact.* & Matthæus de Afflictis in *deciſ. Neapolit. 60. n.3.*

L. 87.

L. 87.

Paulus libro 13. quæſtionum.

¶ *Nemo enim in perſequendo deteriorem cauſam, ſed meliorem facit. Deniq; poſt litem conteſtatam heredi quoq; proſpicitur, & heres tenetur ex omnibus cauſis.*

Hæc l. velut ratio l. proximè præcedentis apponitur, & ex illius quoq; interpretatione genuinum ſuum intellectum ſortita eſt.

L. 88.

Scævola libro 5. quæſtionum.

¶ *Nulla intelligitur mora ibi fieri, ubi nulla petitio eſt.*

Quæ ad *l. qui ſine. 63. n. 13. ſup. h. t.* notata ſunt, ea ad hujus l. explicationem ſufficiunt.

L. 89.

Paulus libro 10. quæſtionum.

¶ *Quandiu poſſit valere teſtamentum, tamdiu legitimus non admittitur.*

SUMMARIA.

1 *Tutelæ legitimæ tum locus eſt, quando ex teſtamento tutor non ſperatur.*

2 *Succeſſio legitima locum antè non habet, quàm ſi hereditas ex teſtamento adiri nequeat.*

3 *Hominis proviſio tollit proviſionem legis.*

4 *Voluntas defuncti ultima pro lege ſervanda eſt.*

5 *L.ſi quis ita 82.ff.de hered.inſtit.conciliatur cum l. quandiu.39.ff.de acquir.vel omitt.hered.*

6 *Teſtamenti vis omnis perit, ſi heres ſcriptus hereditatem non adeat.*

7 *Heredis inſtitutio teſtamenti fundamentum eſt.*

8 *Teſtamenti contenta univerſa ex inſtitutione heredis dependent.*

9 *Legata, cæteraq; omnia, quæ in teſtamento relicta ſunt, jure veteri non debebantur, ſi vel heredem teſtamentum non haberet, vel heres inſtitutus hereditatem adire nollet.*

10 *Acceſſorium non ſubſiſtit, ubi ipſum principale non valet.*

11 *Teſtamenti contenta jure Novellarum ſalva manent, etiamſi quoad heredis inſtitutionem illud infirmatum ſit.*

SUcceſſionis legitimæ, quæ videlicet ab inteſtato defertur, eadem eſt conditio, quæ tutelæ legitimæ. Quemadmodum enim tutelæ le-
1 gitimæ tamdiu locus † non eſt, quandiu ex teſtamento tutor ſperatur, *l.ſi quis.11.in pr.ſup.de te-*
2 *ſtam.tutel.* Ita etiam ſucceſſioni † legitimæ locus antè non eſt, quàm hereditas ex teſtamento adiri non poſſit, *l.quandiu.39. ſup. de acquir. vel omitten. hered. & §.proximus autem. Inſtit. de legit. agnat.*
3 *ſucceſſ.* Nam proviſio hominis † tollit proviſionem legis, ſicut docet Tib. Decianus *in reſp. 78. n.23.*

n.23.vol.3.per l.cùm ex filio.39.§.1.ſup. de vulgar.& pupill. ſubſtit.& l.ult. C. de pact. convent. adeoq; ultima voluntas defuncti † pro lege ſervanda eſt, 4
ut refert Imp. Juſtinianus *in cap.2. Novellæ 22.*
Neque huic adverſatur *l.ſi quis ita.82.ſup.de hered. inſtit.* ubi Scævola † conditionem teſtamenti 5
deficere ait, ſi heres legitimus hereditatem vindicet: quoniam idipſum ex teſtatoris voluntate fit, quippe qui heredem in ſuo teſtamento ſub hac conditione ſcripſit, ſi heres legitimus hereditatem adire nolit. Eodemque pertinet *l. ſi nemo.181.inf.h.t.* ubi idem Paulus ait, vim † o- 6
mnem teſtamenti ſolvi, ſi nemo hereditatem ſubierit. Nam teſtamenti caput † ac fundamen- 7
tum eſt heredis inſtitutio, ex qua omnia, quæ in teſtamento † ſunt diſpoſita, dependent *§.an-* 8
te heredis.Inſtit.de legat. Quocirca ſi teſtamentum heredem non habeet, aut heres ſcriptus hereditatem non adeat, nec libertates, nec † legata, 9
aut fideicommiſſa in eo teſtamento relicta debentur, ſed quicquid in eo diſpoſitum eſt, id omne jure antiquo evaneſcebat, ſicut videre eſt *ex l. Titia.13.& l.cum mater.28.ſup. de inoff. teſtam.* Cujus rei ratio *in l. nihil dolo.129.§.1. & in l. cum principalis 178.inf.h.t.* hæc redditur, quòd ea, quæ cauſam principalem † ſequuntur, locum non 10
habeant, quando ipſa cauſa principalis non conſiſtit.

Verùm jure Novellarum † infirmato te- 11
ſtamento, in quo liberi præteriti, vel iniquè

exheredati fuerant, ſola heredis inſtitutio evaneſcit, cętera verò teſtamenti capitula ſalva manent, veluti patet ex fine *cap.3.Novellæ 115*. Quod ipſum ante Juſtinianum ex reſcripto Imp. Adriani in eo caſu obtinuit, quando teſtator, poſtquam heredem ab ſe ſcriptum deceſſiſſe falsò audiviſſet, alios heredes inſtituit, *d.l.cum mater, & l.ult.ſup.de hered.inſtit.*

L. 90.

Paulus libro 15.quæſtionum.

§ *In omnibus quidem, maximè tamen in jure, æquitas ſpectanda ſit.*

SUMMARIA.

1 *AEquitatis rationem potiſſimam jura haberi volunt.*

2 *Judex antè, quàm ad judicandi munus accedit, jurare tenetur, ſe in judicando æquitatē ſequi velle.*

3 *Pacta ex æquitate interpretanda ſunt.*

4 *AEquitas facit, ut à natura contractus aliquando recedatur.*

5 *Juris ſolennia mutanda ſunt, ubi æquitas hoc efflagitat.*

6 *Teſtamentum inter liberos conditum ſubſiſtit ſi coram duobus teſtibus factum ſit.*

QUid ſit æquitas, & quomodo attendi illa in jure debeat, ſatis conſtat ex iis, quæ notavi

ravi *ad l.ſemper in obſcuris.9.n.43.& aliquot ſeqq.ſup. h.t.* Quibus hoc addere libet, † æquitatis, ne 1
ſub autoritate juris ſcientiæ, veluti ex Celſo refert Paulus *in l.ſi ſervum.91.§ ſequitur.ſup.de verbor. obligat.* pernitiosè erretur, ejuſmodi rationem habendam eſſe, ut etiam ex conſtitutione Imp. Juſtiniani judex † antè quàm judicandi partes 2
aſſumit, jurare teneatur, ſe in judicando æquitatem ſequi velle, quemadmodum videre eſt formula jurisjurãdi judicibus præſcripta ſub finem *Novella 8.* Eodemq́; pertinet, quòd Papinianus *in l.ſi ſocius.81.ſup.pro ſoc.* pactum † ex æquita- 3
te interpretandum eſſe ſcribit. Et à natura contractus aliquando propter † æquitatem rece- 4
di ſatis docet Celſus *in l.ſi & me.32.ſup. ſi cert. pet.* Atque hinc eſt, quòd Marcellus *in l.etſi nihil.183. inf.h.t.* ſolennia juris mutanda † eſſe ſcribit, ubi 5
æquitas evidens hoc poſcit. Cujus exemplum extat in teſtamento † inter liberos condito, 6
quod ſubſiſtit duobus teſtibus adhibitis, tametſi aliâs numerus ſeptem teſtium ad ſolenne teſtamentum requiratur, veluti patet *ex l. hac conſultiſſima. 21. C. de teſtam.* cujus intellectum And. Geil. *in obſ.112.lib.2.practicar.obſervat.* plenius exponit.

L. 91.

Paulus libro 17. quæſtionum.

¶ *Quoties duplici jure defertur alicui ſucceſſio, repu-*

repudiato novo jure, quod antè defertur, ſuperérit vetus.

SUMMARIA.

1 *Juis veteris ac novi appellatio quid in l.quoties. 91. ff.h.t.ſignificet.*

2 *Succeſſio teſtamentaria novo juri adſcribitur.*

3 *Jus naturæ antiquiſſimum eſt.*

4 *Hereditas jure naturæ proximioribus defertur.*

5 *Heres legitimus ab inteſtato ſuccedere poteſt, quamvis hereditatem ſibi in teſtamento relictam repudiaſſet.*

6 *Jus vetus vocatur & illud jus, quod l.12.tab.continetur.*

7 *Jus prætorium, & quod ex SCtis aut Impp. reſcriptis profluxit, novum jus alicubi dicitur.*

8 *Pater in teſtamento filii emancipati præteritus quomodo ejus ſucceſſione potiri poſſit?*

9 *Heres ſuus paterna hereditate non excluditur, licet bonorum poſſeſſio ab ipſo repudiata ſit.*

1 QUid ſibi juris veteris ac novi † appellatione Paulus hoc loco velit, inter juris interpretes non convenit. Nonnulli enim juris no-
2 vi appellatione ſucceſſionem † teſtamentariam denotari exiſtimant, quaſi ex novo jure hoc profectum ſit, ut hereditatem capiat is, quem teſtator in ſuo teſtamento heredem ſcripſit. At verò per jus vetus intelligi volunt eam ſucceſſionem, quæ ab inteſtato defertur, quòd jus na-

turæ velut † antiquiſſimum liberis, iiſque qui 3
defuncto proximiores ſunt, † hereditatem de- 4
ferat. Et juxta hanc interpretationem exemplum hujus regulæ ſumi poteſt *ex l.nec is qui. 17. §.1.ſup.de acquir.vel omitten.hered.* ubi is, qui heres in teſtamento ſcriptus eſt, cùm nihilominus † 5
ab inteſtato ſucceſſurus fuiſſet, tanquam heres legitimus ab inteſtato ſuccedere non prohibetur, quamvis ſucceſſionem teſtamentariam nominatim repudiaſſet.

Verùm alii per jus † vetus hîc intelligunt 6
l.12.tab. ſed jus novum interpretantur † Præto- 7
rium, & quod ex SCtis aut Impp. conſtitutionibus promanavit. Atq; horum interpretatio apprimè congruit cum *l.1. & l.3. ſup. de hered. petit.* Cujus exemplum Cujacius *in cap.23.lib.8. obſ.* ponit in patre, qui, ſi à filio † emancipato præ- 8
teritus ſit, duplici jure illius ſucceſſionem conſequi poteſt. Veteri quidem jure per querelam teſtamenti inofficioſi: ſed jure novo per bonorum poſſeſſionem contra tabulas. Ac licet hanc contra tabulas poſſeſſionem bonorum repudiaverit: querela tamen inofficioſi nihilominus ſucceſſionem ſibi debitam adipiſci poteſt, *l.1. §. ult. ſup. ſi à parent. quis manum. ſit.* ſic jus civile
† heredem ſuum à paterna hereditate non ex- 9
cludit, quamvis is bonorum poſſeſſionem repudiaverit: ſicut videre eſt ex reſcripto Impp. Diocletiani & Maximiani *in l.ſuum heredem.13.C. de jur.deliberan.*

L.92.

L. 92.

Scævola libro 5. Reſponſorum.

¶ *Si librarius in tranſcribendis ſtipulationis verbis erraſſet: nihil nocere, quò minus & reus & fidejuſſor tenetur.*

Summaria.

1 *Librarius in jure quis dicatur?*
2 *Tabellionis error in conſcribendis contrahentium verbis admiſſus contractum non vitiat.*
3 *Veritas rerum erroribus non vitiatur.*
4 *Teſtamenta ſcribentis errore non infirmantur.*
5 *Veritas magis quàm ſcriptura attendi debet, ſi ſcribentis error manifeſtus ſit.*
6 *Scripturæ verbis in dubio ſtatur.*
7 *Error non præſumitur.*

1 Librarium Scævola † hìc vocat, quem Imp. Juſtinianus *in l. contractus. 17. C. de fid. inſtrum.* tabellionem nuncupat, qui videlicet contractus, pactiones, aliosvé actus conſcribit. Et hic
2 quidem contractum non vitiat, etiamſi † errorem in conſcribendis contrahentium verbis
3 admiſerit: cùm veritas rerum erroribus † non vitietur, ut refert Ulpianus *in l. illicitas. 6. § 1. ſup. de offic. præſid.* Ejusq; exemplum extat *in l. 1. C. de contrah. & commit. ſtipul.* Quod de contractibus dictum eſt, idem in teſtamentis obtinet. Nam

& te-

& teſtamenta ſalva manent, etiamſi † ſcribentis 4
errore quid omiſſum ſit, *l. ambiguitates. 24. C. de teſtam.* Quam ob cauſam quoq; Impp. Diocletianus & Maximianus *in l. nec ignorans 10. C. de donat.* veritatem rei vires majores † quàm ſcriptu- 5
ram obtinere ajunt: quod quidem verum eſt, ſi librarii error manifeſtus ſit, reiq; veritas commodè oſtendi poſſit, *argumento l. 4. ſup. de fid. inſtrum.* Nam in dubio † verbis ſcripturæ ſtatur, 6
cùm error non præſumatur. † niſi probetur, ut 7
patet ex *l. 3. C. de jur. & fact. ignor.* id quod præter alios Alciatus *in regul. 3. præſumpt. 21. n. 1.* & Jacob. Menochius *in præſumpt. 22. n. 2. & aliquot ſeqq. lib. 6. de præſumpt.* pluribus perſequitur.

L. 93.

Mæcianus lib. 1. Fideicommiſſorum.

¶ *Filiusfamilias neq; retinere, neq; recuperare, neque adipiſci poſſeſſionem rei peculiaris videtur.*

SUMMARIA.

1 *Filiusfam. olim nihil ſuum habebat.*
2 *Filiusfam. poſſeſſionem rei peculiaris neq; retinere, neq; recuperare, neq; adipiſci poterat.*
3 *Patri etiam ignoranti poſſeſſio à filiofam. apprehenſa acquiritur.*
4 *Peculium filiofam. non niſi à volente patre conceditur.*

5 Poſ-

5 *Poſſeßio an ex ſola cauſa peculiari patri ignoranti per filiumfam. acquiratur?*

6 *Domino ignoranti atq; invito obvenit quodcunque ſervus acquiſiverit.*

7 *Suum habere nihil poteſt, qui in alterius poteſtate eſt.*

8 *Patri ignoranti poſſeßio earum rerum, quæ peculiares non ſunt, per filiumfam. non acquiritur.*

9 *Domini ſcientia requiritur, ſi ſervus quid ex cauſa non peculiari acquirat.*

10 *L. peregrè. 44. §. 1. ff. de acquir. vel amitt. poſſeſ. conciliatur cum §. item vobis. Inſtit. per quas perſon. cuiq. acquir.*

11 *Dominium ejus rei, quæ peculiaris non eſt, ignoranti patri per filiumfam. acquiritur.*

12 *Poſſeßio & animo & corpore acquiritur.*

13 *Peculium profectitium duntaxat patri hodie per filiumfam. acquiritur.*

14 *Pater hodie uſumfructum ſaltem peculii adventitii per filium acquirit.*

15 *Peculii adventitii proprietas hodie penes filium remanet.*

16 *Peculium adventitium neq; à patre, diſſentiente filio, neq; à filio, patre invito alienari poteſt.*

17 *Peculium caſtrenſe vel quaſi caſtrenſe filiofam. in ſolidum cedit.*

18 *Filiusfam. de peculio caſtrenſi vel quaſi caſtrenſi pro arbitrio diſponere poteſt.*

1 IUre veteri filiusfam. † nihil ſuum habebat, ſed quicquid acquirebat, ſuo acquirebat patri.

tri, in cujus poteſtate erat, uſque adeò quidem, ut ne momento in perſona filii acquiſitio iſta ſubſiſteret, veluti refert Ulpianus *in l. placet. 79. ſup. de acquir. vel omitten. hered.* Atq; ob hanc cauſam Marcianus hic pro regula tradit, quòd filiusfam. poſſeſſionem rei peculiaris, hoc eſt illius, quæ ex peculio comparata eſt, † neque re- 2
tinere, neq; recuperare, neq; adipiſci poſſit. Siquidem pater poſſeſſionem, ſi quam filiusfam. peculiari nomine apprehendit, ex Sabini, Caſſii, ac Juliani ſententia confeſtim acquirit,
† quantumvis eam à filio apprehenſam eſſe i- 3
gnoret. *l. 1. §. item acquirimus. & l. 4. ſup. de acquir. vel amitt. poſſeſ.* Cujus rei nulla alia ratio dari po-
teſt, quàm quòd † pater ab initio in acquiſitio- 4
nem iſtam conſenſiſſe intelligatur hoc ipſo, quòd peculii adminiſtrationem filiofam. volens permiſit, ut ſic & hoc caſu nihilominus animo ſuo poſſeſſionem acquirere intelligatur, licet corpore filiifam. ceu miniſterio utatur.

Cæterùm an ex † ſola cauſa peculiari patri i- 5
gnoranti per filiumfam. poſſeſſio acquiratur, haud abs re quæritur? Accurſius certè, quem non pauci hac in parte ſequuntur, in ea eſt ſententia, poſſeſſionem etiam extra cauſam peculiarem ignoranti patri acquiri: quòd textus *in §. item vobis. Inſtit. per quas perſon. cuiq. acquir.* indi-
ſtinctè dicat, † ignorantibus & invitis dominis 6
(quod de dominis eò loci dicitur, idem in patribus obtinere, præcedens iſtius tituli §. ſin ar-

guit) obvenire, quòd ſervi ex traditione nacti
ſint, vel ex legato, aliáve quavis cauſa acquiſive-
rint: cùm ipſe qui in poteſtate alterius eſt, nihil
7 † ſuum habere poſſit: quod ipſum quoque tra-
dit Gajus *in l. acquiruntur. 10. §. 1. ſup. de acq. rer. do-
min.* Verùm rectius ſentiunt illi, qui poſſeſſio-
8 nem ex ſola peculiari cauſa † ignoranti patri
acquiri ſtatuunt, atq; in reliquis cauſis ad hoc,
ut poſſeſſio acquiſita dicatur, ſcientiam patris
exigunt. Præterquàm enim quòd Papinianus
in l. peregrè. 44. §. 1. ſup. de acquir. vel. amitt. poſſ. diſer-
9 tis verbis hoc affirmat, dum ſcientiam † domi-
ni neceſſariam eſſe ſcribit, ſi non ex cauſa pecu-
liari aliquid quæratur: hoc quoq; conſtat Pau-
lum *in d. §. item acquirimus.* cauſam peculiarem
à cæteris manifeſtè diſcernere, atque eo ipſo,
quòd poſſeſſionem rerum peculiarium etiam
ignoranti acquiri ait, ſatis innuere extra cauſam
peculiarem ignoranti poſſeſſionem non ac-
10 quiri. Neque aſſertionem hanc † infringit *d. §.
item vobis.* quem Juſtinianus ex *d. l. acquiruntur.*
deſumpſit, quoniam uterq; iſte textus non de
poſſeſſione, ſed, quemadmodum & inſcriptio
iſtius tituli, & contextus totus oſtendit, de ac-
quiſitione proprietatis ſive dominii loquitur:
alioquin in §. ſubſequenti fruſtra & Gajus, &
Juſtinianus ſubjeciſſent, non ſolùm proprieta-
tem, ſed poſſeſſionem quoq; per ſervos acqui-
ri. Proprietas quidem extra cauſam peculiarem
11 ignoranti † patri vel domino acquiri poteſt, ſed
poſ-

poſſeſſio ipſi quæri non poteſt, quoniam & † a- 12
nimo & corpore poſſeſſio acquiritur, & niſi u-
trumque, & animus & corpus concurrat, nulla
poſſeſſionis acquiſitio eſt. *l. 3. in princ. & l. quem-
admodum. 8. ſup. de acquir. vel amitt. poſſeſſ.* Itaque ju-
re veteri pater etiam ignorans per filiumfam.
poſſeſſionem rei peculiaris acquirebat.

Verùm hodie jure novo ſolum peculium
† profectitium patri per filiumfam. acquiritur. 13
Nam in adventitio peculio filiusfam. † uſum- 14
fructum duntaxat patri acquirit, proprietatem
† verò ſibi retinet: ſic tamen, ut nec filiofam. 15
diſſentiente patre, nec patri invito filio † pecu- 16
lium illud alienare liceat, *per l. ult. §. filiis autem. C.
de bon. quæ liber.*

Cæterùm in caſtrenſi vel quaſi † caſtrenſi pe- 17
culio filiusfam. & veteri & novo jure tam u-
ſumfructum quàm proprietatem ſibi in ſoli-
dum acquirit, ita quidem, ut de illo non ſecus
ac paterfam. pro arbitrio † diſponere, atque ab 18
aliis quoque ejus nomine conveniri poſſit,
quemadmodum videre eſt *ex l. 3. §. pen. ſup. de mi-
nor. 25. ann. l. 2. ſup. de SC. Maced. & l. cum oportet. 6.
C. de bon. quæ liber.*

L. 94.

Ulpianus libro 2. fideicom-
miſſorum.

¶ *Non ſolent quæ abundant, vitiare ſcripturas.*

Hujus l. explicatio adjecta fuit iis, quæ de intellectu *l. qua dubitationis. 81. ſup. h. t.* notata ſunt.

L. 95.

Ulpianus libro 6. fideicommiſſorum.

¶ *Nemo dubitat, ſolvendo videri eum, qui defenditur.*

SUMMARIA.

1 *L. nemo dubitat. 95. ff. h. t. quomodo à P. Fabro accipiatur.*

2 *Heres legatariis vel fideicommiſſariis cautionem legatorum vel fideicommiſſorum nomine præſtare tenetur, quantumvis ſatis locuples atq; in dignitate quoq; poſitus ſit.*

3 *Solvendo eſſe cenſetur is, qui per alium defenditur.*

4 *Defendere quis alium in judicio non poteſt, niſi ſatiſdederit ſe litis æſtimationem ſoluturum.*

5 *Solvendo eſſe dicitur, qui per alium ſolvere ſolidum poteſt.*

6 *Expromiſſor alienæ rei nemo eſt idoneus, niſi ſatiſdederit.*

7 *Litis alienæ defenſioni ſe nemo ſine ſatiſdatione offerre poteſt.*

8 *L. qui rem alienam. 166. ff. h. t. quomodo accipienda ſit?*

9 *Satiſdatio ejus, qui alienæ litis defenſioni ſeſe offert, in cautione de rato non acquieſcit, ſed judicati ſolutionem quoq; complecti debet.*

10 *Procuratoris cautela, quando alterius defenſionem ſuſcipit.*

Petrus

PEtrus Faber ex *l. ſi quando. 6, ſup. ut legat. ſeu fidei c. ſervand. cauſ. caveat*, quæ ſimiliter Ulpiano adſcribitur, atque ex eodem *libro 6. fideicommiſſorum* deſumpta eſt, evincere conatur, regulam † hanc pertinere ad cautionem, quam heres legatorum vel fideicommiſſorum nomine legatariis vel fideicommiſſariis præſtare tenetur, eamq; hoc ſibi velle exiſtimat, quòd heres cautione iſta non oneretur, ſi quis ſit, qui eum defendat, quaſi tum ſolvendo videatur. Verùm hujuſmodi interpretatio refellitur ab eodem Ulpiano *in l. 1. §. 1. eod.* ubi cautionem iſtam exigit à quovis † herede, cujuſcunq; dignitatis, vel quarumcunq; facultatum is ſit. Unde dubium eſt nullum, quin heres, quamvis defendatur, atque hinc ſolvendo videatur, nihilominus cautionem iſtam præſtare teneatur. 1 2

Itaq; ut ſenſus hujus regulæ conſtet, nihil aliud in præſenti inquirẽdum eſſe opinor, quàm † quæ ſit ratio, quòd is qui defenditur, ſolvendo eſſe videatur. Ratio autem ejus ſumitur *ex l. qui proprio. 46. §. qui alium. & l. non videtur. 53. ſup. de procurat.* ubi tam ex Gaji quàm Ulpiani ſententia is, qui defenſionem † Rei in judicio ſuſcepit, ad defenſionem iſtam antè non admittitur, quàm ſatiſdederit ſe judicatum, hoc eſt, litis æſtimationem ſoluturum: cujuſmodi ſatiſdatio facit, ut ipſe Reus quoque ſolvendo eſſe videatur: cùm & is ſolvendo † eſſe dicatur, qui per alium ſolidum ſolvere poteſt, *argumento l. ſolven-* 3 4 5

do. 114. ſup. de verb. ſignif. junct. cum *l. 1. §. dejeciſſe, ſup. de vi & vi armat.*

Eodémq; pertinet *l. in eo. 110. §. 1. inf. h. t.* ubi Pau-
6 lus ait, neminem † alienæ rei expromiſſorem idoneum videri, niſi cum ſatiſdatione, quam vi-
7 delicet is, qui alienæ † litis defenſioni ſeſe offert, datis fidejuſſoribus præſtare tenetur, *per l. 1. ſup. qui ſatiſd. cog.*

8 Atque hinc ſatis † apparet *l. qui rem alienam. 166. inf. h. t.* in qua idem Paulus ſimpliciter eum locupletem haberi negat, qui rem alienam defendit, cum hoc temperamento accipiendam eſſe, ſi non ſatiſdederit, id quod Juſtinianus etiam *in §. ſi verò Reus. Inſtit. de ſatiſdat.* exprimit, dum defenſorem litis alienæ ſine ſatiſdatione idoneum eſſe negat. Cujuſmodi ſatiſdatio in
9 cautione † de rato non acquieſcit, ſed, ut ex prædictis liquet, ita demum ſufficiens cenſetur, ſi defenſor caveat ſe de ſuo judicatum ſoluturum eſſe, ſi dominus, quæ ipſe geſſerit, rata non habeat, *per l. mutus. 43. §. ult. ſup. de procur.*
10 Quare cautus ſit is, qui † alterius defenſionem ſuſcipit, nec prius illam ſuſcipiat, quàm Reus principalis ipſe ſe quaſi fidejuſſorem fecerit in ſolvendo eo, quod judicatum fuerit, aut eo nomine bona ſua obligaverit.

L. 96.

Marcianus libro 12. fideicommiſſorum.

¶ *In ambiguis orationibus maximè ſententia ſpectanda eſt ejus, qui eas protuliſſet.*

SUMMARIA.

1 *Ambiguus ſermo ita explicari debet, ut voluntati ejus, qui ſermonē iſtum protulit, magis congruat.*
2 *Obſcurum factum ex affectione ejus, qui fecit, interpretationem capit.*
3 *Sententia obſcura explicanda eſt à judice, qui illam tulit.*
4 *Legis dubia interpretatio ab eo petenda eſt, qui illam tulit.*
5 *Defuncti mens in ultimis voluntatibus maximè ſpectanda eſt.*
6 *Teſtatoris voluntatem judex, quemadmodum Baldus loquitur, ſequi debet, ſicut venator leporem.*
7 *Heres tenetur ad præſtationem rei alienæ, quam teſtator ſuæ uxori legavit, etiamſi eam alienam eſſe neſciverit.*
8 *Mariti affectio erga uxorem ſumma præſumitur.*
9 *Ambigui ſermonis interpretatio in contractibus facienda eſt adverſus eum, qui ſermonem habuit.*
10 *Contrahens imputet ſibi, quòd contractui, cùm poſſet, apertius legem non dixerit.*
11 *Pactio obſcura venditori nocet.*
12 *Locatori obſcura pactio nocere debet.*
13 *Libellus in judiciis ita interpretandus eſt, ut res actori ſalva ſit.*
14 *Ambigua intentio cur in judiciis proſit ei, qui intentione uſus eſt?*

15 *Contractus non niſi ex contrahentium conſenſu valent.*

16 *Venditor verba ab ſe prolata interpretari aliter non poteſt, quàm emptor in ea conſenſit.*

17 *Emptor in dubio in id ſaltem conſenſiſſe dicitur, quod ſibi quàm minimum nocet.*

18 *Judicia in invitos redduntur.*

19 *Judex magis ſpectat id, quod Actor petere voluit, quàm quod Reus de intentione Actoris ſenſit.*

20 *L. Labeo. 21. ff. de contrah. emption. conciliatur cum principio l. ſi in emptione. 34. ff. eod. tit.*

21 *L. ſi in emptione. 34. à Cujacio corrigitur, ſed malè.*

22 *Emptori pactio dubia nocet, quando ipſe legem contractui dixit.*

23 *Pactionis obſcuræ interpretatio adverſus eum facienda eſt, qui pactionem iſtam interpoſuit.*

QUando ambigua occurrit oratio, de qua meritò quis dubitet, utrum hoc vel illo ſenſu accipi debeat, ex præſcripto hujus regu-
1 læ ea aſſumenda erit interpretatio, † quæ menti ac voluntati ejus, qui illam protulit, magis congruit. Quam ob cauſam quoq; Paulus *in l.*
2 *rapienda. 168. §. 1. inf. h. t.* refert, factum † obſcurum ex affectione ejus, qui fecit, interpretationem capere. Cujus exemplum extat *in l. 4. §. 1.*
3 *ſup. de appellat.* ubi JCtus Macer ſententiam † obſcuram explicari vult à judice, qui illam tulit. Sic & Imp. Juſtinianus *in l. ult. §. 1. C. de ll.* inter-
4 pretationem † legis dubiæ peti vult à principe, quip-

quippe qui illam condidiſſet. Qualiter autem illud & quo demum momento fieri debeat, ex iis, quæ ad *l. ſemper in obſcuris. 9. ſup. h. t.* notavi, abundè ſatis conſtat.

Illud tamen hìc omittendum non eſt, regulæ hujus uſum in ultimis † voluntatibus maxi- 5
mum eſſe: in his enim mens ac voluntas defuncti potiſſimùm attendenda eſt, *argumento l. in conditionibus. 19. in pr. ſup. de condit. & demonſtrat.* Unde etiam Baldus *in l. quidam. 46. ſup. de hered. inſtit.* inter cætera ſcribit, quòd judex voluntatem † teſtatoris ſequi debeat, ſicut venator le- 6
porem, cùm omnia regat, primumq; illa locum obtineat.

Atque hinc heres rem alienam, quam † te- 7
ſtator ignorans eam alienam eſſe, uxori legavit, præſtare tenetur, quoniam affectio, qua defunctus uxorem † eſt proſequutus, arguit eum uxo- 8
ri rem iſtam relicturum fuiſſe, etiamſi alienam eſſe ſciviſſet, veluti docet Pomponius *in l. Quintus Mutius. 10. §. ult. ſup. de aur. & argent. legat.* cui conſentit reſcriptum Imp. Alexandri *in l. cum alienam. 10. C. de legat.*

Secus ſe res habet in contractibus, quippe in quibus interpretatio † orationis ambiguæ fit 9
adverſus eum, qui orationem iſtam protulit, cùm in poteſtate ejus fuerit legem † apertius 10
contractui dicere, *per l. veteribus. 39. ſup. de pact.* ubi pactio † obſcura nocet venditori, eique qui 11
† locavit: quod ipſum & Paulus *in l. Labeo. 21.* & 12

Pomponius *in l. cum in lege. 33. ſup. de contrahen. empt.* affirmant. Eodemq; pertinet principium *l. in contrahenda. 172. inf. h. t.*

Quod verò Paulus *in §. 1. ejuſdem l. 172.* ſubjungit, ambiguam intentionem ita accipiendam eſſe, ut res ſalva actori ſit: eo ipſo ſignificat in
13 judiciis † libellum actoris ita interpretandum eſſe, ut res actori ſalva ſit: qua in re judicia à contractibus diſcernuntur: ſiquidem in judiciis intentio ambigua ita interpretanda eſt, non ut nocear, ſicuti fit in contractibus, ſed potius ut
14 profit ei, qui intentione † iſta uſus eſt. *l. ſi quis intentione. 66. ſup. de judic.* Cujus diverſitatis rationem Paulus *in l. inter ſtipulantem. 83. §. 1. ſup. de verb. oblig.* hanc aſſignat, quòd contractus ac conven-
15 tiones non niſi ex utriuſque partis † conſenſu valeant, *l. 1. §. 1. ſup. de pact.* proinde venditor ver-
16 ba † ab ſe prolata aliter interpretari non poteſt, quàm emptor in ea conſenſit: emptor autem
17 in dubio in illud † ſaltem conſenſiſſe creditur, quod ſibi quàm minimum nocere poſſit: atq; hac de cauſa interpretatio pro emptore contra venditorem facienda eſt: ſibi enim venditor imputet, quòd non apertius locutus ſit. At ve-
18 rò judicia † etiam in invitos redduntur, & ideo
19 judex non ſpectat quid Reus de Actoris † intentione ſenſerit, ſed potius quid actor petere voluerit: alioquin ſemper Reus negabit ſe in ejuſmodi intentionem conſenſiſſe.
20 Verùm hiſce plurimum adverſari † videtur prin-

principium *l.ſi in emptione.34.ſup.de contrab.empt.* ubi ex eo, quòd emptori iſte demũ debetur Stichus, quem venditor intellexit, non quem emptor petit, haud obſcurè inferri poſſit, pactionem ambiguam contra emptorem pro venditore interpretandam eſſe. Cujacius † *in cap.10. lib.1. obſervat. & in d.l. inter ſtipulantem.* textum *in princ.d.l.ſi in emptione.* corrigit, ac pro his verbis, *quem venditor intellexerit*, legi vult, *quem emptor intellexerit*. Verùm mihi correctio iſta non placet, cùm diſcrepantia iſta conciliari poſſit, licet vulgaris & hactenus recepta lectio retineatur: hoc nimirum modo, ut cum Accurſio reſpondeamus, † emptorem eò loci hoc ipſo, quòd Stichum fundo ab ſe empto accedere voluit, legem contractui dixiſſe (venditor enim fundum ſolum, quàm fundum cum Sticho dare maluiſſet) atque iccirco adverſus ipſum emptorem interpretationem fieri, cùm initio apertius dicere potuiſſet, utrum Stichum ſibi dari vellet.

In contractibus igitur regulare hoc eſt, ut interpretatio ambiguæ † orationis contra eum fiat, qui contractui legem dixit, ſeu orationem iſtam obſcuram protulit, ſive is emptor ſit, ſive venditor, locator ſive conductor, ſive alius quiſpiam contrahens. Sed in judiciis judex intentionem ambiguam ita interpretabitur, ut illa proſit ei, cujus intentio eſt, quod ipſum Jul. Pacius *in quæſt.7.cent.2.ll. conciliatarum* pluribus exponit.

L. 97.
Hermogenianus libro 3. juris Epitomarum.

§ *Ea ſola deportationis ſententia aufert, quæ ad fiſcum perveniunt.*

SUMMARIA.

1 *Deportatus quis in jure cenſeatur?*

2 *Princeps ſolus inſulam aſſignare poteſt ei, quem Præſes provinciæ deportandum eſſe pronunciavit.*

3 *Deportatus qualiter in inſulam à Principe aſſignatam transferebatur?*

4 *Relegati & civitatem & libertatem retinent.*

5 *Deportatus à relegato in quo differat?*

6 *Deportatus civitatis jura amittit.*

7 *Deportatus patria poteſtate excidit.*

8 *Deportatus teſtamentum condere non poteſt.*

9 *Deportatus ex teſtamento id ſaltem capere poteſt, quod neceſſariis ipſius uſibus inſervit.*

10 *Deportati bona fiſco cedunt, non tamen omnia, ſed ea, quæ deducto ære alieno ſuperſunt.*

11 *Fiſco præferuntur creditores ejus, cujus bona ſibi fiſcus arrogat.*

12 *Ære alieno deducto quod ſupereſt, id demum in bonis cujuſq; eſſe dicitur.*

13 *Fiſco an debeantur ea bona, quæ deportatus poſt deportationem acquiſivit?*

14 *L. ſi mandavero. 22. §. is cujus. ff. mandat. conciliatur cum l. 2. C. de bon. proſcript.*

15 Bo-

15 *Bona publicari poſſunt etiam ſine capitis diminutione.*

16 *Damnatis jure Novellarum bona non auferuntur, niſi ob læſam majeſtatem quis damnatus ſit.*

17 *Exules hodie relegatis æquipollent, nec civitatis jura amittunt.*

18 *Banniti hodie deportatis æquiparantur, ac proinde omnia bona amittunt.*

DEportatus † jure civili is dicitur, quem 1
Præſes provinciæ ſua ſententia in inſulam deportandum eſſe pronunciavit: cujuſmodi ſententia tamen, teſte Ulpiano *in l.1.§ deportatos. ſup. de legat.3.& in l.2.§.1. ſup. de pœn.* rata antè non
erat, quàm à Principe confirmata, certaq; † in- 2
ſula damnato aſſignata fuiſſet. Nam tum demum deportatus † ſervis publicis tradebatur 3
vinctus, ut navi impoſitus, veluti ex Terentio probat Menochius *lib. 1. de arbitr. judic. quæſtion. quæſt.80.n.126.* in inſulam aſſignatam transferretur: id quod his, qui in inſulam relegabantur, non fiebat. Etſi enim relegati in inſulam quoq; ex finibus regni aut regionis alicujus excedere jubebantur, deportatorum tamen numero non
erant, ſed tam † civitatem, quàm libertatem 4
retinebant. *§ relegati autem. Inſtit. quib. mod. jus patr. pot. ſolv.* Ut igitur ſciatur utrum deportatus quis ſit an relegatus, verba ſententiæ Præſidis, ut refert Cujacius *in paratit. ff torum. de interdict. & relegat.* attendenda ſunt, ita videlicet, ut hic † ſal- 5
tem

tem deportatus intelligatur, in quo ejiciendo Præſes deportandi verbo uſus ſit: relegatus verò ille, qui verbo relegandi finibus ſit ejectus.

6 Deportati † civitatem amittunt, eoq; modo caput eximitur ex civitate, cujus & perſona è numero civium Romanorum tollitur, *§. minor. Inſtit. de cap. dimin. & §. 1. Inſtit. quib. mod. jus pat. pot. ſolv.* Menochius *lib. 2. de arbitr. judic. quaſtion. caſ. 330. & caſ. 530. n. 3. & quinq; ſeqq.* Quam ob cauſam
7 † deportati patria poteſtate excidunt, nec teſta-
8 mentum † condere, neq; ex teſtamento quid
9 capere poſſunt, niſi quid victus † vel neceſſarii uſus ratione iis relictum ſit: Hujus enim ex conſtitutione Imp. Antonini capaces ſunt, veluti videre eſt *ex l. cum Ulpianus. 16. ſup. de interdict. & releg.* Itaq; bona, & generaliter quæcunq; juris
10 civilis ſunt, † deportati amittunt, fiſcumq; ſucceſſorem habent, ſed in iis duntaxat bonis, quæ, deducto ære alieno, ſuperſunt. Neque e-
11 nim fiſcus quid præjudicii † creditoribus adferre poteſt: præſertim cùm & id demum in
12 bonis cujuſque eſſe dicatur, quod deducto † ære alieno ſupereſt, *l. non poſſunt. 11. ſup. de iur. fiſc.*

Atque hæc quidem uſque adeò vera ſunt, ut
13 Imp. Alexander etiam ea bona, quæ poſt † deportationem à deportatis quæſita ſunt, fiſco inferri velit, ſicuti patet *ex l. 2. C. de bon. proſcript.*
14 cui non † obſtat *l. ſi mandavero. 22. §. is cujus. ſup. mandat.* ubi Paulus negat fiſcum ſequi id, quod publicatis bonis poſtea acquiſitum eſt: quo-

niam loquitur de eo, cujus bona † publicata 15
ſunt ſine capitis diminutione, quemadmodum reſpondet Cujacius *in l. ejus qui. 8. §. 1. ſup. qui teſtam. facer. poſſ.* eamque reſponſionem non parum juvat *l. ſi fundus. 33. ſup. locat.* Et hæc quidem de jure civili ita ſe habent. Nam jure † Novel- 16
larum damnatis, crimine læſæ majeſtatis excepto, bona non auferuntur, verùm deſcendentibus, vel his non extantibus, aſcendentibus, vel ex latere ad tertium uſque gradum conjunctis deferuntur, veluti docet *cap. ult. Novell. 134.* Ex qua deſumpta eſt *auth. bona. C. de bon. proſcript.*

Quibus & hoc addere libet, noſtris, omniumque ferè Chriſtianorum moribus hodie omnes, qui in exilium ejiciuntur, in † numero 17
relegatorum eſſe, non deportatorum, ideoque jura civitatis retinere, ut & de iis, quæ habent, teſtamenta facere, & ex teſtamentis aliorum quidvis capere poſſint. Quod tamen de iis accipi non debet, qui ob delictum aliquod per ſententiam in † bannum (ut loquuntur) im- 18
periale declarati ſunt: hi enim exemplo deportatorum omnia bona amittunt, ac civiliter mortui ſunt, quemadmodum id And. Geil. *in obſ. 16. n. 10. lib. 2. practic. obſervat.* teſtatum facit.

L. 98.

Hermogenianus lib. 4. juris epitomarum.

¶ *Quoties utriusq; cauſa lucri ratio vertitur, is præferendus eſt, cujus in lucrum cauſa tempore præcedit.*

Hujus l. ſenſum genuinum enodavi ſub *l. in eo quod. 33. n. 5. ſup. h. t.*

L. 99.

Venulejus lib. 12. ſtipulationum.

¶ *Non poteſt improbus videri, qui ignorat quantum ſolvere debeat.*

Interpretatio hujus regulæ petenda eſt ex iis, quæ notavi *ad l. qui ſine. 63. n. 15. & ſeq. ſup. h. t.*

L. 100.

Gajus lib. 1. Regularum.

¶ *Omnia quæ jure contrahuntur, contrario jure pereunt.*

Hæc l. expoſita eſt ſub *l. nihil tã naturale 35. n. 1. ſup. h. t.*

L. 101.

Paulus libro ſingulari de cognitionibus.

¶ *Ubi lex duorum menſium fecit mentionem, & qui ſexageſimo & primo die venerit, audiendus eſt: ita enim & Imperator Antoninus cum Divo fratre ſuo reſcripſit.*

Sum-

SUMMARIA.

1 *Menſes quibus hodie utimur, quot diebus ſinguli conſtent?*

2 *Dies menſi Februario tributi menſem in jure non conſtituunt.*

3 *Menſis in jure aliquando diebus triginta & uno definitur.*

4 *Menſtruo ſpacio nonnunquam dies triginta includuntur.*

5 *Inventario incboando menſis, & deinde incboato perficiendo duo menſes præfixi ſunt.*

6 *Menſes duo cui præfiniti ſunt, is officio ſuo ſatisfecit. ſi die ſexageſimo primo fecerit id, quod intra duos menſes facere debuit.*

7 *L. AEdiles ajunt. 38. in princ. ff. de ædilit. edict. conciliatur cum l. ubi lex. 101. ff. h. t.*

8 *Emptori actione redhibitoria nomine rei morboſæ vel vitioſæ ſibi venditæ agere adverſus venditorem volenti ſaxaginta dies ſaltem præſcripti ſunt.*

9 *Menſes in materia appellationum duntaxat ex mente Cujacii diebus 31. definiuntur.*

10 *Menſis Julius cum Auguſto conjunctus dies 62. conficit.*

11 *Dies ſexaginta duo nuſquam in jure duobus menſibus adſcripti ſunt.*

12 *Menſi quot dies aſſignandi in jure ſint, id verò judicis arbitrio relictum eſt.*

13 *Antoninus nec Pius, neque ille, qui Philoſophus cognominatus eſt, cum patre ad imperii gubernacula ſedit.*

14 *Antoninus Philoſophus cum fratre AElio Commodo Vero imperii adminiſtrationem communem habuit.*

1 DIes ſingulorum † menſium, quibus hodie in Europa potiſſimùm utimur, pares non ſunt, verùm menſium alii dies habent triginta, veluti Aprilis, Junius, September, ac November: alii diebus triginta & uno conſtant, quales ſunt Januarius, Martius, Majus, Julius, Auguſtus, October, & December: ſoli Februario dies viginti octo aſſignati ſunt. Hinc quæritur, ſi menſis in jure fiat mentio, utrum de diebus viginti octo, an de triginta, an verò de triginta & uno accipi ille debeat? Cujuſmodi quæſtio tam ab antiquis, quàm recentioribus juris interpretibus propter legum diverſitatem diverſo etiam modo diſcuſſa eſt. In hoc quidem omnes
2 conveniunt, dies † iſtos, qui Februario tributi ſunt, ad conſtituendum menſem in jure nuſquam ſufficere, proindeq; Februarium utpote in iſto menſium numero ſingularem hoc caſu attendendum non eſſe ſtatuunt. Sed utrum diebus triginta, an verò triginta & uno menſis definiri debeat, de hoc duntaxat juris interpretes propter diverſitatem legum, ut modò dixi, maximopere diſceptant.

Nam Impp. Theodoſius & Valentinianus *in*
3 *l.2. C. de temporib. appellat.* menſem † diebus triginta & uno definiunt: quibus adſtipulatur

quoq;

quoq; Juſtinianus *in l.ult.§.1. C.eodem.* ubi trium mēſium ſpacio dies nonaginta & tres attribuit. Verùm idem Juſtinianus *in cap.2. Novellæ 115.* ex qua deſumpta eſt *Auth. jubemus. C.de judic.* menſtruo † ſpacio dies triginta ſaltem includit, 4
quod ipſum etiam facit *in l.ult.§.ſin autem dubius, & §. donec tamen. C.de jur. delib.* ubi inventario † inchoando menſem, & deinde inchoato per- 5
ficiendo duos menſes præſcribit, ſingulosque menſes diebus triginta cōcludit. At verò JCtus Paulus hoc loco mediam viam ingredi videtur, dum ſpacio duorum menſium, quorum lex mentionem fecit, dies ſexaginta & unum aſſignat, alteri quidem menſium iſtorum dies triginta, alteri verò triginta unum tribuens. Itaque is, cui duo † menſes ad faciendum quip- 6
piam præfixi ſunt, ſi die ſexageſimo primo id fecerit, ex hac Pauli regula, perinde officio ſuo ſatisfeciſſe intelligitur, ac ſi in ipſo præfiniti temporis articulo illud feciſſet. Cui haud parum refragatur Ulpianus in principio *l. AEdiles ajunt.38.ſup.de ædil. edict.* † ubi duobus iſtis men- 7
ſibus, quos Gajus *in l.ſi venditor.28.eod.tit.* ex ædilium edicto præfinit emptori, qui actione redhibitoria † nomine rei morboſæ aut vitioſæ ſi- 8
bi venditæ adverſus venditorem experiri vollet, non plures quàm ſexaginta dies adſcribit. Dubium hoc varie interpretes diſſolvunt. Alciatus *in l. cum biſſextum. 98.n.11.ſup.de verb.ſignif.* præſenti huic regulæ locum eſſe ait, ſi de mate-

ria favorabili agatur: quod ipſum quoque Decius *hîc n.3.* ſentit. Cujacius videns dubium hoc ita ſolvi non poſſe, hæc regulæ hujus verba, *Et primo*, expungit, & ſaltem *ſexageſimo die* legendum eſſe opinatur, quòd in libris Baſilikῶν verba iſta non reperiantur, atq; in materia appel-
9 lationum † duntaxat menſes latius accipiantur, de diebus nimirum triginta & uno. Aliud ſtatuit Menochius in *caſ.50.n.22.libr. 2.de arbitr. jud. quæſt.* exiſtimans JCtum Paulum hoc loco rationẽ habuiſſe ordinis menſium à C.Julio Cæſare inſtituti, ex cujus iuſtitutione ſi à Martio vel quovis alio menſe, excepto Februario, initium ſumatur, ſemper duos menſes ſexaginta & unum diem conſtituere oporteat. Sed nec hoc uſquequaq; verum eſt: quod ſi enim à Julio
10 initium factum fuerit, Julius † cum Auguſto conjunctus dies ſexaginta duos conficiet, totidemq; dies December Januario ſequentis an-
11 ni junctus conſtituet: cujuſmodi tempus † nuſquam in jure noſtro duobus menſibus adſcriptum eſt. Quocirca cùm hæc Menochii conciliatio non ſubſiſtat, nec Cujacii ſententia ob correctionis odium admittenda ſit, ipſaque Alciati ſolutio juri non conveniat, alio modo dubium illud diſſolvendum erit: commodius autem illud diſſolvi vix poterit, quàm ſi dicamus in dubio, quando videlicet numerus dierum iſtius menſis, cujus ſimpliciter & abſolutè in jure facta eſt mentio, neque ex verbis, neque ex
mente

mente legis colligi poteſt, arbitrio † judicis re- 12
lictum eſſe, ut ex perſonarum, temporum, locorum, aliarúmve circumſtantiarum ratione definiat, triginta ne tantùm, an verò dies triginta & unus menſi iſti adſignandi ſint, *argumento l. 1. §. ult. ſup. de jur. deliber.* quam ſententiam Gomeſius etiam *in §. rurſus, n. 35. Inſtit. de action.* probatam fuiſſe Menochius ipſe *in allegato caſ. 50. n. 1.* refert.

Illud denique omittendum hic non eſt, nulla extare reſcripta † ab Imp. Antonino ipſiusq; 13
patre divulgata: ſive enim intelligatur Antoninus Pius, ſive Antoninus Philoſophus, neuter cum ſuo patre ad imperii gubernacula ſedit: verùm ille circiter annum Chriſti 144. ſolus imperavit: hic verò viginti annis pòſt, plus minus, cum † fratre ſuo Ælio Commodo Vero impe- 14
rii adminiſtrationem aliquandiu communem habuit: quam ob cauſam pro voce *Patre*, quam codices nonnulli habent, legere malim *Fratre*: præſertim cùm hi ipſi Impp. paſſim in jure Divi fratres appellentur.

L. 102.

Ulpianus libro 1. ad Edictum.

§ *Qui vetante Prætore fecit: hic adverſus edictum feciſſe propriè dicitur.*

SUMMARIA.

1 *Edictum Prætoris non is ſaltem violaſſe dicitur, qui*

in edictum perpetuum peccavit, ſed ille quoq;, qui fecit id, quod fieri Prætor ſimpliciter vetuit.

2 *Parentes ſine venia in jus vocans aureis quinquaginta mulctatur.*

3 *Album magiſtratus corrumpens quinquaginta aureis mulctatur.*

4 *L. qui vetante 102. ff. h. t. etiam ad interdicta pertinet.*

5 *Interdictorum cauſæ ſic comparatæ ſunt, ut etiam is, qui in iis fecit, quod Prætor fieri vetuit, perinde adverſus edictum Prætoris feciſſe dicatur, ac ſi adverſus ipſa Prætorii edicti verba feciſſet.*

JOh. Ferrarius, ut & pleriq; alii juris interpretes regulam hanc nihil aliud ſibi velle exiſti-
1 mant, quàm quòd is † quoque adverſus Prætoris edictum feciſſe dicatur, qui fecit id, quod fieri Prætor ſimpliciter vetuit: Proindeque non eũ ſolùm, qui in edictum perpetuum peccavit, pœnam mereri ſtatuunt, ſed illum etiam, qui contra ſimplicem Prætoris prohibitionem peccavit: quòd ab utroq; majeſtas Prætoris contempta ſit. Cujus exemplum ferè omnes ponunt in eo, qui adverſus Prætoris pro-
2 hibitionem parentem patronúmve † ſine venia in jus vocavit: hic enim æquè quinquaginta au-
3 reis mulctatur, ac ſi edictum Prætoris in † albo publicè propoſitum dolo malo corrupiſſet, *per l. ſi libertus. 12. ſup. de in jus vocan. & l. ſi quis id. 7. in*
4 *princ. ſup. de juriſdict.* Cæterùm Cujacius † ad interdi-

terdicta quoque hanc regulam accommodat,
eamque ſic accipit, quòd hic, qui fecit in cauſa
interdicti, quod † Prætor fieri vetuit, perinde 5
adverſus edictum feciſſe cenſeatur, ac ſi adver-
ſus ipſa edicti Prætorii verba feciſſet, argumen-
to *l. ſi opus. 16. & l. ædibus. 18. in princ. ſup. de oper. nov.
nunciat.*

Ad §. 1.

¶ *Ejus eſt actionem denegare, qui poſſit & dare.*

SUMMARIA.

1 *Actionem denegare poteſt is, qui ejus dandæ poteſtatem habet.*

2 *Juſtitia denegata argui non poteſt, niſi judex, de quo querela hujus nomine movatur, competens fuerit.*

3 *Juſtitiam is demum denegare dicitur, cui adminiſtrandæ illius poteſtas eſt.*

QUi jus dandi † actionem habet, is demum 1
denegare actionem poteſt: cùm utrumque
jus & dandi & denegandi actionem ex eodem
juriſdictionis capite proficiſcatur: atque iccir-
co etiam ei, cui unum negatur, alterum conce-
di nequeat.

Ex quo fundamento & hoc decidi poteſt,
neminem de † juſtitia ſibi denegata apud judi- 2
cem ſuperiorem conqueri poſſe, niſi judex in-
ferior, de quo queritur, competens fuerit. Nam

3 qui adminiſtrare † juſtitiam non poteſt, is nec denegaſſe illam dici poteſt: quibus ipſis quoq; plurimum lucis afferent ea, quæ de intellectu *l.nemo qui.37.ſup.h.t.*notata ſunt.

L. 103.

Paulus libro 1.ad Edictum.

¶ *Nemo de domo ſua extrahi debet.*

SUMMARIA.

1 *Adverſarius olim inſcio magiſtratu ejúsve miniſtro in jus vocari poterat.*

2 *Invitus in jus trahi poterat is, qui vocantem non ſequebatur, neque cautionem judicio ſiſti præſtabat.*

3 *Tractum in jus vi eximere nemo poterat.*

4 *Domo ſua nemo invitus extrahi debet.*

5 *Domus cuiq; tutiſſimum refugium atque receptaculum eſt.*

6 *Injuriarum conveniri poteſt is, qui latitantem domi in jus trahit.*

7 *Poſſeſſio bonorum ejus, qui latitat, adverſario decernitur.*

8 *Domui quod indultum eſt privilegium etiam ad domum conductam extenditur.*

ROmanis olim in uſu fuit, ut, qui adverſa-
1 rium † ſuum in jus vocare vellet, id magiſtratu ejúsve viatore etiam inſcio facere poſſet.
2 Et quidem ſi vocatus è veſtigio † vocantem tum non

non ſequeretur, neque cautionem ſe judicio ſiſti præſtaret, invitus obtorto, quod ajunt, collo in jus, hoc eſt, ad tribunal Prætoris, teſtatò tamen, ut docet Cujacius in principio *cap. 16. lib. 7. obſervat. & in cap. 10. lib. 10. obſervat.* trahi poterat: nec cuiquam ita † raptum vi eximere, aut quò 3
minus in jus perduceretur, impedire impunè licebat. *l. 1. & tot. tit. ſup. ne quis eum qui in jus voc. vi exim.* Quod tamen ſic accipiendum non eſt, quaſi liberum fuerit quempiam è quovis loco ita in jus trahere, verùm qui † domi ſuæ, quò 4
minus in jus vocari poſſet, ſeſe continebat, is extrahi inde invitus non poterat, veluti Paulus præſente hac regula ſatis innuit. Cujus rationem Gajus *in l. pleriq; 18. ſup. de in jus vocan.* hanc reddit, quòd domus † cuique tutiſſimum refu- 5
gium atque receptaculum ſit, atque iccirco is, qui latitantem inde in jus vocaverit, vim ei inferre videatur: quemadmodum & hoc nomine † injuriarum conveniri poteſt, *per l. qui in do-* 6
mum. 23. ſup. de injur. Neque tamen is, qui hoc modo latitat, contumaciam ſuam aufert inultam, ſed ſatis pœnæ luit hoc ipſo, quòd adverſarius in † poſſeſſionem bonorum ipſius mit- 7
titur, *per l. ſatiſq; 19. ſup. de in jus voc.* Domus hìc intelligi debet non propria ſolùm, ſed aliena † quoque, ea tamen, quam quis conductionis 8
lege habet, vel etiam gratis incolit: ſicut interpretatur Ulpianus *in l. lex Cornelia. 5. §. domum. ſup. de injur.* cui Papinianus quoque *in l. qui do-*

mum.8.§.1.& in l. nec in ea.22.§. jus occidendi. ſup. ad l. Jul. de adulter. adſtipulatur.

L. 104.

Ulpianus libro 2. ad Edictum.

¶ *Si in duabus actionibus alibi ſumma major, alibi infamia eſt: præponenda eſt cauſa exiſtimationis. Ubi autem æquiparantur famoſa judicia, etſi ſummam imparem habent, pro paribus tamen accipienda ſunt.*

Summaria.

1 *Cognitioni majori præjudicium per cauſam minorem fieri non debet.*

2 *Cognitio major dicitur illa, quæ infamiam irrogat.*

3 *Cauſa minor dicitur ea, quæ civilis eſt, ac ſummam pecuniariam reſpicit.*

4 *Cauſa criminalis præfertur civili cauſæ, quamvis maximam ſummam hæc contineat.*

5 *Judicio publico præjudicium non fit per judicium privatum.*

6 *Fama omnibus divitiis præſtat.*

7 *Infamiæ metus bono viro major eſt, quàm metus mortis.*

8 *Fur & furti actione, & condictione furtiva conveniri poteſt.*

9 *Actio furti & condictio furtiva ſimul intentari non poſſunt.*

10 *Condictio furtiva minor eſt actione furti.*

11 Con-

11 *Condictio furtiva infamiam non irrogat.*

12 *Actio furti antè decidenda eſt, quàm condictio furtiva intentetur.*

13 *Judicia duo famoſa ſi concurrant, neutrum alteri præfertur.*

14 *Actio vi bonorum raptorum æquè ac furti actio famoſa eſt.*

15 *L. quoniam Alexandrum. 26. C. ad l. Jul. de adulter. conciliatur cum l. ſi in duabus. 104. ff. h. t.*

16 *Status quæſtio civilis eſt.*

17 *Status quæſtio cur ante cauſam criminalem decidi debeat?*

18 *Cauſa criminalis decidi rectè non poteſt, niſi quæſtio ſtatus incidens prius deciſa fuerit.*

19 *Adulterium non niſi ab idoneo accuſatore vindicari poteſt.*

20 *Crimen diſceptari n̄on poteſt, niſi ſit, qui crimen objicere poſſit.*

21 *Quæſtiones in judicium deductæ inutili temporis diſpendio tractari non debent.*

COgnitioni † majori, inquit Paulus *in l. per minorem 54. ſup. de judic.* per cauſam minorem præjudicium fieri non oportet, quòd major quæſtio minorem cauſam̄ ad ſe trahit. Ma- 1
jor autē † cognitio ſive cauſa, ſeu, ut Paulus hîc explicat, quæſtio ab Imp. Conſtantino *in l. ult. C. de ordin. judic.* illa dicitur, quæ de crimine inſtituitur, &, ut Ulpianus hoc loco refert, infamiam irrogat: Quemadmodum & contrà cauſa 2

3 minor † hic nuncupatur illa, quæ civilis eſt, ad
ſummam pecuniariam reſpicit.

Itaque cauſa criminalis, utpote major, præ-
4 ponetur † civili, tanquam minori, etiamſi ſum-
mam majorem hæc contineat: tum quòd ratio
juris non fert, ut per judicium privatum fiat
5 præjudicium † judicio publico: tum quòd fa-
6 ma † omnibus divitiis præſtat, bonoq; viro me-
7 tus infamiæ † major eſt quàm mortis. *l. iſti qui-*
dem. 8. §. pen. ſup. quod met. cauſ. geſt. er. Exempli gra-
8 tia, is, cui furtum factum eſt, & furti † actione,
& condictione furtiva adverſus furem experiri
poteſt, *l. ſi pro fure. 7. §. 1. ſup. de condict. furt.* Sed ſi u-
9 traque † ſimul experiri velit, hac exceptione re-
pelli poterit, quòd actioni furti utpote majori
præjudicium fieri non debeat per condictio-
10 nem † furtivam, quippe quæ minor eſt, cùm
ad ipſius rei ſurreptæ perſecutionem duntaxat
11 tendat, nec infamiam † irroget, *per l. ceſſat. 36. ſup.*
12 *de oblig. & action.* Itaque priuſquàm † de condi-
ctione furtiva diſceptetur, actio furti pœnalis
intentanda & decidenda erit.

13 Cæterùm ſi concurrant duo judicia † famo-
ſa, pro paribus illa accipienda ſunt, nec unum
alteri præferetur, quamvis ſummam diſparem
habeant: id quod illuſtrari aliquo modo poteſt
exemplo actionis furti nec manifeſti, & actio-
14 nis † vi bonorum raptorum: utraque enim fa-
moſa eſt, *l. non poterit. 63. ſup. de furt. & §. pen. Inſtit.*
de pœn. temer. litig. ac quamvis illa in duplum de-
tur,

tur, *§. in duplum. Inſtit. de action.* hæc verò intra annum in quadruplum intentari poſſit, *l. 2. §. in hac actione. ſup. de vi bon. rapt.* & ſic utraque ſummam diſparem habeat: pares tamen hę actiones ſunt: atque ideo ſi furti nec manifeſti prius cum raptore actum ſit, actio vi bonorum raptorum adverſus eundem inſtitui poteſt, ad conſequendum id, quod in hac actione eſt amplius, veluti eruditè hoc Cujacius demõſtrat *in c. 24. lib. 8. obſ.*

Verùm cum hac regula pugnare † videtur 15
l. quoniam Alexandrum. 16. C. ad l. Jul. de adult. ubi
Impp. Diocletianus & Maximianus quæſtio-
nem ſtatus Alexandro motam, licet, † civilis il- 16
la ſit, nihilominus tamen prius decidi volunt,
quàm de crimine & adulterii, cujus Alexander
accuſatus fuerat, & lenocinii, quod accuſatori
Alexander regeſſerat, cognitum fuerit. Reſp. l.
oppoſitã † eſſe exceptionem hujus regulæ: co- 17
gnitio quippe cauſæ criminalis regulariter cau-
ſæ civilis cognitionem antecedere debet, niſi
quæſtio ſtatus ſive præjudicialis † inciderit, 18
quam decidi prius oportet, ut tantò rectius de
crimine cognoſci poſſit. Quorſum enim per-
tineret diu de Alexandri adulterio diſceptare,
cùm de idoneo † accuſatore necdum conſtet? 19
Et quid prodeſſet exceptionem lenocinii accu-
ſatori oppoſitam latius audire, cùm nondum
expeditum ſit, † an perſona ſit talis, quæ crimen 20
objicere poſſit. Primùm ergo quæſtio præjudi-
cialis definienda eſt, ne omnes ſimul quæſtio-

nes

21 nes in judicium † deductæ inutili temporis diſpendio tractentur, veluti eleganter hoc declarat Oldendorpius in principio *act.9. claſſ.3.* ſunt & quidam alii caſus ab hac regula exẽpti, quos notant interpretes *ad l.unic.C.quand.civil.act.crimi. præjud.* cujus l. interpretationi plurimum inſerviunt ea, quæ Cujacius *in cap. 25. & ſeq. lib. 20.obſer.* tradit.

L. 105.

Paulus libro 1. ad Edictum.

¶ *Ubicunque cauſæ cognitio eſt, ibi prætor deſideratur.*

Summaria.

1 *Judex pedaneus hodie expedire poteſt ea omnia, quæ Prætor Romanus olim expedivit.*

2 *Pedaneus judex quis dicatur?*

3 *Judices pedanei cur ſic appellati ſint?*

4 *Magiſtratus ſolus olim pro tribunali ſedit.*

HUjus l. interpretationem conjunxi cum explicatione *l.omnia quæcunque. 71.ſup.h.t.* cui in præſenti hoc addendum puto, quòd hodie

1 quoque judices † pedanei dati ab his, qui propriam juriſdictionem habent, expedire poſſint ea omnia, quæ olim Prætor Romanus expedivit: id quod exemplo reſtitutionis in integrum confirmat Imp. Juſtinianus *in l. ult. C.ub. & apud*

quem

quem cognit. in integ. reſt. act. ſit. Sunt autem Pedanei † judices, qui ex delegatione magiſtratus de 2 cauſis maximè levioribus cognoſcunt, *l. ult. C. de pedan. judic.* ſic † dicti, quòd ad pedes tribunalis 3 aſſidebant. Etenim magiſtratus olim, cùm judicaret, in † tribunali edito ac ſuperiore loco con- 4 ſidebat: cui judices pedanei, qui videlicet ipſi in conſilio erant, in inferioribus ſubſelliis aſſidebant.

106

Paulus libro 2. ad Edictum.

¶ *Libertas inæſtimabilis res eſt.*

SUMMARIA.

1 *Libertatis æſtimatio infinita eſt.*

2 *Neceßitudo in jure maximi æſtimatur.*

3 *Libertatis proprium hoc eſt, ut facere poßit, quod libet.*

4 *Homine libero vulnerato cicatricum ac deformitatis inde contracta æſtimatio non ſit.*

5 *Homine libero vulnerato quid æſtimari debeat?*

5 *Corporum liberorum nulla æſtimatio fieri poteſt.*

7 *Procurator qualem cautionem præſtare teneatur eo caſu, quando in ſervitutem petit eum, qui in libertate eſt.*

CUm regula hac congruit illa, quæ ab eodem Paulo *in l. non eſt ſingulis. 176. §. 1. inf. h. t.*

his

1 his verbis traditur: *Infinita † eſt æſtimatio libertatis*
2 *& † neceſſitudinis.* Etenim libertati hoc indultum
3 eſt, ut facere † poſſit, quod libet, *per l.4.ſup.de ſtat.*
hom. cujuſmodi beneficiũ nullo precio ęſtimari
4 poteſt. Quam ob cauſam vulnerato † homine
libero, cicatricum aut deformitatis æſtimatio
5 non fit, ſed ratio ſaltem habetur † mercedis Me-
dicis datæ, cæterarumq; impenſarum in curati-
onem factarum, nec non operarum, quibus il-
le caruit, aut cariturus eſt, veluti refert Gajus *in*
l.3.ſup.ſi quadr.paup.feciſſ.dic. cui conſentit etiam
Paulus *in l.2.§.cum in eadem.ſup.de l.Rhod.de jact.* u-
6 bi corporum liberorum † nullam æſtimatio-
nem fieri poſſe ſcribit.

Atque ex eodem hoc fundamento Venu-
lejus *in l.procurator.8.§ ult.ſup.rat.rem haber.* in cau-
7 tione † præſtanda à Procuratore, qui alterius
nomine in ſervitutem petit illum, qui in liber-
tate eſt, certam pecunię ſummam exprimi vult,
quam procurator ſolvat, ſi dominus, cujus no-
mine controverſiam movit, vel ipſius heredes
controverſiam iſtam ratam non habeant.

L. 107.
Gajus libro 1. ad Edictum provinciale.

¶ *Cum ſervo nulla actio eſt.*

Hujus regulæ rationem reddit Ulpianus in principio l. *in perſonam 22.ſup.h.t.* quò loci etiam illa pleniori interpretatione explicata eſt.

L. 108.

L. 108.

Paulus libro 4. ad Edictum.

¶ *Ferè in omnibus pœnalibus judiciis & ætati & imprudentiæ ſuccurritur.*

SUMMARIA.

1 *Imprudentiæ in judiciis pœnalibus ſuccurritur.*
2 *Delictum per imprudentiam commiſſum mitius punitur.*
3 *Medicamentum ad conceptionem datum pœnam l. Corneliæ de ſicariis non arceſſit, etiamſi mulier, cui illud datum eſt, inde perierit.*
4 *L. 2. C. de in jus vocand. conciliatur cum l. ferè in omnibus. 108. ff. h. t.*
5 *Ruſticitati non ſemper parcendum eſt.*
6 *Patronos, horumq́ liberos honorandos eſſe quivis ſcire intelligitur.*
7 *Imperitia conductorem non excuſat.*
8 *Imperitia culpæ annumeratur.*
9 *Artificium, cujus eſt imperitus, nemo ſibi arrogare debet.*
10 *Medicus, qui per imperitiam ritè hominem non curavit, actione l. Aquiliæ tenetur.*
11 *Judex per imprudentiam malè judicans in quantum parti læſæ ex quaſi delicto teneatur.*
12 *AEtati quando ſuccurratur.*
13 *Infantes, quiq́ infantiæ ſunt proximi, à quavis pœna excuſantur.*
14 *Infantes quod agunt, revera non intelligunt.*

Kk 15 *Im-*

15 Impuberes doli capaces ſi delictura aliquod commiſerint, mitius pro arbitrio judicis puniuntur.

16 Pubertati proximi & furandi & injuriæ faciendæ capaces ſunt.

17 Pueri in furto deprehenſi qualiter olim ex l. 12. tabul. puniti ſint.

18 Minores 25. annis ſi puberes fuerint, mitius puniendi ſunt tum, quando delictum, quod admiſerunt, grave non eſt.

19 Puberes ſi atrox quodpiam delictum patrârint, an ordinaria iſtius delicti pœna plecti poſſint?

20 Leges fruſtra implorat, qui contra illas deliquit.

21 Minoribus in delictis non ſubvenitur.

22 Minor 25. annis l. Julia de adulteriis tenetur, ſi adulterium commiſerit.

23 Puberibus tantus dolus imputari non poteſt, quantus eſt in eo, qui 25. annis major eſt.

24 Ætatis miſeratio mediocrem pœnam inducit.

25 L. ſi ex cauſa. 9. §. nunc videndum. ff. de minoribus 25. annis, conciliatur cum l. auxilium. 37. §. in delictis. ff. eod. tit.

26 Intellectus l. auxilium. 37. §. in delictis. ff. de minor. 25. ann.

27 Minores 25. annis mitius puniendi ſunt tum, ſi graves circumſtantiæ hoc ſuaſerint.

28 Senibus quando mitior pœna irrogari debeat?

29 Infantiæ vel pubertati proximus quis dici debeat?

30 Impuberis ætas tripliciter conſideratur.

31 Infans in jure quinam dicatur?

32 Accurſii ſententia de infantiæ vel pubertati proximis.

33 Ma-

33 *Mares puberes cenſentur, quando annum ætatis decimum quartum compleverunt.*

34 *Fœmellæ viripotentes habentur anno duodecimo completo.*

35 *Media via in dubio eligenda eſt.*

36 *Innocentius quid de infantiæ vel pubertati proximis ſentiat?*

37 *Hoſtienſis quem infantiæ vel pubertati proximum dicat?*

38 *Cujacii ſententia de hac quæſtione, quando quis infantiæ vel pubertati proximus dici debeat?*

39 *Eguin. Baro quomodo proximum infantiæ & pubertati definiat?*

40 *Pubertati vel infantiæ proximus quando quis cenſeri debeat, in judicis arbitrio ſitum eſt.*

41 *Judicis arbitrio relinquendum eſt id quod nec in jure expreſsè definitum eſt, nec ex mente legis decidi poteſt.*

42 *Arbitrium judicis ex privato ipſius affectu pendere non debet.*

43 *Regio, in qua quis natus eſt, facit aliquando, ut quis eadem ætate plus vel minus intellectus habeat, quàm alius.*

44 *Intellectus l. & hoc Tiberius. 41. ff. de hered. inſtit.*

45 *Hominum conditio pro ratione patriæ aliarumq; circumſtantiarum variat.*

46 *Intellectus l. non tantum. 17. in princ. ff. de excuſat.*

47 *Tutelarum trium onus non ſemper excuſationem meretur.*

48 *Intellectus l. excipiuntur. 14. ff. ad SC. Sillan.*

49 *Intellectus l.3.in fine.ff.de liber.exhib.*
50 *Prætexta quínam apud Romanos uſi ſint?*

1 ET ætati,& † imprudentiæ,ait Paulus hìc,in omnibus ferè pœnalibus judiciis ſuccurritur. Imprudentiæ quidem ſuccurritur hoc i-
2 pſo, quòd delictum † per imprudentiam ſive inconſideratè commiſſum mitiùs punitur. Cujus exemplum eſt *in l. quamvis. 11. ſup. de in jus vocand.* Ex qua,ut inſcriptio arguit, hæc regula deſumpta eſt. Sic Marcianus *in l.3. §. adjectio. ſup. ad l. Cornel. de ſicar.* refert mulierem ex SCto rele-
3 gatam fuiſſe, quòd medicamentum † non quidem malo animo, ſed malo exemplo ad conceptionem dediſſet, ex quo illa, quæ acceperat, mortua eſſet, quemadmodum id latius declarabitur *in l.ſi quis prægnantem 187.inf.h.t.* Neque ob-
4 ſtat † huic *l.2.C. de in jus vocand.* ubi Imp. Gordi-
5 anus nec ruſticitati † ejus,qui patroni filium ſine venia in jus vocàrat, parcendum eſſe ſtatuit: quoniam particula *Ferè*,quam Paulus hìc annectit, ſatis oſtendit, regulam hanc univerſalem non eſſe, ſed fieri interdum, ut imprudentiæ non ſuccurratur: veluti in caſu oppoſitæ *l.2.* ruſticitas ſive imprudentia ideò veniam non meretur, quia nemo tam rudis eſſe cenſetur, ut
6 † patronos, horumq; liberos honorandos eſſe ignoret. Quò ſpectant etiam ea, quæ ſub finem *l.in totum.76.ſup.h.t.* notavi.

Eodemque refertur *l.ſi quis domum 9.§.pen. ſup.*

ſup.locat. ubi Ulpianus ex ſententia Celſi præ-
ſtari à † conductore vult etiam id, quod impe- 7
ritia peccavit: ſiquidem † imperitia culpæ an- 8
numeratur, ut habet *l.imperitia.132.inf.h.t.* Neq;
enim exiguam culpam committit, qui ſibi te-
merè † artificium aliquod arrogat, cujus tamen 9
imperitium ſe eſſe novit. Unde Medicus, ſi
† per imperitiam malè hominem curaverit, a- 10
ctione l. Aquiliæ tenetur, *l.idem juris 8.ſup.ad l. A-
quil.* ſic judex qui per imprudentiam † malè ju- 11
dicavit, ex quaſi delicto obligatus eſt, partique
læſæ in tantum tenetur, quantum religioni ju-
dicantis ęquum viſum fuerit, veluti docet Juſti-
nianus *in princ. Inſtit.de oblig.quæ ex quaſi delict.naſc.*

Cæterùm † ætati ſuccurritur quando pro- 12
pter ætatem pœna delicto ſtatuta remittitur,
vel ſaltem mitigatur. Remittitur † infantibus, 13
hisq; qui infantiæ ſunt proximi, dummodò do-
li capaces non ſint. Hi namq; à quavis pœna ex-
cuſantur, cùm † revera quod agunt, non intelli- 14
gant, nec multum à furioſis diſtent, ut loquitur
Juſtinianus *in §. furioſus. Inſtit. de inutil. ſtipul.* cui
conſentit Ulpianus *in l.ſed & ſi. 5. §.pen. ſup. ad l.
Aquil. & in l.3.§.1.ſup. de ſepul. viol.* Eodemque fa-
ciunt ea, quæ præter Menochium & alios *ad l.
in negociis. 5.ſup.h.t.* à me relatos de eadem hac
quæſtione ſcripſerunt Gomezius *in cap.1.n.57.
tom.3.variar reſolut.* & Jul. Clarus *lib.5.ſentent.§.
fin.quæſt.60.n.2.*

Mitigatur verò pœna ordinaria pro judicis

15 arbitrio, quando delictum commiſerunt † impuberes ſeptennio majores, atque etiam doli capaces, ſive infantiæ ſive pubertati proximi fuerint, veluti videre eſt *ex c.1. ubi gl. ad verb. grandiuſculis. ext. de delict. pueror.* quò pertinet etiam quod tradit Imp. Juſtinianus *in §. pen. Inſtit. de obl. quæ ex del. naſc.* cui adſtipulatur Ulpianus *in l. impuberem. 23. ſup. de furt.* itemque Marcianus *in l. excipiuntur. 14. ſup. de SCto Silan.* idque etiam confirmat Menochius *in caſ. 329. n. 5. & aliquot ſeqq. lib. 2. de arbitr. judic. quæſt.* quamvis de his, qui
16 † pubertati proximi ſunt, nullum dubium ſit, quin & furandi & injuriæ faciendę capaces ſint, teſte Gajo in principio *l. pupillum. 111. inf. h. t.* Un-
17 de & pueri † in furto manifeſto deprehenſi *ex l. 12. tabul.* quemadmodum teſtatur Gellius *lib. 11. cap. 18.* Prætoris arbitrio verberati, atq; ad noxæ, quam feciſſent, compenſationem damnati fuerunt. Quò referri quoque poſſunt ea, quæ Gomezius *in d. cap. 1. n. 62. &* Jul. Clarus *in d. quæſt. 60. n. 3. tradunt.*

Sed quid de minoribus, hoc eſt iis, qui puberes quidem ſunt, ſed annum ætatis 25. necdum exceſſerunt, ſtatui debeat, haud abs re quæritur? Sanè ſi delictum grave non ſit, mitius pro
18 arbitrio judicis † minores hujuſmodi puniendos eſſe ſtatuo, argumento *l. capitalium. 29. §. ſolent quidam. ſup. de pœn.* quem textum ad eundem hunc caſum accommodat Anton. Teſſaurus *in*
19 *fine deciſionis 229.* Quod ſi verò † homicidium, fur-

furtum, vel aliud quodpiam atrox delictum à minoribus patratum ſit, majus dubium exiſtit, utrum ordinaria iſtius ab ſe perpetrati delicti pœna, an verò mitius pro arbitrio judicis plecti tum iſti debeant? Joannes Ferrarius hoc loco pœna ordinaria illos afficiendos eſſe cenſet, eique Pet. Faber aſſentitur, quòd † fruſtrà leges 20
invocet, qui contra illas deliquit. Utriuſque & Fabri & Ferrarii (quamvis plures alii idem ſenſiſſe memorentur à Menochio *in d. caſ.329.n.11.*) ſententiam confirmat *l. ſi ex cauſa.9.§.nunc videndum. ſup. de minor.25.ann,* ubi Ulpianus diſertè dicit, in delictis † minoribus non ſubveniri. 21
Quam ob cauſam quoq; Papinianus in *l.ſi minor. 36.ſup.ad l.Jul.de adult.* minorem † 25.annis l.Julia 22
teneri ait, ſi adulterium commiſerit. Et ſecundum hanc ſententiam aliquoties à ſenatu Taurinenſi judicatum fuiſſe ſcribit Teſſaurus *in deciſ.161.n.3.* quod ipſum & hoc in loco non ſemel factum eſſe memini. Verùm VVeſenbecius in commentariis ſuis *ad l.Cornel.de ſicar,n.26.* etiam puberibus minoribus † pœnas mitigandas eſ- 23
ſe ſtatuit, quòd in iis dolus tantus non ſit, quantus in eo, qui 25.annis major eſt, ac proinde pœna ipſorum minor eſſe debeat. Ejusq; ſententiam probat Teſſaurus *in deciſ.161.n.4,* itemque Menochius *in d.caſ.329.n.11.* ubi pro confirmatione hujus ſententiæ adducit *l.auxilium.37.§. in delictis.ſup.de minor.25.ann.* quæ in atrocioribus quoque delictis ob miſerationem ætatis † pœ- 24

nam mediocrem minoribus vult irrogari, atq; iccirco, ne § hic textibus pro contraria ſenten-
25 tia adductis † repugnet, Menochius ibidem illos ita interpretatur, minori quidem in delictis non ſuccurri, ut ſcilicet reſtituatur omnino, ne
26 pœna aliqua plectatur, † cùm verè puniri debeat, ſed non pœna ordinaria: quò loci etiam hujus ſuæ ſententiæ adſtipulatores quinque ac triginta Doctores enumerat. Quibus tamen e-
27 go ita demum aſſentior, ſi ejuſmodi † circumſtantiæ ſubſint, quæ pœnæ mitigationem prorſus urgeant, idque JCtum Tryphoninum *in d. §. in delictis.* ſenſiſſe ſatis arguunt hæc ipſius verba, *Niſi quatenus interdum &c.* Ex quibus neceſſariò hoc inferendum eſt, non ſemper minoribus pœnas mitigandas eſſe, ſed interdum, ſi videlicet graves circumſtantiæ hoc ſuaſerint.

28 Quod de minoribus dixi, idem † de ſenibus ſtatuendum eſſe arbitror, ut ſcilicet minor pœna iis antè non irrogetur, quàm ſi & perſonæ & delicti qualitas hoc efflagitet: in quam ſententiam haud obſcurè inclinat Jul. Clarus *in d. quæſt. 60. n. 6.* licet Menochius *in d. caſ. 329. n. 21.* diverſum ſentiat, videlicet judicem per leges ad hoc obſtrictum eſſe, ut pœnam tam ob ſenilem quàm minorem ætatem minuat. Et ſanè ſi *l. 3. §. ignoſcitur. ſup. de SCto Silan.* aliæque ll. quæ pœnas ſenũ minui volunt, penitius introſpiciantur, apparebit illas loqui de levioribus duntaxat delictis, quę ob infirmitaté corporis potiſſimùm à ſenibus commiſſa ſunt.

Cæte-

Cæterùm ne quid intactum hoc loco relinquatur, pro pleniori intellectu & hoc in præſenti notare libet, quínam in jure † infantiæ vel pubertati proximus cenſeri debeat? præſertim cùm ex prædictis luculenter appareat, eum, qui proximus infantiæ eſt, ob delictum admiſſum puniri eo modo non poſſe, quo punitur is, qui pubertati eſt proximus. Ut autem propoſita quæſtio melius intelligatur, ſciendum eſt, jura † in impubere tres ætates conſiderare, quarum prima eſt infantis, altera proximi infantiæ, & tertia ejus, qui pubertati eſt proximus, ſicut videre eſt *ex §. ſed quod diximus. 10. Inſtit. de inutilib. ſtipulat.* 29 30

31 Infans dicitur, † qui ſeptem annos necdum implevit, veluti patet ex principio *l. ſi infanti. 18. C. de jur. deliber.* nam poſt ſeptimum demum ætatis annum infantia deſinit, teſte Ulpiano *in l. 1. §. ſufficit. ibi pro his autem, qui ſupta ſeptimum annum ætatis ſunt &c. ſup. de adminiſt. & pericul. tutor. & curat.*

Quis verò infantiæ vel pubertati ſit proximus, magnoperè ab interpretibus juris diſceptatum eſt.

32 Accurſius † in *d. §. ſed quod diximus. ad verb. infantia.* ſtatuit, marem proximum infantiæ dici ab anno ſeptimo uſque ad annum decimum & dimidium: fœmellam verò uſq; ad annum nonum & dimidium: ſed deinceps proximum pubertati appellandum eſſe marem † uſq; ad an- 33

num decimum quartum : fœmellam verò uſq;
34 ad † duodecimum annum. Quam ſententiam
præter Bartolum Jaſon quoq; *in l. properandum. 13. §. etſi quidem, n. 2. C. de judic.* defendit: eandemque probat Hotomannus, hac potiſſimùm ra-
35 tione motus, quòd in re dubia † media via eligenda ſit, argumento *l. & hoc Tiberius. 41. ſup. de hered. inſtit.* cui reſpondet etiam *§. ult. Inſtit. de vulgar. ſubſtit.*

36 Innocentius † *in c. continebatur 6. & c. atteſtationes 10. ext. de deſponſ. impub.* eum pubertati vult eſſe proximum, cui ad plenam pubertatem ſex menſes adhuc reſtant, motus *l. non tantum 17. in princ. ſup. de excuſ.* Quam ſententiam in criminalibus maximè ſequendam eſſe ait Baldus *in d. l. excipiuntur.*

37 Hoſtienſis in † *d. c. continebatur*. proximum pubertati eum eſſe affirmat, cui tres tantùm dies ad pubertatem ſuperſunt, motus textu *l. 3. in fin. ſup. de lib. exhib.*

38 Jacobus Cujacius † *in notis ad d. §. ſed quod diximus.* proximũ infantiæ appellat, qui egreſſus eſt infantiam, & proximum pubertati, qui propè pubertatem eſt, ita ut annale & ſemeſtre tempus reliquum ſit: quod probare etiam videtur Petrus Faber *in l. in negociis. 5. ſup. h. t.* quamvis, ut mea fert opinio, paulò dilucidius proximum infantiæ deſcribat, dum eum eſſe dicit, qui nuper infantiam egreſſus eſt.

39 Eguinarius Baro † exiſtimat, proximum infantiæ

ſantiæ eſſe eum, qui annos octo natus ſit, proximum verò pubertati, qui undecimum annum ſit ingreſſus.

Verumenimvero cùm fundamenta, quibus tam Accurſii quàm Innocentii atque Hoſtienſis opinio nititur valde, ut paulò pòſt demonſtrabitur, infirma ſint: Cujacius verò & Petr. Faber ſine lege loquantur, horumq; ſententia ſatis confutata ſit à Joh. Roberto *in cap.23.lib.3. animadverſ.jur.civil.* Et præterea Eguin. Baro nec ratione, nec ullo textu juris ſuam aſſertionem ſtabiliat, neque etiam revera ullus in toto jure textus extet, vel etiam certa juris ratio habeatur, unde proximis infantiæ vel pubertati certum tempus aſſignari ac definiri poſſit: ideo verior mihi videtur illorum ſententia, qui arbitrio judicis relinquendum eſſe ajunt, qua ætate ante pubertatem † quis vel infantiæ vel puber- 40
tati proximus dicendus ſit. Siquidem pro regula traditur, quòd ex † arbitrio judicis pendere 41
debeat id, quod expreſsè definitum non eſt, nec per certam juris rationem ex mente legis decidi poteſt, per *l.1.in fine.ſup.de jur.delib. & c. ult.ext. de tranſact.* Arbitrium autem illud ejuſmodi eſſe debet, ut non ex privato † judicis affectu de- 42
pendeat, ſed quoad ejus fieri poteſt, quàm proximè accedat ad normam legum, quæ ſuadent, ut judex hoc caſu rationem habeat non tantùm annorum, ſed etiam conditionis, regionisque,
† in qua impubes natus eſt, aliarumque quali- 43
tatum

ratum ac circumſtantiarum, ob quas ex certiſſimo Aſtrologorum judicio, fieri poteſt, ut unus eadem ætate plus vel minus intellectus habeat, quàm alius. Quò haud obſcurè quoq; reſpexiſſe videtur Papinianus in principio *l.1. ſup. de uſur.* Atque hanc ſententiam præter alios tutatus eſt Jacob. Menochius *lib. 2. de arbitrar. judic. quæſtion. caſ. 57. n. 44.* ubi ſcribit eandem ſententiam probatam fuiſſe Ant. de Butrio *in d. c. atteſtationes.* Didaco Covarruv. *in part. 2. de matrimon. cap. 5. n. 7.* Joh. Coraſio *lib. 6. miſcell. cap. 23.* & Viglio in *§. teſtes. n. 11. Inſtit. de teſtam. ordin.* eamq; haud obſcurè probat Mynſingerus *in §. pen. n. 3. Inſtit. de obligat. quæ ex delict. naſc.*

Neque adverſantur huic ſententiæ rationes, quibus alii Dd. moti diverſum ſtatuerunt. Nam
44 quod ad † rationem *ex d. l. & hoc Tiberius.* deſumptam attinet, parum illa vel nihil potiùs ad rem facit, cùm non æqualis ac una ſemper ſit homi-
45 num † conditio, ſed pro ratione regionis, aliasq́ue circumſtantias, ut modò dictum, variet. Ideoq́; nec uno ſemper modo ea res determi-
46 nari poteſt. Sic & † *d. l. non tantũ.* ſtrictè accipienda eſt de eo ſolùm caſu, quando agitur de excu-
47 ſatione, an videlicet illa ob onus † trium tutelarum ſemper admitti poſſit, & negatur, ſi priorum pupillorum ætas ſit prope pubertatem, ita, ut ſolummodò ſemeſtre tempus reliquum ſit: de hoc ſaltem caſu exaudienda eſt l. propoſita, neque extendenda generaliter ad alios caſus,

ſus, in quibus eadem ratio nihil momenti ha-
bet. Neque † etiam *d. l. excipiuntur.* quicquam 48
huic ſententiæ refragatur, quoniam Marcianus
in illa aliud nihil tradit, quàm quòd proximus
pubertati non multum diſtet à pubere, & ſic
certum definitumque tempus ſemeſtre vel ali-
ud non exprimit. Multò minus † obſtat *d. l. 3.* 49
quoniam Ulpianus eò loci proximum præte-
xtæ appellat, qui puberem ætatem nunc ingreſ-
ſus eſt, & ſic hujus vel illius temporis non me-
minit, nedum, quod abſurdum eſſet, tradit pro-
ximum pubertati eum eſſe, qui puberem æta-
tem jam ingreſſus eſt: ſed diſertè loquitur de
proximo † prætextæ, quæ nimirum apud Ro- 50
manos ſumi ſolebat ab iis, qui pubertatem in-
greſſi erant. Ex quibus omnibus ſatis liquere
arbitror, quòd in arbitrio judicis ſitum ſit, quã-
do impubes infantiæ vel pubertati proximus
cenſeri debeat.

L. 109.

Paulus libro 5. ad edictum.

¶ *Nullum crimen patitur is, qui non prohibet, cùm prohibere non poteſt.*

Sēſum hujus regulæ expoſui *ſub l. culpa caret. 50. ſup. h. t.*

L. 110.

Paulus libro 6. ad Edictum.

In

¶ In eo quod plus ſit, ſemper ineſt & minus.

SUMMARIA.

1 *Minus ſemper ineſt in eo; quod plus eſt.*

2 *Mandans tenetur de eo, ex quo conditio ejus melior facta eſt.*

3 *Stipulanti viginti ſi decem promittantur, decem duntaxat debentur.*

4 *L. 1. §. ſi ſtipulanti. ff. de verb. oblig. conciliatur cum §. præterea. Inſtitut. de inutil. ſtipul.*

5 *Reſponſio, quæ interrogationi ineſt, quid operetur.*

6 *Stipulatio ritè contracta cenſetur; ſi ſtipulator ac promiſſor in ſumma conveniant.*

7 *Pars continetur in toto.*

8 *Totum cui per ſententiam ademptum eſt, is partem poſtea petere non poteſt.*

SUb hac l. quæ Paulo adſcribitur, quinq; proponuntur regulæ, quarum prima ita ſeſe ha-
1 bet: *Minus † ſemper ineſt in eo, quod plus eſt.* Cujus exemplum ſumi poteſt *ex §. is qui exequitur. Inſtit. de mandat.* ubi is, qui fundum aureis centum ſi-
2 bi emi mandavit, mandati † actione conveniri poteſt, etiam eo caſu, ſi minoris fundus iſte emptus ſit: quòd ſumma minor in majore contineatur, bonoque & æquo conveniat; ut mandans teneatur de eo, ex quo conditio ipſius melior facta eſt, *per l. diligenter 5. §. ult. ſup. mandat.*

Simile exemplum præbet Ulpianus *in l. 1. §. ſi ſtipulanti. ſup. de verb. oblig.* ubi obligatio in de-

cem contracta eſſe dicitur, ſi ſtipulanti † viginti decem promittantur, quòd & decē viginti inſint. Verùm huic magnoperè obſtare † videtur § *præterea. Inſtit. de inutil. ſtipul.* ubi ſtipulatio inutilis pronunciatur, ſi quis decem aureos ſibi ab altero dari ſtipuletur, isq; quinque promittat. Cujacius *ad d. §. ſi ſtipulanti.* reſpondet in oppoſito §. *præterea.* diverſitatem reſponſionis ſtipulatori illico non placuiſſe, atq; iccirco ſtipulationem inutilem dici: ſed *in d. §. ſi ſtipulanti.* ſtipulatorem in reſponſionis diverſitate ſtatim acquieviſſe. Et ſic Cujacio ſatis non eſt, ſi reſponſio † in interrogatione inſit, niſi & diverſitas reſponſionis illico placeat. At verò Donellus *in d. §. ſi ſtipulanti. n. 5.* ſtatuit, ſtipulationem in ſummā minorem valere ſimul ac illa contracta ſit, etiamſi alia aperta ſtipulatoris approbatio non acceſſerit: quòd ſtipulatio ſecundum juris regulas ritè cōtracta cenſeatur, † ſi ſtipulator ac promiſſor in ſumma conveniant: ſed qui viginti ſtipulatur, vi ipſa & decem ſtipulatur: unde ſi ſtipulanti viginti quis decem duntaxat promittat, in decem & ſtipulator & promiſſor conſentit; quod ipſum quoque ſibi vult Juſtinianus *in d. §. præterea.* Siquidem ſtipulationem eò loci inutilem non dicit, quoad quinque, in quibus uterque conſentit, ſed quoad alia quinque, in quibus promiſſor ſtipulatori aſſenſus non eſt.

Atque huc pertinet etiam hæc Gaji regula:

In to-

7 *In toto & pars † continetur. l. in toto. 113. inf. h. t.* Un-
8 de ei qui totum † fundum petiit, & ſuccubuit, exceptio rei judicatæ opponi poteſt, ſi poſtea partem ejus fundi petere velit, quòd pars in toto ſit, ut refert Ulpianus in principio *l. ſi quis. 7. ſup. de except. rei judicat.*

Ad §. 1.

¶ *Nemo alienæ rei expromiſſor idoneus videtur, niſi cum ſatiſdatione.*

Secundæ hujus regulæ intellectus ex iis liquidò conſtabit, quæ *ad l. nemo dubitat. 95. ſup. h. t. dictavi.*

Ad §. pupillus.

¶ *Pupillus pati non poſſe intelligitur.*

SUMMARIA.

1 *Pupillo ſua patientia damnoſa eſſe non debet.*
2 *Pupillus ſine tutoris autoritate non obligatur.*
3 *Actione pluviæ arcendæ experiri non poteſt is, qui paſſus eſt vicinum novum opus facere, ex quo aqua pluvia ipſi noceat.*
4 *Tacendo qui fieri quid ſinit, quando conſentire videatur?*
5 *Conſentire intelligitur is, qui intelligit ſibi nociturum opus illud, quod fieri patitur.*

Pupillus ſive impubes ita pati non poteſt, ut
1 † inde damnum faciat, aut ſine tutoris autoritate

toritate obligetur, quia per teneram ætatem nec velle, nec nolle creditur, niſi † tutoris au- 2
toritas intervenerit, ut patet ex principio *l. obligari. 9. ſup. de autor. tut.* idque notavi ad *l. in negotiis 5. ſup. h. t.* Unde licet aliâs is, qui patiente vicino novum opus facit, ex quo aqua pluvia ei noceat, actione † pluviæ arcendæ non teneatur, 3
per l. Labeo 19. ſup. de aq. & aq. pluv. arcend. actione tamen hac vicinus tenebitur, ſi patiente pupillo ejuſmodi opus fecerit, argumento *l. ſed hoc ita. 20. eod.* Neq; enim omnis, qui tacendo † quid fi- 4
eri ſinit, conſentire videtur: ſed qui per ætatem ejus intellectus eſt, ut opus, quod alter facere inſtituit, ſibi nociturum videre poſſit, hic ſi patiatur opus illud fieri, conſentire † intelligitur, 5
cùm contradicendo illud impedire potuiſſet, quemadmodum tradunt Dd. *in c. qui tacet. 43. de reg. jur. in 6.*

Ad §. pen.

¶ *Ubi verba conjuncta non ſunt, ſufficit alterutrum eſſe factum.*

SUMMARIA.

1 *Diſiunctivæ orationis effectus hic eſt, ut ſatis ſit alterutrum factum eſſe.*

2 *Rem, aut æſtimationem rei qui promiſit, promiſſioni ſatisfacit, ſi æſtimationem præſtiterit.*

3 *Obligatio ſub duabus conditionibus diſiunctis concepta valet, ſi alterutra ſaltem conditio extiterit.*

4 *Conditiones conjunctim adſcriptæ, obligationem non inducunt, niſi omnes extiterint.*

5 *Conditionum adſcriptarum natura in legatis ac fideicommiſſis perinde ut in heredum inſtitutionibus obſervatur.*

1 Effectus orationis † diſiunctivæ hic eſt, ut ſatis ſit alterutrum factum eſſe. Cujus exemplum eſt *in l. plerunq; 10. §. ult. ſup. de jure dot.* ubi maritus, qui ſoluto matrimonio aut dotem, aut
2 ejus æſtimationẽ reſtituere † promiſit, promiſſioni ſatisfeciſſe dicitur, ſi æſtimationẽ dotis præſtiterit. Atq; hinc ſi quid ſub duabus conditionibus diſiunctivis in ſtipulationẽ deductum ſit,
3 committitur † ſtipulatio, ſi alterutra conditio extiterit, quantumvis una defecerit, veluti docet Africanus *in l. ſi ita quis 63. ſup. de verbor. obli-*
4 *gat.* Secus ſe res habet, ſi conditiones † conjunctim adſcriptæ ſint, tum enim ſtipulatio commiſſa non dicetur, niſi omnes illæ conditiones extiterint, teſte Scævola *in l. ſi quis ita 129. eod.* Id-
5 que ipſum & in inſtitutionibus † heredum, & in legatis, & in fideicommiſſis receptum eſſe Imper. Juſtinianus *in §. pen. Inſtit. de hered. inſtit.* luculenter oſtendit.

Ad §. ult.

1 *Mulieribus tunc ſuccurrendum eſt, cùm defendantur, non ut facilius calumnientur.*

Sum-

SUMMARIA.

1 *Fœminis callidis SC. Vellejanum non ſuccurrit.*
2 *Deceptis non decipientibus jura opitulantur.*
3 *Fœmina, quæ in ſua præſentia res ſuas obligari creditoribus mariti patitur, SCto Vellejano non juvatur.*

QUinta, eaq; ultima hujus l. regula reſpicit SCtm Vellejanum, quòd fœminis † ita demum ſuccurrit, ſi non callidè verſatæ ſint: deceptis quippe non † decipientibus jura opitulantur, teſte Ulpiano *in l.2.§.ſed ita. ſup. ad SCtm Vellejan.* Hujus exemplum tradit Imper. Alexander *in l. ſi ſine 5. C. eod.* ubi mulieri, cujus res maritus quaſi ſuas † creditori obligavit, auxilium hujus SCti denegat, ſi obligationi iſti mulier adfuerit, nec contradixerit, quia decipere creditorem mariti voluit: ejuſmodi calliditati SCtm hoc conſultum non voluit.

L. III.

Gajus libro ſecundo ad edictum provinciale.

¶ *Pupillum, qui proximus pubertati ſit, capacem eſſe & furandi, & injuriæ faciendæ conſtat.*

Hæc regula ſatis intelligitur ex iis, quæ paulò antè *ad l. ferè in omnibus 108. ſup. h. t.* notata ſunt.

Ad §. 1.

¶ *In heredem non ſolent actiones tranſire, quæ pœnales ſunt ex maleficio: veluti furti, damni injuriæ, vi bonorum raptorum, injuriarum.*

Hujus regulæ explicatio tradita fuit *ſub l. ſicuti pœna 38. n. 8. & duobus ſeqq. ſup. h. t.*

L. 112.

Paulus libro 8. ad Edictum.

¶ *Nihil intereſt, ipſo jure quis actionem non habeat, an per exceptionem infirmetur.*

Quæ ad hujus l. intellectum faciunt, ea adjecta ſunt interpretationi *l. non videtur 13. ſup. h. t.*

L. 113.

Gajus libro tertio ad edictum provinciale.

¶ *In toto & pars continetur.*

Hujus l. interpretatio addita eſt interpretationi *l. in eo, quod. 110. ſup. h. t.*

L. 114.

Paulus libro 9. ad Edictum.

¶ *In obſcuris inſpici ſolet quod veriſimilius eſt, aut quod plerunque fieri ſolet.*

Sen ſus

Senſus hujus l. petendus eſt *ex l. ſemper in obſcuris. 9. ſup. h. t.* ubi rationem interpretandi ambigui prolixè expoſui.

L. 115.
Paulus lib. 10. ad Edictum.

¶ *Si quis obligatione liberatus ſit, poteſt videri cepiſſe.*

SUMMARIA.

1 *Calumniatores in jure quínam dicantur?*

2 *Calumniatorum pœna & illi tenentur, qui malitioſè alteri negotium faceſſunt in hunc finem, ut liberentur ab ea obligatione, qua ſuis creditoribus obſtricti ſunt.*

3 *Obligationis diſſolutio æquè commoda eſt, atq; indebiti acceptio.*

4 *Data cuipiam cenſentur & illa, quæ ipſi remiſſa ſunt.*

5 *Debitori donatum intelligitur id, quod à creditore ipſi remiſſum eſt.*

REgula hæc deſumpta eſt ex edicto de calumniatoribus, quod *l. 2. ſup. de calumniat.* quæ ejuſdem Pauli eſt, & ex eodem *libro 10. ad Edictum* deſumpta, ſatis oſtendit. Quæſitum namque fuit, an etiam pœna ſtatuta in calumniatores, qui videlicet † pecunia corrupti, malitioſè 1 alicui negotium feciſſent, tenerentur hi, qui pecuniam quidem nullam acceperunt, ſed li-

berationem duntaxat adepti ſunt ab ea obliga-
tione, qua ſuis creditoribus obſtricti erant? Re-
2 ſpondit Paulus ipſos † eadem teneri pœna,
quòd is qui obligatione liberatus eſt, non mi-
3 nus commodum cepiſſet, quàm ſi † aliunde et-
iam non debitum conſecutus eſſet: quòd hoc
modo retineret id, quod alteri dare obligatus
fuiſſet: id quod Julianus quoque exprimit *in l. ſi fundum 81. §. Titio. ſup. de legat. 1.* ubi heredi data
4 dicuntur † ea, quæ ipſi remiſſa ſunt. Et aliâs cre-
ditor, qui pecuniam ſibi certò debitam remi-
5 ſit, ſuo debitori † illam donaſſe intelligitur, *per l. ſi quis delegaverit. 12. ſup. de novat. & l. pactum curatoris. 22. C. de pact.*

Ad §. 1.

¶ *Non poteſt videri accepiſſe, qui ſtipulatus poteſt exceptione ſubmoveri.*

Quæ de mente *l. non videtur 13. ſup. h. t.* dicta ſunt, in iis hujus quoq; § explicatio acquieſcit.

L. 116.

Ulpianus libro 11. ad edictum.

¶ *Nihil conſenſui tam contrarium eſt, qui & bonæ fidei judicia ſuſtinet, quàm vis atq; metus; quem comprobare contra bonos mores eſt.*

SUMMARIA.

1 *Contractus ſine conſenſu libero iniri non poteſt.*

2 Con-

2 *Conſenſus is demum liber eſt, qui vi metúve juſto vacat.*

3 *Æquitatis cuſtos magiſtratus eſt.*

4 *Obligatio per vim metúmve extorta non valet.*

5 *Reſtitutio in integrum enormiter læſo indulta eſt.*

6 *Vim jura non attendunt, niſi enormis fuerit.*

7 *Metum eum demum jura attendunt, qui vel in conſtantiſſimum hominem cadit.*

8 *Contractus bonæ fidei ipſo jure nulli ſunt, ſi vi metúve initi ſint.*

9 *Dolus in metu ineſt.*

10 *Dolus contractum bonæ fidei prorſus infirmat, ſi cauſam iſti contractui dederit.*

11 *Contractus ſtricti juris vi metúve initi oppoſita demum exceptione eliduntur.*

12 *L. ſi mulier 21. §. ſi metu. ff. quod met. cauſ. geſt. et, conciliatur cum l. ſi dolo. 5. C. de reſcind. vendit.*

13 *Emptio eſt contractus bonæ fidei.*

14 *Metus an ipſo jure liberationem impediat?*

15 *Obligatio ejus, qui metu coactus ab emptione diſceſſit, in priſtinum ſtatum quomodo reſtituatur?*

16 *Acceptilatio liberationem per ſtipulationem inducit.*

17 *Metu contrahere, & metu à contractu diſcedere diverſa ſunt.*

18 *Liberationi jura magis quàm obligationi favent.*

SIne conſenſu eoq; libero † nullus omninò 1 contractus iniri poteſt, *l. 1. §. pen. ſup. de pact.* Liber autem † conſenſus hic eſt, qui vi metúve 2

3 juſto vacat. Unde Prætor tanquam cuſtos † æquitatis eam obligationem ratam non habet,
4 quæ per vim aut † metum extorta eſt, verùm reſtitutionem in integrum pollicetur ei, qui
5 hoc nomine † in captionem incidit, veluti videre eſt *ex l.1.& 2.ſup.de in integr.reſtit.* Cæterùm vim
6 hanc † enormem eſſe oportet, metumque ta-
7 lem, † qui vel in conſtantiſſimum hominem cadat. Quod ſi enim vis repelli potuerit, aut metus vani hominis fuerit, reſtitutioni in integrum locus non eſt, *per l.2. & l. metum autem 6. ſup.quod metus cauſ.geſt.er.*

Quòd verò bonæ fidei judiciorum duntaxat Ulpianus hìc meminit, ideam ob cauſam fit,
8 quoniam contractus † bonæ fidei ipſo jure nulli ſunt, ſi vis vel metus in iis intervenerit, id
9 quod exemplo doli, qui in † metu ineſt, demonſtrari poteſt. Nam & hic contractum bo-
10 næ fidei prorſus infirmat, ſi † cauſam ei dederit, *l.ſi dolo 5.C.de reſcind.vendit.*

Diverſum eſt in contractibus ſtricti juris: ne-
11 que enim hi, ſi vi † metúve initi ſint, ipſo jure nulli ſunt, ſed demum oppoſita exceptione metus eliduntur, quemadmodum eleganter hoc demonſtrat Imp. Juſtinianus in *§. 1. Inſtit. de except.* cui conſentit etiam *l.ſiquidem 9.C.de contrah. & committ.ſtipul.* Verùm huic non parũ adverſa-
12 ri † videtur *l.ſi mulier 21.§ ſi metu. ſup.quod met.cauſ. geſt. er.* ubi mentio fit emptionis & locationis,
13 † quę etſi è numero ſunt iſtorum contractuum, qui

qui bonæ fidei dicuntur, ut patet *ex §. actionum autem. Inſt. de action.* Paulus tamen eò loci tantum metui non tribuit, ut † liberationem ipſo 14
jure impedire poſſit: dum eum, qui metu coactus ab emptione vel locatione diſceſſit, in antiqua obligatione remanere negat, quod ad hoc, ut in priſtinum ſtatum † obligatio reſtituatur, actionem quod metus cauſa intentari ab ipſo oporteat. Reſpondeo hoc ipſo, quòd Paulus *in oppoſito §. ſi metu.* dubitat, utrum eo caſu, quando quis metu coactus ab emptione diſceſſit, nihil actum videri debeat, an verò ſpecies iſta ſimilis ſit † acceptilationi, quæ liberatio- 16
nem, ut refert Modeſtinus *in l. 1. ſup. de acceptil.* per mutuam interrogationem, ſive ſtipulationem inducit, ſatis innuitur regulam eſſe in contrarium, atque aliâs metu in contractu bonæ fidei adhibito nihil actum intelligi. Quamvis hoc quoque reſponderi poſſit, aliud eſſe † me- 17
tu à contractu diſcedere, aliud metu contrahere: Illud jura permittunt, quia ad liberationem tendit: hoc verò reprobant, quoniam obligationem parit: ſiquidem propenſiora † ſunt jura 18
ad liberandum quàm ad obligandum, *l. Arrianus 47. ſup. de obligat. & action.*

Ad §. 1.

¶ *Non capitur, qui jus publicum ſequitur.*

SUMMARIA.

1 *Minor 25. annis in integrum non reſtituitur, quando jure communi uſus eſt.*

2 *Emens rem neceſſariam deceptus non dicitur, etiamſi res iſta ſtatim perierit.*

3 *Minor 25. annis reſtitutionem in integrum non impetrat, quando fidejuſſorum nonnulli, inter quos eo tempore, quo ſolvendo fuerunt, actionem diviſit, poſt litem conteſtatam ſolvendo eſſe deſierunt.*

1 IN integrum reſtitui non † debet minor, qui in captionem incidit eo tempore, quo jus publicum eſt ſecutus, hoc eſt, jure communi uſus eſt: Sic namque Imp. Zeno hunc §. interpretatur *in l. ult. C. de in integ. reſtit. minor.* exemplum hujus extat *in l. verum. 11. §. item non reſtituetur. ſup. de min. 25. ann.* ubi Ulpianus ex ſententia Marcelli reſtitutionem in integrum minori denegandam eſſe ait, ſi ſervus, quem neceſſariò e-
2 mit, poſt † contractam emptionem ſtatim deceſſerit: quòd captus non ſit emendo ſibi rem neceſſariam, licet mortalem, Simile exemplum Cujacius notat ex *l. inter eos. 51. §. pen. ſup. de fidejuſſ.* ubi minor qui ex præſcripto juris communis
3 actionem † inter fidejuſſores, tum temporis ſolvendo exiſtentes, diviſit, reſtitui in integrum non poteſt, ſi poſt litem conteſtatam quidam eorum fidejuſſorum ſolvendo eſſe deſierint; cùm jure communi hoc caſu uſus ſit, atq; idcirco deceptus videri non poſſit.

Ad §.

Ad §. ult.

¶ *Non videntur, qui errant, conſentire.*

SUMMARIA.

1 *Errantis nulla eſt voluntas.*
2 *Actus errore confecti ipſo jure nulli ſunt.*
3 *Alius pro alio per errorem aditus nihil firmi ſtatuere poteſt.*
4 *Error facti, non juris, excuſationem meretur.*

CUm hoc §. congruit *l. ſed hoc ita. 20. ſup. de aq. & aq. pluv. arcend,* ubi Pomponius ait, errantis nullam † eſſe voluntatem. Proinde negotia 1
illa ipſo jure † nulla ſunt, in quibus error intervenit, *per l. in omnibus 57. ſup. de obligat. & actionib.* Eandemque ob cauſam Ulpianus ea, quæ 2
coram Prætore per errorem † pro alio adito acta ſunt, nihil valere ſcribit *in l. ſi per errorem 15. ſup. de juriſdict. & in principio l. 2. ſup. de judic.* Error autem hic non quivis intelligitur, ſed is ſaltem, qui juſtus eſt, atque in facto contigit. *l. 2. ſup. de in integ. reſtit.* Nam error † juris excuſationem 3
nullam meretur. *l. error 8. cum l. ſeq. ſup. de jur. & fact. ignor.* Eoq; *l. 2. ſup. de confeſſ.* pertinet. 4

L. 117.

Paulus libro 11. ad edictum.

¶ *Prætor bonorum poſſeſſorem heredis loco in omni cauſa habet.*

Huic

Huic l. ſatisfactum eſt *ſub l. heredem 59. ſup. h. t.*

L. 118.

Ulpianus libro 12. ad edictum.

¶ *Qui in ſervitute eſt, uſucapere non poteſt: nam cùm poſſideatur, poſſidere non videtur.*

Summaria.

1 *Regularum juris ordo in Pandectis Florentinis alius eſt, quàm in cæteris exemplaribus.*

2 *Servus ſuo nomine poßidere nihil poteſt.*

3 *Uſucapio ſine poſſeßione nulla eſt.*

4 *Poßidere nihil poteſt, qui ipſe poßidetur.*

5 *Poteſtatis ſuæ qui non eſt, alium in ſua poteſtate habere non poteſt.*

6 *Servus domino etiam invito atque ignoranti acquirit.*

7 *Poſſeßio non niſi volenti domino per ſervum acquiritur.*

8 *Corporis alieni miniſterio in acquirenda poſſeßione quis uti poteſt.*

9 *Animo alieno velle nemo poteſt.*

10 *Furioſus poßidere non poteſt.*

11 *Intellectus l. poſſeßio 49. §. ult. ff. de acquir. vel amitt. poſſeß.*

12 *Procurator etiam ignoranti domino acquirit.*

13 *Procurator domini negotia ſine mandato non adminiſtrat.*

14 *Poſſeßio rei peculiaris cur ignoranti domino per ſervum acquiratur.*

Pande-

PAndectę Florentinæ hoc loco ordinem † regularum juris immutant, atque in præſentis 1
hujus regulæ locum ponunt eam, quæ in aliis exemplaribus continetur *ſub l. creditor 158. inf. h. t.* cui una & quadraginta ll. proximè inſequentes in dd. ffcis Florentinis ſubjiciuntur: quas tandem hæc ipſa l. excipit, ita ut in ordine ſit 160. Sed ordinem reliquorum exemplarium retinebo, atq; hanc, quam Florentinæ Pandectæ, ut dixi, centeſimam ac ſexageſimam faciunt, in præſenti ordine explicabo. Nihil autem aliud Ulpianus in hac l. ſibi vult, quàm quòd ſervus ſuo † nomine poſſidere nihil poſſit, atq; 2
hinc nec uſucapere queat. Uſucapio quippe ſine poſſeſſione † nulla contingit, *l. ſine poſſeſſione* 3
25. ſup. de uſucap.

Quòd verò ſervus de jure nihil ſibi poſſidere poteſt, ejus rationem Ulpianus hanc reddit, quòd, cùm ipſe poſſideatur, poſſidere † nihil poſſit, quemadmodum & is qui ſuæ † pote- 4 5
ſtatis non eſt, alium in ſua poteſtate habere nequit, ut refert idem Ulpianus *in l. ſic eveniet 21. ſup. ad l. Jul. de adult.* Ac quamvis ſervus omne id, quod ex ſtipulatione, vel quavis alia cauſa acquirit, non ſibi, ſed ſuo domino, quantumvis † invito atque ignoranti acquirat, *per l. etiam in-* 6
vitis 32. ſup. de acquir. rer. domin. & l. ſervus 62. ſup. de verb. obligat. propterea quòd acquiſitum ne momento in perſona ſervi ſubſiſtere poſſit, *l. placet 79. ſup. de acquir. vel omitt. hered.* poſſeſſio † tamen 7
non

non niſi volenti domino per ſervum acquiri poteſt: cujus rei rationem *in l. filiusfamilias 93. ſup. h. t. ex l. 3. §. 1. ſup. de acquir. vel amitt. poſſeſſ.* hanc reddidi, quòd poſſeſſio non niſi animo & cor-
8 pore acquiritur: corpore quidem † etiam alieno, cujus miniſterio quis hac in re utitur: ani-
9 mo verò non niſi ſuo, quia velle quis † non poteſt animo alieno. Quam ob cauſam quoque furioſus, qui affectum tenendi non habet, nec
10 poſſidere † poteſt, *l. 1. §. furioſus. eod.*
11 Cui non adverſatur Papinianus † *in l. poſſeſſio 49. §. ult. eod.* ubi poſſeſſionem etiam ignoranti per procuratorem acquiri ait: quoniam acqui-
12 rit quidem Procurator ſuo † domino, quamvis ille ignoret, quid ſuo nomine acquiratur: ſed tamen ignorantia iſta voluntatem non exclu-
13 dit: cùm domini negotia non ſine † mandato ipſius Procurator adminiſtret. *l. 1. ſup. de Procur.* unde ab initio dominus ejus mentis fuiſſe cenſetur, ut quicquid Procurator iſte gerendo acquireret, id ſibi acquiſitum vellet.
Atq; ex eodem hoc fundamento ſervus poſ-
14 ſeſſionem rei peculiaris etiam † ignoranti domino acquirere poteſt, quia ſcilicet ab initio dominus in acquiſitionem iſtam conſenſit, dum ſervo peculium habere permiſit, veluti docet Paulus *in d. l. 1. §. item acquirimus*: tametſi Papinianus *in l. peregrè. 44. §. 1. ſup. de acquir. vel amitt. poſſ.* utilitatis cauſa jure ſingulari hoc receptum eſſe dicat, ne videlicet domini per mo-
men-

menta ſpecies & cauſas peculiorum inquirere cogerentur.

L. 119.

Ulpianus libro 13. ad Edictum.

§ *Non alienat, qui duntaxat omittit poſſeſſionem.*

Summaria.

1 *Poſſeſſionis amiſſio quando ſub alienatione contineatur.*

2 *Poſſeſſionem omittere dicitur, qui eam, quam habere poſſet, non arripit.*

3 *Alienare non dicitur, qui occaſione acquirendi non utitur.*

4 *Amittere & omittere quomodo differant?*

5 *Debitor creditores ſuos fraudare non dicitur, quando bona ſua, cùm poteſt, auctiora non reddit.*

6 *Creditores ſuos non fraudat, qui pecuniam ocioſam in uſuras non collocat.*

TAmetſi alienationis vocabulũ tam latè patet, ut etiam is, qui poſſeſſionem † acquiſitam amittit, ſive derelinquit, alienaſſe illam dicatur, non ſecus ac ſi ſervitutem non utendo amiſiſſet, *per l. ſi ſtillicidii. 8. ff. quemad. ſerv. amitt. & l. ult. C. de reb. alien. non alien.* Is tamen, † qui poſſeſſionem omittit, hoc eſt, eam, quam nondũ quidem habet, ſed tamen habere poſſet, non arripit,

pit, alienare non dicitur, quoniam alienare
3 † non intelligitur, qui occaſione acquirendi non utitur, teſte Paulo *in l. alienationis 28. ſup. de verbor. ſignific.* Aliud quippe eſt Amittere, aliud
4 omittere. Amittere † quis dicitur id, quod acquiſitum habuit, *per l. nec utilem 20. ſup. ex quib. cauſ. maj. in integ. reſt.* omittere verò quis illud intelligitur, quod nunquam habuit, ſed tamen habere potuit, *l. 4. §. 1. ſup. de alienat. judic. mutan. cauſ. fact.* unde regula hæc deſumpta eſt.

Quam ob cauſam quoq; idem Ulpianus in principio *l. non fraudantur 134. inf. h. t.* ſtatuit, creditores non fraudari, cùm à debitore quid non acquiritur, ſed cùm quid de bonis ipſius deminuitur. Etenim in fraudem creditorum ea demum à debitoribus alienata cenſentur, ac proinde ex edicto prætoris revocari oportet; quæ de bonis debitoris detracta ſunt. Qui verò cùm
5 poſſet † bona ſua auctiora reddere, nec fecit, is creditores ſuos fraudaſſe non dicitur: ſiquidem edictum illud Prætoris ad eos non pertinet, qui id agunt, ne locupletentur, ſicut refert Ulpianus in principio *l. qui autem 6. ſup. quæ in fraud. cred. fact. ſunt.* Quapropter qui hereditatem ſibi delatam repudiat, vel qui pecuniam, quam domi
6 † ocioſam habet, in uſuras non collocat, edicto hoc non tenetur, *d. l. qui autem. §. proinde.*

L. 120.

Paulus libro 12. ad Edictum.

§ Ne-

¶ *Nemo plus commodi heredi ſuo relinquit, quàm ipſe habuit.*

Hæc regula prorſus congruit cum illa, quæ continetur *in d. l. nemo plus 54. ſup. h. t.* atq; ibidem etiam ſuam interpretationem ſortita eſt.

L. 121.

Paulus libro 13. ad Edictum.

¶ *Qui non facit quod facere debet, videtur facere adverſus ea, quæ non facit. At qui facit quod facere non debet, non videtur facere id, quod facere juſſus eſt.*

Summaria.

1. *Culpa tam omittendo quàm committendo contrahitur.*
2. *Pœnam prohibitionis æquè meretur is, qui non facit quod facere debet, atque qui facit quod facere prohibitus eſt.*
3. *Prohibitis abſtinere ſatis non eſt, niſi & ea fiant, quæ fieri debent.*
4. *Vim is æquè facit, qui non patitur apportari ea, quibus iter refici poteſt, atq; is qui manifeſtè prohibet, ne iter reficiatur.*
5. *Debitor ſervitutibus ſibi competentibus non utens perinde creditores ſuos fraudare dicitur, atq; ſi alienaret id, quod habet.*

PAulus hoc loco docet culpam † tam omit- 1
tendo quàm committendo contrahi. Qui

enim non facit quod facere debet, is pœnam
2 †prohibitionis æquè meretur, atq; qui facit id, quod facere prohibitus eſt: utrobiq; quippe fit, quod fieri non debebat: nec ſatis eſt prohibi-
3 tis †abſtinere, niſi & ea fiant, quæ fieri debent. Cujus inſigne exemplum extat in principio *l. 4. ſup. de itin. act. privat.* ubi Venulejus ait, eum, qui non patitur adportari ea, ſine quibus iter
4 refici non poteſt, non minus † vim facere, quàm facit is, qui manifeſtè prohibet, ne iter reficiatur. Simile exemplum Paulus proponit *in l. 4. ſup. quæ in fraud. cred. fact. ſunt.* ubi oſtendit in fraudem creditorum non tantùm facere e-
5 um, qui alienat quod habet, ſed etiam † qui ſervitutibus ſibi competentibus non utitur, & ſic nõ utendo amittit jus illud, quod ſibi debetur.

L. 122.

Gajus libro quinto ad Edictum provinciale.

¶ *Libertas omnibus rebus favorabilior eſt.*

SUMMARIA.

1 *Servus communis, cui pro parte libertas data eſt, ex Juſtiniani conſtitutione totus liber fit.*

2 *Libertatis favore multa contra jus commune recepta ſunt.*

FAvor libertatis, cujus Gajus hîc meminit, tantus eſt, ut ſervus communis, cui pro parte libertas data erat, ex conſtitutione Imper. Juſtinia-

ſtiniani, quæ extat *in l. un. C. de commun. ſerv. manumitt.* totus † liber fieret, & alteri domino, qui 1
pro ſua parte ſervum manumiſſum nolebat, etiam invito pretium ſuæ partis daretur: quod ipſum quoq; expreſſum eſt *in §. ult. Inſtit. de donat.* Atque huc referri etiam poſſunt exempla, quibus favor libertatis *in l. quoties dubia 20. ſup. h. t.* declaratus eſt, ita quidem, ut illius intuitu multa † contra jus commune recepta fuiſſe ſa- 2
tis ex illis appareat: quibus in præſenti addi poterunt ea, quæ notantur *in §. ante heredis 34. Inſt. de legat. l. 3. §. 1. ſup. de alien. judic. mutan. cauſ. fact. & l. generaliter 24. §. ſi quis ſerv. ſup. de fideicom. libert.*

L. 123.

Ulpianus libro 14. ad Edictum.

¶ *Nemo alieno nomine lege agere poteſt.*

SUMMARIA.

1 *Agere quemvis oportet de ſuo, non alieno jure.*

2 *L. uti frui. 5. ff. ſi uſusfr. petat. conciliatur cum principio Inſtit. de iis, per quos ager. poſſ.*

3 *Actionem alterius nomine intentare nemo ſine mandato poteſt, niſi ſit perſona conjuncta.*

4 *Actiones legis non niſi proprio nomine exerceri poſſunt.*

5 *Actiones privatorum per Procuratorem intentari poſſunt.*

6 *Hereditas alieno nomine adiri non poteſt.*

7 *Acceptum ferre alterius nomine nemo poteſt.*

8 *Manumiſſio apud legatum Proconſulis fieri non poterat.*

9 *Actiones legis delegari non poſſunt.*

10 *L.3.ff.de acceptil.conciliatur cum l.& per juſiurandum 13.§.tutor.ff.eod.tit.*

11 *Acceptilatio quomodo per Procuratorem fieri poſſit.*

HUic regulæ nonnulli accommodant illud, quod Ulpianus in principio *l.uti frui.5.*
1 *ſup.ſi uſuſfr.pet.*ait, de ſuo, non de alieno jure † agere quemque oportere. Unde ſi plures ſint rei credendi, ac ſinguli debitum perſequi velint, quivis non niſi pro ſua quota agere poterit, *per*
2 *l.cum te.9.C.ſi cert.pet.* Verùm huic † magnoperè adverſari videtur Imp. Juſtinianus in principio *Inſtit.de iis per quos ag.poſſ.* ubi quemlibet hominẽ aut ſuo aut alieno nomine agere poſſe ſcribit: alieno, veluti procuratorio, tutorio vel curatorio nomine. Hanc diſcrepantiam alii aliter conciliant: Nonnulli hanc præſentem l.accipiunt de ejuſmodi caſu, quando quis ſine manda-
3 to actionem alterius nomine † intentare nititur: quod nulli alii, quàm perſonæ conjunctæ facere liceat, *per l.ſed & hæ perſonæ 35.in pr.ſup.de procur.* Verùm Ferrarius hîc ſub finem aliud ſubeſſe credit, videlicet poſt l.Decemviralem, priuſquàm in tot membra jus civile diffundi cœpiſſet, nemini alieno nomine etiam ad mandatum lege agere licuiſſe, quòd legis actiones, ſive actus legitimi, ſicut à Papiniano nuncupantur

tur *in l. actus 77. ſup. h. t.* ex *12. tab.* jure profectæ ſua ſolennitate conſtarent, nec † niſi proprio 4
nomine exerceri poſſent. Brevibus ita reſponderi poteſt, actiones † privatas ab actionibus 5
legis eſſe ſecernendas, & illas quidem per procuratorem inſtitui poſſe, ſecundum ea, quæ *in tit. Inſtit. de iis per quos ager. poß.* referuntur: has verò nec procuratorio, nec ullo alio nomine alieno expediri poſſe.

Si alieno nomine hereditatem † adire nemo 6
poteſt, *l. per procuratorem 90. ſup. de acquir. vel omitt. hered.* Nec quenquam alterius nomine † ac- 7
ceptum ferre poſſe ſcribit Ulpianus *in l. & per juſiurandum 13. §. tutor. ſup. de acceptilat.* Ergo nec adoptare, nec emancipare, nec manumittere, nec alias legis actiones expedire quis alieno nomine poterit, veluti patet *ex l. 2. §. 1. & l. 3. ſup. de offic. proconſ.* ubi nec † manumiſſio, nec ad- 8
optio apud legatum Proconſulis fieri poteſt: quoniam utraq; legis actio eſt, ac proinde † de- 9
legari nequit.

At verò cum his pugnare † videtur *l. 3. ſup. de* 10
acceptil. ubi Paulus acceptilationem ita demum per procuratorem fieri poſſe negat, ſi mandatum ille non habeat. Unde conſequitur, poſſe quempiam per procuratorem, qui mandatum habet, accepto & liberari & liberare. Cujacius *in c. 16. lib. 15. obſervat.* reſpondet *ex d. §. tutor.* acceptilationem † per procuratorem non ſimpli- 11
citer, ſed remedio novationis fieri poſſe, & in

caſu oppoſitæ *l.3.* procuratori ejus rei mandatum habenti, antè permiſſum fuiſſe novare obligationem. Quamvis Hotomannus *in illuſtr. quæſt.32.* primæ editionis hæc *d.l.3.* verba, *Sine mandato*, aut ſpuria eſſe, & ex gloſſa imperiti hominis profecta exiſtimet, aut ex *d.§. tutor.* ita corrigenda, *Sine novatione*: cujuſmodi correctionem, licet perquàm dura illa ſit, Petrus Faber quoq; *in cap.22.libri 2.ſemeſtr.* ex Briſſonii placito defendit.

Ad §. I.

Temporaria permutatio jus provinciæ non innovat.

Summaria.

1 *Provinciæ jus quodnam dicatur.*

2 *Conſuetudo una atq; altera contraria obſervatione non immutatur.*

3 *Conſuetudo eodem modo tollitur, quo inducta eſt.*

1 PLeriq; juris Interpretes per jus †provinciæ, cujus in hoc §. fit mẽtio, intelligunt conſuetudinem in iſta provincia receptam, quæ non
2 innovetur temporaria †permutatione, hoc eſt, ſi ſemel aut bis contrarium eò loci obſervatum ſit. Quemadmodum enim conſuetudo tempore à lege definito certisq; actibus tacito populi conſenſu inducitur, per ea quæ præter alios notant Menochius *lib.2.de arbitr.judic. quæſt. caſ. 81. & 83.* Matthæus de Afflict. *deciſ. Neapol. 321. n. 18. &*

18.& deciſ.388.n.7. Mynſingerus *in obſerv.42.cent.* *6.&* Andr.Geil.*in obſervat.31.lib.2.practic.obſervat.* ita non niſi contrariis † actibus, pariquè temporis intervallo per contrarium populi conſenſum tollitur, argumento *l. nihil tam naturale 35.ſup.h.t.* 5

L. 124.

Paulus libro 16.ad edictum.

¶ *Ubi non voce, ſed præſentia opus eſt, mutus, ſi intellectum habet, poteſt videri reſpondere. Idem in ſurdo. Hic quidem & reſpondere poteſt.*

Summaria.

1 *Abſens in jure aliquando dicitur is, qui corpore quidem eſt præſens, ſed mente abeſt.*

2 *Infantes mente peregrinantur.*

3 *Mutus intellectum habens pro abſente non habetur tum, quando nuda præſentia requiritur.*

4 *Surdus quando in jure abeſſe dicatur.*

5 *Mutus omnes iſtos contractus celebrare poteſt, in quibus verba neceſſariò non requiruntur.*

6 *Surdus quos contractus inire poſſit.*

7 *Procurator tam à muto, quàm à ſurdo dari poteſt.*

8 *Mutus æquè ac ſurdus donare poteſt.*

9 *Nuptiæ & à ſurdo & à muto contrahi poſſunt.*

10 *Stipulatio neque à muto neque à ſurdo contrahi poteſt.*

11 Judicandi munus nec ſurdo, nec muto demandari poteſt.

12 Compromitti nec in ſurdum nec in mutum poteſt.

13 Mutus ac ſurdus pro præſente habetur, quando non verbis, ſed ſola præſentia opus eſt.

14 L. ubi non voce 124. ff. h. t. conciliatur cum principio l. ult. ff. de verb. ſignif.

15 Mutus quando infanti comparetur.

16 Mutus ad hoc exhiberi non poteſt, ut ipſe juret, aut ad poſtulata adverſarii reſpondeat.

17 Jurari nutu ac ſignis non poteſt.

18 Juramentum eo modo præſtari oportet, quo delatum eſt.

19 Juſiurandum Deo præſtatur.

20 Jurantium corda, non verba, Deus ſpectat.

21 Juſiurandum qui alteri detulit, ei tum demum ſatisfit, quando ex verbis jurantis intelligit ita juratum eſſe, ut jurari voluit.

22 Pupillus an jurare poſſit?

23 Obligatio ex jurejurando orta eſt ejuſmodi obligatio, quæ verbis contrahi dicitur.

ABſens in jure non is ſolùm dicitur, qui cor-
1 pore pręſens nō eſt, ſed abſentis † loco nonnunquam habetur & hic, qui corpore quidem eſt præſens, ſed tamen animo abeſt, veluti exemplo furioſi illud demonſtravi *in l. in negotiis. 5. ſup. h. t.* quodq; de furioſo eò loci dixi, idipſum ad infantes ac dormientes quoque accommodat Florentinus *in l. ſervum. 209. ſup. de verbor. ſignif.* quòd

quòd hi quoque, quamvis corpore præſentes
ſint, mente † tamen quaſi peregrinentur. 2
Sed quid de mutis ac ſurdis ſentiendum ſit,
an & hi perinde ut furioſi abeſſe intelligantur
tũ, quando corpore præſentes ſunt, haud abs re
quæritur? Paulus hoc loco reſpondet, abſentes
† eos non cenſeri, ſi intellectum habeant, † nec 3
voce, ſed prę ſentia ſaltem opus ſit. Unde & em- 4
ptionem, & venditionem, & locationem, &
conductionem, & † cæteros contractus, in qui- 5
bus verba neceſſariò non requiruntur, inire
tam † mutus quàm ſurdus poteſt, quia uterque 6
intelligere & conſentire poteſt, *l. in quibuſcunq;*
48. ſup. de oblig. & action. Eandemq; ob cauſam
neuter † procuratorem dare prohibetur, teſte 7
eodem Paulo in principio *l. mutus 43. ſup. de pro-*
curat. Quin † & donare ac nuptias contrahere 8
† uterque poteſt, *l. qui id quod 33. §. pen. ſup. de do-* 9
nat. & l. mutus 73. in pr. ſup. de jur. dot.

Unde argumento à contrario ſenſu ducto,
quod in jure, teſte Everhardo *in locis legalibus,*
validiſſimum eſt, hoc ſimul innuitur, tam ſur-
dum, quàm mutum, quantumvis uterq; corpo-
re præſens ſit, eo tamen caſu abſentem cenſeri,
ſi voce opus ſit. Quare nec ſurdus, nec † mutus 10
ſtipulationem contrahere poterit, cùm ſtipu-
latio non niſi utroque loquente perficiatur, *l.*
1. in pr. ſup. de verbor. obligat. Eademq; ratione nec
muto, nec ſurdo judicandi † munus demanda- 11
ri poteſt, *l. cum Prætor 12. §. pen. ſup. de judic.* Quod

12 ipſum ad compromiſſa † etiam refert Ulpianus *in l.ſed ſi.9.§.1.ſup.de recept.arbit.*

Ex quibus omnibus conſequitur, mutum
13 † ac ſurdum eos demum expedire poſſe actus, qui præter præſentiam aliud nihil deſiderant: quoniam in his uterque pro præſente habetur.
14 Verùm huic magnoperè adverſari † videtur principium *l.ult.ſup.de verbor.ſignif.* ubi Pomponius indiſtinctè mutum furioſo atque infanti comparat, eumque qui mutum, aut furioſum, aut infantem exhibet, præſentiam illius præſtare negat: quòd nemo ex eo genere præſens ſatis aptè appellari poſſit.

Reſpondeo Pomponium eò loci contrarium præſentis hujus l. ſenſum proponere, ſibiq;
15 hoc velle, mutum præſentem non videri † tum, quando præter præſentiam voce quoque ſive verbis opus eſt: veluti ſi ad hoc mutus exhiben-
16 dus ſit, ut † ipſe in judicio ad adverſarii poſtulata reſpondeat, aut etiam juret: hoc caſu mutus, etiamſi corpore ſiſtatur, præſens tamen eſſe non intelligitur, cùm actus hujuſmodi ſic comparati ſint, ut ſine verbis expediri nequeant. Neq; enim, ut Alciatus ex ſententia Abbatis *in*
17 *rubr.tit.de jurejur.n.21.& 23.* ſtatuit, nutu † ac ſignis quoque curari poteſt, ſed potius, ut Ulpianus *in l.3.§.ult.ſup.de jurejur.* refert, ita jurari o-
18 portet, ut † juſiurandum delatum eſt. Utrum autem quis eo modo juraverit, quo juſiurandum delatum fuit, id conſtare antè non poteſt, quàm

quàm verbis expreſſum ſit. Ac quamvis veriſſi-
mum ſit, juramentum † Deo præſtari, qui non 19
verba, ſed corda † jurantium ſpectat: tamen ei 20
quoq; , qui juſiurandum detulit, ſatisfacien-
dum eſt: ſatis verò ei tum † demum ſit, quando 21
ex verbis intelligere poteſt, ita juratum eſſe, ut
jurari voluit.

Unde Bartolus etiam *in princ. l. qui juraſſe 26.*
ſup. de jurejur. pupillum, ſi † non poſſit fari, nec 22
jurare poſſe concludit. Eandemq; haud dubiè
ob cauſam Gajus *in tit. 9. lib. 2. Inſtit.* obligatio-
nem, quæ † ex jurejurando liberti oritur, in nu- 23
mero illarum obligationum ponit, quæ verbis
contrahi dicuntur.

Ad §. 1.

¶ *Furioſus abſentis loco eſt, & ita Pomponius libro primo epiſtolarum ſcribit.*

Quatenus furioſus abſentis loco ſit, intelligi poteſt ex iis, quæ *ad l. in negotiis. 5. ſup. h. t.* notata ſunt.

L. 125.

Gajus libro quinto ad edictum provinciale.

¶ *Favorabiliores rei potius quàm actores habentur.*

Quid ſibi hæc regula velit, quisq; ejus ſit uſus, exempla *ad l. non debet 41. ſup. h. t.* adſcripta ſatis oſtendunt.

L.126

L. 126.

Ulpianus libro 15. ad Edictum.

¶ *Nemo prædo eſt, qui pretium numeravit.*

SUMMARIA.

1 *Prædo propriè quis ſit.*

2 *Latrunculus dicitur, qui regionem excurſionibus ac latrociniis infeſtam reddit.*

3 *Prædo impropriè is dicitur, qui alterius bona injuſtè invaſit.*

4 *Prædo tam percipiendos, quàm perceptos fructus reſtituere tenetur.*

5 *Hereditatem alienam qui ſciens emit, prædo nõ eſt.*

6 *Hereditatis petitio directa contra titulo poſſidentem non datur.*

7 *L. ſi ex ſtipulatione. 5. ff. de acquir. vel amitt. poſ. conciliatur cum l. nec ullam 13. §. ſi quis ſciens. ff. de hered. petit.*

8 *Emptor iſte prædo nuncupatur, qui poſſeſſionem rei emptæ bona cum venditoris pace non habet.*

9 *Poſſeſſionem juſtam is demum acquiſiviſſe dicitur, qui illam nactus eſt voluntate ejus, à quo cauſam poſſidendi habet.*

1 PRædo propriè is † dicitur, qui cùm bellum non indixerit, hoſtiliter tamen graſſatur, atque regionem, in qua moratur, excurſionibus
2 † & latrociniis infeſtam reddit: quem & latrunculum Ulpianus appellat *in l. hoſtes 24. ſup. de capt. & poſtl. reverſ.* Verùm poſtea abuſivè prædo & is

dici

dici cœpit, qui bona † alterius ſine juſta poſſi- 3
dendi cauſa invaſit, & interrogatus cur poſſideat, nihil reſponſurus eſt aliud, quàm quia poſſideo, ſicut refert Ulpianus *in l. qui interrogatus 12. ſup. de her. petit.* cui conſentiunt *l. ſi urbana 55. ſup. de condict. indeb. l. ſi pignore 22. §. ſi prædo. ſup. de pignor. act. & l. Pomponius 13. §. ex facto. ſup. de acquir. vel amitt. poſſ.* Et quidem hujuſmodi prædo omnes omninò fructus, tam † percipiendos 4
quàm perceptos reſtituere tenetur, *per l. domum. 5. C. de rei vendi.*

Hinc quæſitum eſt, an etiam ad hujuſmodi fructuum † reſtitutionem ceu prædo obſtri- 5
ctus ſit is, qui ſciens alienam hereditatem emit? Ulpianus *in l. nec ullam 13. §. ſi quis ſciens. ſup. de heréd. petit.* hoc negat argumento hujus regulæ, quam ibidem prorſus iiſdem verbis tradit. Atque ideò licet mala fide hereditatem poſſideat, tamen quia titulo eam poſſidet, ut prædo
† directa hereditatis petitione non tenetur, ſed 6
tanquam univerſitatis emptor utili duntaxat actione tenebitur, *d. §. ſi quis ſciens.* Neq; † cum 7
his pugnat *l. ſi ex ſtipulatione 5. ſup. de acquir. vel amitt. poſſeſſion.* ubi Paulus emptorem hujuſmodi prædonem nuncupat: quoniam ſermo hîc eſt de iſto emptore, qui non ſolùm hereditatem emit, ſed eandem quoq; à venditore traditam accepit. At verò Paulus *in oppoſita l. 5.* loquitur de ejuſmodi emptore, qui † poſſeſſionem rei em- 8
ptæ bona cum venditoris pace non eſt conſe-

cutus:

cutus: quam ob cauſam prædo jure dicitur: cùm
9 juſtam poſſeſſionem † nemo acquiſiviſſe dicatur, niſi nactus illam ſit voluntate ejus, à quo cauſam poſſidendi habet, *per l. fundi. 33. ſup. eod.*

Ad §. 1.

Locupletior non eſt factus, qui libertum acquiſierit.

SUMMARIA.

1 *Bonæ fidei poſſeſſor in id ſaltem tenetur, in quo locupletior factus eſt.*

2 *Bonæ fidei poſſeſſor hoc nomine conveniri non poteſt, quòd ſervum hereditarium manumiſit.*

3 *Libertum qui acquiſivit, locupletior factus non cenſetur.*

4 *Liberti acquiſitio æſtimari non poteſt.*

5 *Actione de in rem verſo conveniri non poteſt, qui nummis acceptis ſervum manumiſit.*

6 *Donatio manumiſſionis cauſa inter conjuges facta valida eſt.*

7 *Patronus liberti operis uti poteſt.*

8 *Liberti ab inteſtato ſine liberis mortui ſucceſſio ad patronum devolvitur.*

9 *Succeſſionis ſpes neminem locupletiorem facit.*

ULpianum *in libro 15. ad Edictum* de petitione hereditatis potiſſimùm egiſſe inſcriptio *l. 2. 9. 11. 13. 16. 18. 20. 23. 25. 27. 29. 31. 33. & l. 37. ſup. de hered. petit.* ſatis oſtendit. Ex eodem iſto Ulpiani libro hæc regula quoque deſumpta eſt: unde

haud

haud difficile eſt colligere, illam ſimiliter ad materiam petitionis hereditatis pertinere. Et quidem *ex d. l. ſed etſi 25. §. conſuluit.* conſtat bonæ fidei poſſeſſores, à quibus hereditas petitur, † in id duntaxat teneri, in quo locupletiores facti ſunt. 1

Hinc quæſitum fuit, an etiam is, qui hereditatis petitione convenitur, hoc nomine † teneatur, quòd ſervum hereditarium manumiſit? 2
Ulpianus hoc negat, quòd locupletior † factus non ſit, qui libertum acquiſivit. Cujus rationem Paulus *in l. naturalis 5. §. ult. ſup. de præſcript. verb.* hanc reddit, quòd acquiſitio liberti † æſtimari non poſſit. Quam ob cauſam etiam Javolenus *in l. 2. ſup. de in rem verſ.* cum eo, qui acceptis nummis ſervum manumiſit, de in rem † verſo agi poſſe negat. Atque ex eodem fundamento Ulpianus *in l. quod autem 7. §. ult. ſup. de donation. inter vir. & uxor.* donationem † manumiſſionis cauſa inter conjuges factam approbat, quam certè improbaret, ſi donans inde pauperior fieret, *per l. ſi fructus. 8. C. eod.* 3 4 5 6

Neq; huic adverſantur commoda, quæ patronus † ex liberto capit, ut quod operis ipſius utitur, ejusque, ſi inteſtatus ſine liberis † moriatur, ſucceſſione potitur, *l. ſuo victu 18. ſup. de oper. libert. & l. 3. in principio. ſup. de ſuis & legitim. hered.* quoniam commoda iſta ſi comparentur cum jure illo, quod dominus habuit in libertum, antè quàm manumitteretur, nulla aut 7 8

per-

9 perquàm exigua ſunt, neq; etiam † quenquam ſpes ſucceſſionis locupletiorem facit, cùm ad irritum illa ſæpius cadat.

Ad §. ult.

¶ *Cùm de lucro duorum quæratur, melior eſt cauſa poſſidentis.*

Hujus §. ſententia continetur ſub iis, quæ ſcripſi *ad l. in eo quod 33. ſup. h. t.*

L. 127.

Paulus libro 20. ad Edictum.

¶ *Cùm Prætor in heredem dat actionem quatenus ad eum pervenit, ſufficit, ſi vel momento ad eum pervenit ex dolo defuncti.*

Et ſenſus hujus regulæ, & quod potiſſimùm eidem opponi poteſt, ſatis conſtat ex his, quæ notavi *ad l. heredem 59. ſup. h. t.*

L. 128.

Paulus libro 19. ad Edictum.

¶ *In pari cauſa poſſeſſor potior haberi debet.*

Summaria.

1 *Poſſeſſor in pari cauſa prævalet ei, qui non poſsidet.*

2 *Rem unam eandemq́; ſi duo à diverſis non dominis emerint, præferetur is, qui eam rem poſsidet.*

3 *Delictum duorum cùm par eſt, poſſeſſor petitori præfertur.*

4. Pe-

4 *Pecunia judici data in hunc finem, ut malè judicet, repeti ab ipſo non poteſt.*

5 *Turpitudinem ſuam prodere non decet.*

6 *Meretrix turpiter pecuniam ab amatoribus non accipit.*

7 *Dolus cum dolo compenſatur, ſi ex utraq; parte dolus admiſſus fuit.*

8 *Malitia cõmunis neutri præmio vel pœna eſſe debet.*

QUaliſcũq; poſſeſſor hoc ipſo, quòd poſſeſſor eſt, veluti loquitur Paulus *in l.2. ſup. uti poſſid.* plus juris habet, † quàm ille, qui non poſſidet. Quod quidem regulariter verum eſt, pro- 1
indeque ex duobus, qui unam † eandemque 2
rem à diverſis non dominis emerunt, potiorem haberi eum, qui eam rem poſſidet, teſtatur Ulpianus *in l. ſive autem 9. §. ſi duobus. ſup. de public. in rem action.* ubi tamen hanc exceptionem annectit, ſecus ſe rem habere, ſi ab uno eodemque non domino res vendita fuiſſet, quemadmodum idipſum jam antè paulò plenius expoſui *ad l. in eo quod 33. ſup. h. t.*

Neque in cauſis civilibus ſolùm hæc regula attenditur, ſed in delictis quoque eandem ſibi locum vendicare Ulpianus *in l. cum par delictum 154. inf. h. t.* diſertè docet, dum ait, cauſam poſſeſſoris meliorem haberi, † petitoremque ſem- 3
per onerari, cùm delictum duorum par eſt. Cujus inſigne exemplum proponit Paulus *in l. 3. ſup. de condict. ob turp. cauſ.* ubi † pecunia data ju- 4

dici, ut malè judicet, repeti ab eodem non poteſt, quòd utriuſq; & dantis & accipientis turpitudo hoc caſu verſetur, ac potior ſit is, qui eam accepit & habet. Eademque ratione nec à muliere repeti poteſt, quod ipſi datum eſt in eum finem, ut corporis ſui copiam faceret: Quamvis Labeo & Marcellus, teſte Ulpiano *in l. 4. eod. tit.* pecuniam, quæ meretrici hoc nomine data eſt, ex eo fundamento repeti ab illa nolint, quòd is ſolùm, qui pecuniam in illicitum
5 iſtum finem meretrici dedit, † turpitudinem ſuam prodat: meretrix verò, etſi turpiter faciat, quòd eſt meretrix, turpiter tamen pecuniam
6 non † accipiat, cùm ſit meretrix. Simile exemplum notat Paulus *in l. ſi ſervum 91. §. ſequitur. ſup. de verbor. obligat.* ubi actor perſequi non poteſt damnum dolo rei datum, ſi & ipſe doli iſtius
7 reus ſit: quoniam dolus † cum dolo compenſatur, ſi ex utraq; parte dolum eſſe conſtiterit, *l. ſi duo 36. ſup. de dol. mal.* Itaq; actor exceptionē doli à reo ſibi oppoſitam replicatione hac ſubmovere non poteſt, ipſum Reum quoque ea in re do-
8 lo egiſſe: quòd iniquum ſit communem † malitiam petitori quidem pręmio eſſe, ei verò cum quo ageretur pœnæ, quemadmodum ex Labeone refert Ulpianus *in l. 4. §. Marcellus. ſup. de dol. mal. & met. except.*

Ad §. 1.

Hi qui in univerſum jus ſuccedunt, heredis loco habentur.

Hujus §. intellectus dependet ex iis, quæ explicationi *l. heredem 59. ſup. h. t.* adſcripta ſunt.

L. 129.

Paulus libro 21. ad Edictum.

Nihil dolo creditor facit, qui ſuum recipit.

Principio hujus l. ſatisfactum eſſe memini *ſub l. nullus videtur 55. ſup. h. t.*

Ad §. 1.

Cùm principalis cauſa non conſiſtit: ne ea quidem, quæ ſequuntur, locum habent.

SUMMARIA.

1 *Principali non ſubſiſtente nec acceſſorium ſubſiſtit.*
2 *Acceſſorium cur aliquando ſubſiſtat, ubi principale non conſiſtit.*
3 *Fidejuſſoria obligatio acceſſio eſt principalis obligationis.*
4 *Acceſſio plus in ſe continere non poteſt, quàm eſt in re principali.*
5 *Dos exigi non poteſt, ubi nullum eſt matrimonium.*
6 *Acceſſio quamvis re principali pretioſior fuerit, nihilominus tamen illi cedit.*

7 *Margarita auri ornandi gratia adhibita auro cedunt.*

8 *L. quicquid 27.§.ult.ff.de acquir.rer.dom.conciliatur cum l.cùm aurum 19.§ perveniamus.ff.de aur. & argent.legat.*

9 *Principale quando ab acceſſione diſcerni non poteſt, hoc eſt, quando ſciri non poteſt, utrum principale vel acceſſorium ſit, tum ei, quod majoris eſt pretii, cedet id quod minus precioſum eſt.*

10 *Intellectus l.quid tamen. 10.ff. quib.mod.uſusfruct. amitt.*

11 *Uſusfructus fundi cur duret eo caſu, quando villa, cujus acceſſio fundus fuit, diruta eſt.*

12 *Juſiurandum, quod contractui acceſſit, firmum eſt, etiamſi contractus iſte invalidus fuiſſet.*

13 *Juſiurandum, quod ſine peccato ſervari poteſt, omnino ſervandum eſt.*

EAdem hæc regula *in l.cum principalis 178. inf. h.t.* iisdem verbis repetitur, unica dictione *Plerunq;* excepta, quæ ibidem à Paulo interponitur, ut ſignificetur, regulare quidem hoc eſſe,
1 ut principali † non ſubſiſtente, nec acceſſorium ſubſiſtat: ſed tamen fieri aliquando, ut acceſſo-
2 rium locum habeat, etiamſi principale † non conſiſtat, tum videlicet ſi in ipſo acceſſorio ſpecialis aliqua ratio ſit.

Utriusq;, & regulæ & exceptionis hujus exempla in jure paſſim ſunt obvia. Regulæ quidem exemplum extat *in l. ſi quis 37. ſup. de fidejuſſ.*
3 ubi Paulus negat fidejuſſorem † teneri, ſi debi-

tor principalis liberatus ſit: quoniam obligatio fidejuſſorum acceſſio eſt principalis obligationis, † nec plus in acceſſione eſſe poteſt, 4
quàm in re principali, teſte Imp. Juſtiniano *in §. fidejuſſores. Inſtit. eod.* Simile exemplum reperitur *in § penult. Inſtit. de nupt.* ubi exactioni dotis locus
† non eſt, quando ipſum matrimonium non 5
conſiſtit: neq; enim dos ſine matrimonio eſſe poteſt, *per l. 3. ſup. de jur. dot.*

Quinimò acceſſio rei principali cedit, etiamſi † pretioſior iſta acceſſio fuerit. Unde mar- 6
garitæ † auri ornandi gratia adhibitæ cedunt 7
auro. quamvis auro pretioſiores ſint, *l. cum aurum 19. § perveniamus. ſup. de aur. & argent. legat.* cui
non † obſtat *l. quicquid 27. §. ult. ſup. de acquir. rer.* 8
domin. ubi Pomponius ex ſententia Caſſii ait, pro rei portione, vel pro precio cujuſq; partis
æſtimandum † eſſe, utra alteri cedere debeat: 9
quoniam precii tum demum habetur ratio, quando portio rei dignoſci nequit, hoc eſt, quando ſciri non poteſt, utra pars major ſit vel minor, ſive utra ſit acceſſio vel res principalis. Etenim acceſſio minor pars cenſetur, res principalis major, quippe cujus augendæ vel ornandæ cauſa illa adhibetur.

Exceptionis verò prædictæ exemplum ponit
Ulpianus † in principio *l. quid tamen 10. ſup. quib.* 10
mod. uſusfr. amittit. ubi villâ dirutâ, uſusfructus
fundi non extinguitur, licet † fundus villæ fu- 11
erit acceſſio. Cujus rei ratio voluntati teſtato-

11 *Judicandi munus nec ſurdo, nec muto demandari poteſt.*
12 *Compromitti nec in ſurdum nec in mutum poteſt.*
13 *Mutus ac ſurdus pro præſente habetur, quando non verbis, ſed ſola præſentia opus eſt.*
14 *L. ubi non voce 124. ff. h. t. conciliatur cum principio l. ult. ff. de verb. ſignif.*
15 *Mutus quando infanti comparetur.*
16 *Mutus ad hoc exhiberi non poteſt, ut ipſe juret, aut ad poſtulata adverſarii reſpondeat.*
17 *Jurari nutu ac ſignis non poteſt.*
18 *Juramentum eo modo præſtari oportet, quo delatum eſt.*
19 *Juſiurandum Deo præſtatur.*
20 *Jurantium corda, non verba, Deus ſpectat.*
21 *Juſiurandum qui alteri detulit, ei tum demum ſatisfit, quando ex verbis jurantis intelligit ita juratum eſſe, ut jurari voluit.*
22 *Pupillus an jurare poſſit?*
23 *Obligatio ex jurejurando orta eſt ejuſmodi obligatio, quæ verbis contrahi dicitur.*

1 ABſens in jure non is ſolùm dicitur, qui corpore præſens nõ eſt, ſed abſentis † loco nonnunquam habetur & hic, qui corpore quidem eſt præſens, ſed tamen animo abeſt, veluti exemplo furioſi illud demonſtravi *in l. in negotiis. 5. ſup. h. t.* quodq́; de furioſo eò loci dixi, idipſum ad infantes ac dormientes quoque accommodat Florentinus *in l. ſergm. 209. ſup. de verbor. ſignif.* quòd

quòd hi quoque, quamvis corpore præſentes
ſint, mente † tamen quaſi peregrinentur. 2
Sed quid de mutis ac ſurdis ſentiendum ſit,
an & hi perinde ut furioſi abeſſe intelligantur
tũ, quando corpore præſentes ſunt, haud abs re
quæritur? Paulus hoc loco reſpondet, abſentes
† eos non cenſeri, ſi intellectum habeant, † nec 3
voce, ſed pręſentia ſaltem opus ſit. Unde & em- 4
ptionem, & venditionem, & locationem, &
conductionem, & † cæteros contractus, in qui- 5
bus verba neceſſariò non requiruntur, inire
tam † mutus quàm ſurdus poteſt, quia uterque 6
intelligere & conſentire poteſt, *l. in quibuſcunq;
48. ſup. de oblig. & action.* Eandemq; ob cauſam
neuter † procuratorem dare prohibetur, teſte 7
eodem Paulo in principio *l. mutus 43. ſup. de pro-
curat.* Quin † & donare ac nuptias contrahere 8
† uterque poteſt, *l. qui id quod 33. §. pen. ſup. de do-* 9
nat. & l. mutus 73. in pr. ſup. de jur. dot.

Unde argumento à contrario ſenſu ducto,
quod in jure, teſte Everhardo *in locis legalibus,*
validiſſimum eſt, hoc ſimul innuitur, tam ſur-
dum, quàm mutum, quantumvis uterq; corpo-
re præſens ſit, eo tamen caſu abſentem cenſeri,
ſi voce opus ſit. Quare nec ſurdus, nec † mutus 10
ſtipulationem contrahere poterit, cùm ſtipu-
latio non niſi utroque loquente perficiatur, *l.
1. in pr. ſup. de verbor. obligat.* Eademq; ratione nec
muto, nec ſurdo judicandi † munus demanda- 11
ri poteſt, *l. cum Prætor 12. §. pen. ſup. de judic.* Quod

12 ipſum ad compromiſſa † etiam refert Ulpianus *in l. ſed ſi. 9. §. 1. ſup. de recept. arbit.*

Ex quibus omnibus conſequitur, mutum
13 † ac ſurdum eos demum expedire poſſe actus, qui præter præſentiam aliud nihil deſiderant: quoniam in his uterque pro præſente habetur.
14 Verùm huic magnoperè adverſari † videtur principium *l. ult. ſup. de verbor. ſignif.* ubi Pomponius indiſtinctè mutum furioſo atque infanti comparat, eumque qui mutum, aut furioſum, aut infantem exhibet, præſentiam illius præſtare negat: quòd nemo ex eo genere præſens ſatis aptè appellari poſſit.

Reſpondeo Pomponium eò loci contrarium præſentis hujus l. ſenſum proponere, ſibiq;
15 hoc velle, mutum præſentem non videri † tum, quando præter præſentiam voce quoque ſive verbis opus eſt: veluti ſi ad hoc mutus exhiben-
16 dus ſit, ut † ipſe in judicio ad adverſarii poſtulata reſpondeat, aut etiam juret: hoc caſu mutus, etiamſi corpore ſiſtatur, præſens tamen eſſe non intelligitur, cùm actus hujuſmodi ſic comparati ſint, ut ſine verbis expediri nequeant. Neq; enim, ut Alciatus ex ſententia Abbatis *in*
17 *rubr. tit. de jurejur. n. 21. & 23.* ſtatuit, nutu † ac ſignis quoque curari poteſt, ſed potius, ut Ulpianus *in l. 3. §. ult. ſup. de jurejur.* refert, ita jurari o-
18 portet, ut † juſiurandum delatum eſt. Utrum autem quis eo modo juraverit, quo juſiurandum delatum fuit, id conſtare antè non poteſt,

quàm

quàm verbis expreſſum ſit. Ac quamvis veriſſimum ſit, juramentum † Deo præſtari, qui non 19
verba, ſed corda † jurantium ſpectat: tamen ei 20
quoq;, qui juſiurandum detulit, ſatisfaciendum eſt: ſatis verò ei tum † demum ſit, quando 21
ex verbis intelligere poteſt, ita juratum eſſe, ut jurari voluit.

Unde Bartolus etiam *in princ. l. qui juraſſe 26. ſup. de jurejur.* pupillum, ſi † non poſſit fari, nec 22
jurare poſſe concludit. Eandemq; haud dubiè ob cauſam Gajus *in tit. 9. lib. 2. Inſtit.* obligationem, quæ † ex jureſurando liberti oritur, in nu- 23
mero illarum obligationum ponit, quæ verbis contrahi dicuntur.

Ad §. 1.

¶ *Furioſus abſentis loco eſt, & ita Pomponius libro primo epiſtolarum ſcribit.*

Quatenus furioſus abſentis loco ſit, intelligi poteſt ex iis, quæ *ad l. in negotiis. 5. ſup. h. t.* notata ſunt.

L. 125.

Gajus libro quinto ad edictum provinciale.

¶ *Favorabiliores rei potius quàm actores habentur.*

Quid ſibi hæc regula velit, quisq; ejus ſit uſus, exempla *ad l. non debet 41. ſup. h. t.* adſcripta ſatis oſtendunt.

L. 126.

L. 126.

Ulpianus libro 15. ad Edictum.

¶ *Nemo prædo eſt, qui pretium numeravit.*

SUMMARIA.

1 *Prædo propriè quis ſit.*

2 *Latrunculus dicitur, qui regionem excurſionibus ac latrociniis infeſtam reddit.*

3 *Prædo impropriè is dicitur, qui alterius bona injuſtè invaſit.*

4 *Prædo tam percipiendos, quàm perceptos fructus reſtituere tenetur.*

5 *Hereditatem alienam qui ſciens emit, prædo nō eſt.*

6 *Hereditatis petitio directa contra titulo poſſidentem non datur.*

7 *L. ſi ex ſtipulatione. 5. ff. de acquir. vel amitt. poſſ. conciliatur cum l. nec ullam 13. §. ſi quis ſciens. ff. de hered. petit.*

8 *Emptor iſte prædo nuncupatur, qui poſſeſſionem rei emptæ bona cum venditoris pace non habet.*

9 *Poſſeſſionem juſtam is demum acquiſiviſſe dicitur, qui illam nactus eſt voluntate ejus, à quo cauſam poſſidendi habet.*

1 PRædo propriè is † dicitur, qui cùm bellum non indixerit, hoſtiliter tamen graſſatur, atque regionem, in qua moratur, excurſionibus
2 † & latrociniis infeſtam reddit: quem & latrunculum Ulpianus appellat *in l. hoſtes 24. ſup. de capt. & poſtl. reverſ.* Verùm poſtea abuſivè prædo & is

dici

dici cœpit, qui bona † alterius ſine juſta poſſi- 3
dendi cauſa invaſit, & interrogatus cur poſſideat, nihil reſponſurus eſt aliud, quàm quia poſſideo, ſicut refert Ulpianus *in l. qui interrogatus 12. ſup. de her. petit.* cui conſentiunt *l. ſi urbana 55. ſup. de condict. indeb. l. ſi pignore 22. §. ſi prædo. ſup. de pignor. act. & l. Pomponius 13. §. ex facto. ſup. de acquir. vel amitt. poſſ.* Et quidem hujuſmodi prædo omnes omninò fructus, tam † percipiendos 4
quàm perceptos reſtituere tenetur, *per l. domum. 5. C. de rei vendi.*

Hinc quæſitum eſt, an etiam ad hujuſmodi fructuum † reſtitutionem ceu prædo obſtri- 5
ctus ſit is, qui ſciens alienam hereditatem emit? Ulpianus *in l. nec ullam 13. §. ſi quis ſciens. ſup. de hered. petit.* hoc negat argumento hujus regulæ, quam ibidem prorſus iiſdem verbis tradit. Atque ideò licet mala fide hereditatem poſſideat, tamen quia titulo eam poſſidet, ut prædo † directa hereditatis petitione non tenetur, ſed 6
tanquam univerſitatis emptor utili duntaxat actione tenebitur, *d. §. ſi quis ſciens.* Neq; † cum 7
his pugnat *l. ſi ex ſtipulatione. 5. ſup. de acquir. vel amitt. poſſeſſion.* ubi Paulus emptorem hujuſmodi prædonem nuncupat: quoniam ſermo hîc eſt de iſto emptore, qui non ſolùm hereditatem emit, ſed eandem quoq; à venditore traditam accepit. At verò Paulus *in oppoſita l. 5.* loquitur de ejuſmodi emptore, qui † poſſeſſionem rei em- 8
ptæ bona cum venditoris pace non eſt conſe-

cutus:

haud difficile eſt colligere, illam ſimiliter ad materiam petitionis hereditatis pertinere. Et quidem *ex d. l. ſed etſi 25. §. conſuluit.* conſtat bonæ fidei poſſeſſores, à quibus hereditas petitur, † in id duntaxat teneri, in quo locupletiores facti ſunt. 1

Hinc quæſitum fuit, an etiam is, qui hereditatis petitione convenitur, hoc nomine † teneatur, quòd ſervum hereditarium manumiſit? 2 Ulpianus hoc negat, quòd locupletior † factus non ſit, qui libertum acquiſivit. 3 Cujus rationem Paulus *in l. naturalis 5. §. ult. ſup. de præſcript. verb.* hanc reddit, quòd acquiſitio liberti † æſtimari non poſſit. 4 Quam ob cauſam etiam Javolenus *in l. 2. ſup. de in rem verſ.* cum eo, qui acceptis nummis ſervum manumiſit, de in rem † verſo agi poſſe negat. 5 Atque ex eodem fundamento Ulpianus *in l. quod autem 7. §. ult. ſup. de donation. inter vir. & uxor.* donationem † manumiſſionis 6 cauſa inter conjuges factam approbat, quam certè improbaret, ſi donans inde pauperior fieret, *per l. ſi fructus. 8. C. eod.*

Neq; huic adverſantur commoda, quæ patronus † ex liberto capit, ut quod operis ipſius utitur, ejusque, ſi inteſtatus ſine liberis † moriatur, ſucceſſione potitur, *l. ſuo victu 18. ſup. de oper. libert. & l. 3. in principio. ſup. de ſuis & legitim. hered.* quoniam commoda iſta ſi comparentur cum jure illo, quod dominus habuit in libertum, antè quàm manumitteretur, nulla aut 7 8

per-

9 perquàm exigua ſunt, neq; etiam † quenquam ſpes ſucceſſionis locupletiorem facit, cùm ad irritum illa ſæpius cadat.

Ad §. ult.

¶ *Cùm de lucro duorum quæratur, melior eſt cauſa poſſidentis.*

Hujus §. ſententia continetur ſub iis, quæ ſcripſi *ad l. in eo quod 31. ſup. h. t.*

L. 127.

Paulus libro 20. ad Edictum.

¶ *Cùm Prætor in heredem dat actionem quatenus ad eum pervenit, ſufficit, ſi vel momento ad eum pervenit ex dolo defuncti.*

Et ſenſus hujus regulæ, & quod potiſſimùm eidem opponi poteſt, ſatis conſtat ex his, quæ notavi *ad l. heredem 59. ſup. h. t.*

L. 128.

Paulus libro 19. ad Edictum.

¶ *In pari cauſa poſſeſſor potior haberi debet.*

SUMMARIA.

1 *Poſſeſſor in pari cauſa prævalet ei, qui non poſſidet.*

2 *Rem unam eandemq́; ſi duo à diverſis non dominis emerint, præferetur is, qui eam rem poſſidet.*

3 *Delictum duorum cùm par eſt, poſſeſſor petitori præfertur.*

4. Po-

4 *Pecunia judici data in hunc finem, ut malè judicet, repeti ab ipſo non poteſt.*

5 *Turpitudinem ſuam prodere non decet.*

6 *Meretrix turpiter pecuniam ab amatoribus non accipit.*

7 *Dolus cum dolo compenſatur, ſi ex utraq; parte dolus admiſſus fuit.*

8 *Malitia cōmunis neutri præmio vel pœna eſſe debet.*

QUaliſcūq; poſſeſſor hoc ipſo, quòd poſſeſ-
ſor eſt, veluti loquitur Paulus *in l.2. ſup. uti*
poſſid. plus juris habet, † quàm ille, qui non poſ- 1
ſidet. Quod quidem regulariter verum eſt, pro-
indeque ex duobus, qui unam † eandemque 2
rem à diverſis non dominis emerunt, potiorem
haberi eum, qui eam rem poſſidet, teſtatur Ul-
pianus *in l. ſive autem 9. §. ſi duobus. ſup. de public. in*
rem action. ubi tamen hanc exceptionem anne-
ctit, ſecus ſe rem habere, ſi ab uno eodemque
non domino res vendita fuiſſet, quemadmo-
dum idipſum jam antè paulò plenius expoſui
ad l. in eo quod 33. ſup. h. t.

Neque in cauſis civilibus ſolùm hæc regula
attenditur, ſed in delictis quoque eandem ſibi
locum vendicare Ulpianus *in l. cum par delictum*
154. inf. h. t. diſertè docet, dum ait, cauſam poſſeſ-
ſoris meliorem haberi, † petitoremque ſem- 3
per onerari, cùm delictum duorum par eſt. Cu-
jus inſigne exemplum proponit Paulus *in l. 3.*
ſup. de condict. ob turp. cauſ. ubi † pecunia data ju- 4

dici, ut malè judicet, repeti ab eodem non poteſt, quòd utriuſq; & dantis & accipientis turpitudo hoc caſu verſetur, ac potior ſit is, qui eam accepit & habet. Eademque ratione nec à muliere repeti poteſt, quod ipſi datum eſt in eum finem, ut corporis ſui copiam faceret: Quamvis Labeo & Marcellus, teſte Ulpiano *in l.4.eod.tit.* pecuniam, quæ meretrici hoc nomine data eſt, ex eo fundamento repeti ab illa nolint, quòd is ſolùm, qui pecuniam in illicitum
5 iſtum finem meretrici dedit, † turpitudinem ſuam prodat: meretrix verò, etſi turpiter faciat, quòd eſt meretrix, turpiter tamen pecuniam
6 non † accipiat, cùm ſit meretrix. Simile exemplum notat Paulus *in l.ſi ſervum 91.§.ſequitur.ſup. de verbor. obligat.* ubi actor perſequi non poteſt damnum dolo rei datum, ſi & ipſe doli iſtius
7 reus ſit: quoniam dolus † cum dolo compenſatur, ſi ex utraq; parte dolum eſſe conſtiterit, *l.ſi duo 36.ſup. de dol.mal.* Itaq; actor exceptionẽ doli à reo ſibi oppoſitam replicatione hac ſubmovere non poteſt, ipſum Reum quoque ea in re do-
8 lo egiſſe: quòd iniquum ſit communem † malitiam petitori quidem præmio eſſe, ei verò cum quo ageretur pœnæ, quemadmodum ex Labeone refert Ulpianus *in l.4.§. Marcellus. ſup. de dol. mal. & met. except.*

Ad §.

Ad §. 1.

¶ *Hi qui in univerſum jus ſuccedunt, heredis loco habentur.*

Hujus §. intellectus dependet ex iis, quæ explicationi *l. heredem 59. ſup. h. t.* adſcripta ſunt.

L. 129.

Paulus libro 21. ad Edictum.

¶ *Nihil dolo creditor facit, qui ſuum recipit.*

Principio hujus l. ſatisfactum eſſe memini *ſub l. nullus videtur 55. ſup. h. t.*

Ad §. 1.

¶ *Cùm principalis cauſa non conſiſtit: ne ea quidem, quæ ſequuntur, locum habent.*

SUMMARIA.

1 *Principali non ſubſiſtente nec acceſſorium ſubſiſtit.*
2 *Acceſſorium cur aliquando ſubſiſtat, ubi principale non conſiſtit.*
3 *Fidejuſſoria obligatio acceßio eſt principalis obligationis.*
4 *Acceßio plus in ſe continere non poteſt, quàm eſt in re principali.*
5 *Dos exigi non poteſt, ubi nullum eſt matrimonium.*
6 *Acceßio quamvis re principali pretioſior fuerit, nihilominus tamen illi cedit.*

7 *Margarita auri ornandi gratia adhibita auro cedunt.*

8 *L. quicquid 27. §. ult. ff. de acquir. rer. dom. conciliatur cum l. cùm aurum 19. § perveniamus. ff. de aur. & argent. legat.*

9 *Principale quando ab acceſsione diſcerni non poteſt, hoc eſt, quando ſciri non poteſt, utrum principale vel acceſſorium ſit, tum ei, quod majoris eſt pretii, cedet id quod minus precioſum eſt.*

10 *Intellectus l. quid tamen. 10. ff. quib. mod. uſusfruct. amitt.*

11 *Uſusfructus fundi cur duret eo caſu, quando villa, cujus acceſsio fundus fuit, diruta eſt.*

12 *Juſiurandum, quod contractui acceſsit, firmum eſt, etiamſi contractus iſte invalidus fuiſſet.*

13 *Juſiurandum, quod ſine peccato ſervari poteſt, omnino ſervandum eſt.*

EAdem hæc regula *in l. cum principalis 178. inf. h. t.* iiſdem verbis repetitur, unica dictione *Plerunq;* excepta, quæ ibidem à Paulo interponitur, ut ſignificetur, regulare quidem hoc eſſe,
1 ut principali † non ſubſiſtente, nec acceſſorium ſubſiſtat: ſed tamen fieri aliquando, ut acceſſo-
2 rium locum habeat, etiamſi principale † non conſiſtat, tum videlicet ſi in ipſo acceſſorio ſpecialis aliqua ratio ſit.

Utriuſq;, & regulæ & exceptionis hujus exempla in jure paſſim ſunt obvia. Regulæ quidem exemplum extat *in l. ſi quis 37. ſup. de fidejuſſ.*
3 ubi Paulus negat fidejuſſorem † teneri, ſi debi-

tor principalis liberatus ſit : quoniam obliga-
tio fidejuſſorum acceſſio eſt principalis obliga-
tionis , † nec plus in acceſſione eſſe poteſt, 4
quàm in re principali, teſte Imp. Juſtiniano *in §.*
fidejuſſores. Inſtit. eod. Simile exemplum reperitur
in § penult. Inſtit. de nupt. ubi exactioni dotis locus
† non eſt, quando ipſum matrimonium non 5
conſiſtit : neq; enim dos ſine matrimonio eſſe
poteſt, *per l.3. ſup. de jur. dot.*

Quinimò acceſſio rei principali cedit, et-
iamſi † pretioſior iſta acceſſio fuerit. Unde mar- 6
garitæ † auri ornandi gratia adhibitæ cedunt 7
auro, quamvis auro pretioſiores ſint, *l. cum au-*
rum 19. §. perveniamus. ſup. de aur. & argent. legat. cui
non † obſtat *l. quicquid 27. §. ult. ſup. de acquir. rer.* 8
domin. ubi Pomponius ex ſententia Caſſii ait,
pro rei portione, vel pro precio cujuſq; partis
æſtimandum † eſſe, utra alteri cedere debeat: 9
quoniam precii tum demum habetur ratio,
quando portio rei dignoſci nequit, hoc eſt,
quando ſciri non poteſt, utra pars major ſit vel
minor, ſive utra ſit acceſſio vel res principalis.
Etenim acceſſio minor pars cenſetur, res prin-
cipalis major, quippe cujus augendæ vel ornan-
dæ cauſa illa adhibetur.

Exceptionis verò prædictæ exemplum ponit
Ulpianus † in principio *l. quid tamen 10. ſup. quib.* 10
mod. uſusfr. amittit. ubi villâ dirutâ, uſusfructus
fundi non extinguitur, licet † fundus villæ fu- 11
erit acceſſio. Cujus rei ratio voluntati teſtato-

ris adſcribenda eſt, qui hoc ipſo, quòd ſpecia- tim fundi uſumfructum legavit, voluiſſe cenſe- tur, legatarium fundo iſto uti frui debere, et- iamſi villa, in qua fundus ſit ſitus, diruta fuerit.

12 Sic juramentum, quod † contractui acceſſit, firmum eſt, etiamſi contractus aliâs non ſubſti- tiſſet, *l.1.C.ſi adverſ. vendit.* cujus ratio in jure Ca- nonico hæc redditur, quia omne juramentum, 13 quod † ſine peccato ſervari poteſt, præcisè ſervã- dum eſt, ut docet Alciatus *in c.cum contingat 28.n. 48.de jureiur.* Quibus addi poſſunt ea, quæ Ever- hardus Bronchorſt *in aſſertione 93.cent.4. ἐναντιο- φανῶν* tradit.

L. 130.

Ulpianus libro 18. ad edictum.

¶ *Nunquam actiones, præſertim pœnales, de ea- dem re concurrentes, alia aliam conſumit.*

Hujus l. interpretationem adjunxi iis, quæ de ſenten- tia *l.nemo ex his 43.§.1.ſup.h.t.* dicenda erant.

L. 131.

Paulus libro 22. ad Edictum.

¶ *Qui dolo deſierit poſſidere, pro poſſidente da- mnatur: quia pro poſſeſſione dolus eſt.*

Regulæ hujus explicatio adhæret iis, quæ de dolo ſunt tradita, *ſub l.contractus 23.ſup.h.t.*

L. 132.

L. 132.
Gajus libro 7. ad Edictum provinciale.

¶ *Imperitia culpæ adnumeratur.*

Quid hæc regula ſibi velit, ſatis demonſtrabunt exempla, quæ ad *l. ferè in omnibus 108. ſub initium ſup. h. t.* notavi.

L. 133.
Gajus libro 8. ad Edictum provinciale.

¶ *Melior conditio noſtra per ſervos fieri poteſt: deterior fieri non poteſt.*

SUMMARIA.

1 *Conditionem alterius meliorem quidem quivis facere poteſt, ſed non deteriorem.*
2 *Servus domini ſui conditionem deteriorem facere non poteſt.*
3 *Lædere alterum nemo debet.*
4 *Servi dominis ideò ſubjecti ſunt, ut iis acquirant.*
5 *Acquirere non dicitur, qui rem deteriorem facit.*
6 *L. ex qua perſona. 149. ff. h. t. conciliatur cum l. melior. 133. ff. eod.*
7 *Lucrum alicujus qui capit, ejus & damnum ſentire debet.*
8 *Contrariorum eadem eſt diſciplina.*
9 *Damnum non ſequitur lucrum, quando utriusq; ratio diverſa eſt.*

10 *Diverſitatis rationem generatim allegare non ſufficit, niſi in ſpecie illa exponatur.*

11 *Servus deteriora facere non poteſt ea, quæ domino quæſita ſunt.*

12 *Jus quæſitum ne ſummus quidem princeps cuiquam auferre poteſt.*

13 *Servus quatenus domino nocere poſſit in iis, quæ ipſi acquirenda ſunt.*

14 *Dominus ea, quæ ſervus geſſit, ſi necitura ſibi viderit, in totũ vel probare, vel improbare debet.*

15 *Negocium geſtum pro parte probari, & pro parte improbari non poteſt.*

16 *Dominus cur peculiotenus ex contractu ſervi teneatur?*

17 *Actio noxalis an conditionem dominorum deteriorem faciat?*

18 *Dominus liberatur ſi ſervum noxa dederit.*

19 *Domini conditionem deteriorem factam eſſe jura non dicunt tum, quando ſervum, vel animal noxa dederit.*

QUivis naturali ſimul & civili ratione con-
1 ditionem alienam † meliorem quidem fa-
cere poteſt, ſed non deteriorem, ut refert Ga-
jus *in l. ſolvendo 39. ſup. de negot. geſt.* Idq; idem Ga-
jus hoc loco ſpeciatim de ſervo reſpondit,
2 quòd videlicet domini † ſui conditionem de-
teriorem facere non poſſit, quamvis illa melior
per ipſum fieri poſſit, id quod Impp. Severus &
Antoninus quoq; *in l. 3. C. de pact.* reſcripſerunt:
tum

tum quòd alteri per † alterum iniqua conditio 3
inferri non debet, *l. non debet 74. ſup. h. t.* tum verò quòd ſervi jure gentium in eum maximè finem dominis ſuis † ſubjecti ſunt, ut ipſis inſer- 4
viant & acquirant, *per § item vobis. Inſtit. per quas perſon. cuiq. acquir.* in numero autem † acqui- 5
rentium eſſe nõ poteſt, qui conditionem ejus, cui acquirere debebat, deteriorem facit, argumento *§ item inutilis. Inſtit. de inutil. ſtipulat.* Verùm huic obſtare † videtur *l. ex qua perſona 149.* 6
inf. h. t. quæ jacturam, ſi quam ſervus facit, ad dominum æquè refert, atq; † lucrum, quod omne 7
per ſervum domino acquiritur, *l. etiam invitis 32. ſup. de acquir. rer. domin.* præſertim cùm aliàs quoq; † contrariorum eadem diſciplina eſſe ſo- 8
leat, *l. 1. in pr. ſup. de his, qui ſui vel alien. jur ſunt.* Dubium hoc Johan. Sichardus *ad d. l. 3. n. 2.* movet, atq; aliter non diſſolvit, quàm quòd hìc in damno † & lucro manifeſta ſit diverſitatis ratio, 9
atq; iccirco etiam mirum non ſit, ſi contrariorum diſpar diſpoſitio fuerit. Sed cùm ſolutio hæc nimis † generalis ſit, nec prætentam diver- 10
ſitatis rationem in ſpecie exponat: paulò ſpecialius iſta diſcrepantia diſſolvenda erit: Diſſolvi autem, meo judicio, commodius vix poterit, quàm ſi ea, quæ domino jam antè utiliter quæſita ſunt, diſcernantur ab iis, quæ ipſi adhuc per ſervum acquirenda ſunt. Ea namque, quæ domino quęſita ſunt, ſervus † poſtea immi- 11
nuere ac deteriora facere non poteſt: ſiquidem

82 ratio juris non patitur, ut cuiquam jus † quæſitum vel à ſummo principe infringatur, *per l. 2. § meritò. ſup. ne quid in loco publ. vel itin. fi.* In iis verò, quæ domino adhuc acquirenda ſunt, ſervus
83 † quidem ipſi incommodare poteſt, ſed ita, ſi in ipſo negotio, & non ex intervallo quid fecerit, ex quo dominus lædi poſſit: quamvis hoc caſu
84 dominus negotium à ſervo † geſtum in totum probare vel improbare poſſit. In totũ inquam,
85 quoniam ipſi non licet negotium illud † eatenus probare, quatenus ſibi expediat, idemq́ue improbare pro iſta parte, qua obſit. Quòd verò dominus ex contractu ſervi de peculio tenetur, juxta *l. 1. § ſi cum impubere. & tot. tit. ſup. de pe-*
86 *cul.* id præſenti huic regulæ ſimiliter † non adverſatur: quia domini potius voluntate, quàm facto ſervi hoc fieri intelligitur: ſibi enim dominus imputet, quòd ſervo peculium habere, eoq́; liberè negotiari permiſit: cumq́; lucrum ex iſta negotiatione ſibi obventurum ſperet, eſt quòd damnum quoque inde datum æquo animo ferat, *per l. ſecundum 10. ſup. h. t.*

Deniq; non obſtat, quòd dominus ex delictis
87 ſervorum † noxali actione tenetur, veluti videre eſt *ex l. 1. & tot. tit. ſup. de noxalib. action.* quoniam conditio domini deterior inde non fit, cùm non præcisè damnum à ſervo datum reſar-
88 cire cogatur, ſed liberetur, ſi † noxæ illum dederit, *d. l. 1.* Ac licet domini conditio eatenus fiat deterior, quatenus ſervo ſuo carere cogi-

tur: tamen incommodum illud perinde ha-
bendum eſt, ac ſi brutum aliquod animal pau-
periem feciſſet: nam & tum dominus libera-
tur, ſi animal noxæ dederit, *l. 1. in princip. ſup. ſi*
quadrup. pauper. feciſ. dicat. nec tamen hoc caſu do-
mini † conditionem per animal iſtud deterio- 19
rem factam eſſe quiſquam dixerit.

L. 134.

Ulpianus libro 21. ad Edict.

¶ *Non fraudantur creditores, cùm quid non acquiritur à debitore: ſed cùm quid de bonis deminuitur.*

Bulgarus regulam hanc ſumptam eſſe ait ex edicto Prætoris, quæ in fraudem creditorum facta ſunt, &c. idq́; verum eſſe ſatis evincunt ea, quæ *ad l. non alienat. 119. ſup. h. t.* adſcripſi.

Ad § 1.

¶ *Nemo ex ſuo delicto meliorem ſuam conditionem facere poteſt.*

Summaria.

1 *Præmium ejus ferre nemo debet, quod pœnam meretur.*

2 *Dos marito promiſſa, ſi uxor deceſſerit, repeti ab illo per heredes uxoris poteſt tum, quando uxorem interemerit.*

3 *Lucrifacere ex delicto non convenit.*

4 Socius

4 *Socius invitis ſociis ſeſe ſocietate abdicans ratione damni duntaxat ſocius manet.*

5 *Actio furti malæ fidei poſſeſſori non datur.*

CONſentaneum juri non eſt, ut quis ex eo
1 † præmium ferat, quod pœnam meretur.
Cujus exemplum perquàm illuſtre ex Proculo proponit Pomponius *in l. ſi ab hoſtibus 10. § 1. ſup. ſol. matrim. quemad. dos pet.* ubi heredes mulieris, quæ à marito occiſa eſt, dotem exigere indiſtinctè jubentur. Quocirca dos iſta, etiam ſi
2 ex pactione antè facta poſt † uxoris obitum penes maritum remanere debuiſſet, lucro mariti
3 non cedit: quòd æquum non ſit, virum † ob facinus ſuum dotem lucrifacere.

Eandemq; ob cauſam Paulus *in l. actione 65. §. dicimus. ſup. pro ſocio.* ſocium, qui inconſultis, ad-
4 eoq; invitis ſociis ſuis ſeſe ſocietate † abdicavit in iis, quæ ſociis lucrum adferunt, ſocietatis jure gaudere negat, & ſaltem in damnis, quæ ex ſocietate proveniunt, iſtiuſmodi ſocium manere ſtatuit. Neq; ab hoc alienum eſt, quòd Ulpianus *in l. itaq; fullo 12. § 1. ſup. de furt.* actionem
5 † furti denegat malæ fidei poſſeſſori, quamvis ejus rem non ſurripi interſit.

L. 135.

Ulpianus libro 23. ad Edictum.

§ *Ea, quæ dari impoſſibilia ſunt, vel quæ in rerũ natura non ſunt, pro non adjectis habentur.*

Sum-

SUMMARIA.

1 *Impoſsibile acceſſoriè in contractum deductum pro non adjecto habetur.*

2 *Obligationem principalem impoſsibile acceſſoriè adjectum non viciat.*

3 *Intellectus l. ſi ita ſtipulatus. 97. ff. de verbor. obligat.*

4 *Inutilis adjectio obligationem utilem non viciat.*

5 *L. ſi homo. 69. ff. de verb. obligat. conciliatur cum l. ſi ita ſtipulatus. 97. ff. eod.*

6 *Homo mortuus vi ſtipulationis dari non poteſt.*

7 *Obligationis inutilis utilis acceſsio eſſe non poteſt.*

8 *Stipulatio utilis per alteram ſtipulationem inutilem non vitiatur tum, quando neutra alterius acceſsio eſt.*

9 *§ ſi impoſsibilis. Inſtit. de inutil. ſtipulat. conciliatur cum l. ſi ita ſtipulatus. 97. ff de verb. oblig.*

10 *Conditio impoſsibilis obligationem vitiat.*

11 *Impoſsibilis conditio contractum, cui adſcripta eſt, tum infirmat, quando in faciendo illa conſiſtit.*

12 *Contractus unius conſenſu non perficitur.*

13 *Voluntas omnium attendi debet ea in re, quæ plurium conſenſu acta eſt.*

14 *Impoſsibilis conditio cur legata, eaq́; quæ ex teſtamento dependent, non viciet?*

15 *Teſtator non præſumitur ſuo teſtamento quid adjectum voluiſſe, ex quo ultima ſua voluntas impugnari poſsit.*

16 *Teſtamenta pleniorem interpretationem recipiunt.*

17 Con-

17 *Conditio impoſſibilis, quæ in non faciendo conſiſtit, contractum, cui adjicitur, non viciat.*

18 *Promiſſum ſub conditione impoſſibili, quæ in non faciendo conſiſtit, ſtatim peti poteſt.*

19 *Conditionis impoſſibilis, quæ in faciendo conſiſtit, dies nec cedere, nec venire unquam poteſt.*

20 *Contractus initus ſub conditione impoſſibili, quæ in non faciendo conſiſtit, perinde habetur, ac ſi purus & in diem præſentem conceptus eſſet.*

21 *Neceſſarium dicitur id, cujus contrarium eſt impoſſibile.*

1 ULpianus in hac l. nihil aliud ſibi vult, † quàm quòd impoſſibile, ſi acceſſione in contractum deductum ſit, perinde haberi debet,
2 ac ſi adjectum non fuiſſet. Cui conſequens eſt, quòd nec principalis obligatio inde contracta vicietur. Cujus exemplum præbet Celſus in
3 † principio *l. ſi ita ſtipulatus 97. ſup. de verbor. obligat.* ubi ſtipulatus quis eſt ſeſe ſiſti, & niſi ſtiterit, hippocentaurum dari: hæc adjectio planè inutilis eſt, quippe quæ continet ſtipulationem ejus rei, quæ per naturam dari non poteſt: unde perinde illa erit, ac ſi appoſita non eſſet, & ſolummodò ſeſe ſiſti ſtipulatus ille fuiſſet: ne in-
4 utilis † adjectio utilem obligationem principalem viciet, contra quàm expreſſum eſt *in c. utile 37. de regul. jur. in 6.* cui conſentit quoq; *l. ſancimus*
5 *34. C. de donat.* Verùm huic adverſari † videtur *l. ſi homo. 69. ſup. de verbor. oblig.* ubi ſtipulatio prorſus

ſus inutilis dicitur, ſic ut nec pœna poſſibilis adjecta peti poſſit ab eo, qui hominem mortuum ſtipulatori dare promiſit, & niſi dederit, pœnæ nomine decem condixit. Reſpondeo, Ulpianum *in oppoſita l. ſi homo.* loqui de ejuſmodi caſu, quando principalis obligatio eſt inutilis: veluti homo † mortuus vi ſtipulationis 6
dari non potuit, quia in rerum natura eſſe deſiit: ideoq́; licet poſſibilis ſit obligatio acceſſoria, atque decem pœnæ nomine promiſſa dari poſſint: hanc tamen obligationem inutilem eſſe oportet, propterea quòd inutilis † obligatio- 7
nis utilis acceſſio eſſe nequit, argumento *l. cum principalis 178. inf. h. t.* ſecus ſe res habet, ſi principalis obligatio ſit utilis, ea verò quæ adjicitur, ſive acceſſoria, inutilis: nam tum principalis obligatio, ut antè dixi, per acceſſoriam non viciatur, idq́; traditum etiam eſt à Paulo *in l. ſi ita ſtipulatus 126. §. ult. ſup. de verb. obligat.* Quemadmodum & tum, quando † duæ occurrunt ſti- 8
pulationes, quarum neutra alterius acceſſio dici poteſt, ea, quæ utilis eſt, per alteram inutilem non infirmatur, per textum *in l. 1. §. pen. eod. tit.* Neq; cum his pugnat *§. ſi impoſſibilis. Inſtit. de inutil. ſtipul.* † ubi Imp. Juſtinianus ait, ſtipulatio- 9
nem nihil valere, ſi † conditio impoſſibilis ob- 10
ligationibus adjiciatur: quoniam loquitur Juſtinianus de conditione impoſſibili, ſub qua ſtipulatio contracta eſt: at prædicta reſpiciu nō ſaltem impoſſibile, quod purè in ſtipulatione tra

ded

deductum eſt. Jam verò aliud eſt impoſſibile purè in ſtipulatum deduci, aliud ſub conditione impoſſibili ſtipulationem contrahi. Impoſſibile enim, quod in ſtipulatum purè, ſed tamen acceſſoriè deductum eſt, obligationem principalem non infringit, ſed, ut modò dixi, pro non adjecto habetur: conditio verò impoſſibilis ſtipulationem, cui adſcripta eſt, invalidam reddit, ſed ita, ſi in faciendo conſiſtat: veluti ſi ſtipulatio ſic contracta ſit: ſi digito cœlum tetigero, decem mihi dare ſpondes, *l. impoſſibilis 7. eod.*

Nec ſtipulationem modò hujuſmodi condi-
11 tio † impoſſibilis, quæ in faciendo conſiſtit, viciat: ſed reliqui etiam contractus per ejus adjectionem infirmantur, *l. non ſolùm 31. ſup. de oblig. & action.* ubi ſimul Marcianus hanc rationem reddit, quòd ea in re, quæ ex duorum pluriúmve conſenſu agitur (ſicuti fit in contractibus,
12 quippe qui non unius, ſed † duorum pluriúm-
13 ve conſenſu perficiuntur) omnium † voluntas ſpectetur, quorum procul dubio in hujuſmodi actu talis cogitatio eſt, ut nihil agi exiſtiment, appoſita ea conditione, quam impoſſibilem eſſe ſciunt.

Atq; ex hac ratione reſolvi quoque poteſt dubium, quod exoritur ex *§. penult. Inſtit. de he-*
14 *red. inſtit.* ubi conditio impoſſibilis † nec legata, nec fideicommiſſa, nec heredum inſtitutiones, quibus eſt adſcripta, viciat, ſed pro non ſcripta habetur. Neq; enim, quemadmodum contrahentes

hentes, qui conditionem, quam impoſſibilem eſſe ſciunt, contractui apponunt, nihil quicquam agere voluiſſe præſumuntur: ita etiam teſtator † ſuo teſtamento quid adjicere voluiſſe præſumitur, ex quo judicium ipſius ſupremum impugnari poſſit, *per l.3.ſup.de teſtam. milit.* Quam ob cauſam quoq; paſſim jura exigunt, ut in teſtamentis † plenior adhibeatur interpretatio, quò teſtantium voluntates exitum ſortiri queant, veluti patet ex iis, quæ ad *l. in teſtamentis 12.ſup.h.t.* notata ſunt. 15 16

Dixi eam demum conditionem impoſſibilem contractum viciare, quæ in faciendo conſiſtit. Nam quæ conſiſtit † in non faciendo, ut, 17
ſi quis decem ſibi dari ſtipuletur, ſi digito cœlum non tetigerit, ea ſtipulationem uſq; adeò inutilem non reddit, ut ſtatim etiam peti poſſit, quod ſic † promiſſum eſt, quemadmodum 18
docet Imp. Juſtinianus *in fine d. §. ſi impoßibilis*, itemq; Ulpianus *in d. l. impoßibilis.* cujus diverſitatis ratio hæc eſt, quia contractus conceptus ſub conditione † impoſſibili conſiſtente in fa- 19
ciendo, ſub ejuſmodi conditione conceptus eſt, cujus dies nunquam cedere & venire poteſt. Neq; enim unquam fieri poteſt, ut quis digito cœlum tangat. At verò contractus conceptus ſub conditione † impoſſibili quæ in non 20
faciendo conſiſtit, etſi ſub conditione conceptus dicitur, revera tamen purus eſt, & in diem præſentem conceptus intelligitur, cùm e-

jus contrarium ſit impoſſibile. Exempli gratia, qui contractum iniit ſub hac conditione, ſi digito cœlum nõ tetigerit, is purè contraxiſſe intelligitur, quoniam ejus contrarium, videlicet, digito cœlum tangere, prorſus eſt impoſſibile. Neceſſarius itaq; erit contractus hic initus ſub hac conditione, ſi digito cœlum non tetigerit:
21 cùm † neceſſarium dicatur id, cujus contrarium eſt impoſſibile, quemadmodum Accurſius *in d. l. impoßibilis. ad verb. non aſcenderit.* exponit.

L. 136.

Paulus libro 18. ad Edictum.

¶ *Bona fides tantundem poſſidenti præſtat, quantum veritas, quoties lex impedimento non eſt.*

Summaria.

1 *Bona fides poßidenti inſtar domini eſt.*

2 *Bonæ fidei poſſeſſor rem, quam ignorans à non domino accepit, non ſecus actione Publiciana perſequi poteſt, ac ſi ejus dominus factus eſſet.*

3 *Actio Publiciana rei vendicationi æquipollet.*

4 *Rei vendicatio nulli alii quàm domino datur.*

5 *Bonæ fidei poſſeſſor omnes fructus, tàm naturales, quàm induſtriales ſuos facit.*

6 *Bonæ fidei poſſeſſor nõ ſemper loco domini habetur.*

7 *Furtivæ res per l. 12. tabul. uſucapi non poſſunt, tametſi longo tempore bona fide poſſeſſa ſint.*

8 *Res vi poſſeſſa uſucapi non poteſt.*

Bona

BOna fides, ait Paulus hic, tantundem † poſ- 1
ſidenti præſtat, quantum veritas, hoc eſt, ipſum dominium. Cujus inſigne documentum ſtatutum eſt in eo, qui ante completam uſucapionẽ amiſit poſſeſſionem ejus rei, quam ex juſta acquirendi dominii cauſa ignorans acceperat ab eo, qui ejus dominii transferendi jus non
habuit. Hic enim per actionem † Publicianam 2
perinde eam rem perſequitur, atque ſi ejus dominus factus eſſet, ut habet *§. namq; ſi cui. Inſtit. de action.* Unde etiam Ulpianus *in l. ſed etſi 7. §. in Publiciana. ſup. de public. in rem act.* ſcribit, in Pu-
bliciana † actione omnia eadem eſſe, quæ & in 3
rei vendicatione: quam ei demum competere,
qui † aut gentium, aut civili jure dominium 4
acquiſivit, teſtis eſt Paulus in principio *l. in rem 23. ſup. de rei vendicat.*

Quin etiam bonæ fidei poſſeſſor † omnes 5
omninò fructus, tàm naturales quàm induſtriales ſuos facit, non ſecus ac ſi rei, ex qua fructus percepti ſunt, dominus eſſet, *l. qui ſcit 25. §. 1. & l. in pecudum 28. in principio: ſup. de uſur.* quibus adſtipulatur etiam principium *l. bonæ fidei. 48. ſup. de acquir. rer. domin.* Veruntamen ne quis opinetur
bonæ fidei poſſeſſorem † in omnibus loco do- 6
mini haberi, ideò Paulus præſenti huic regulæ annectit hæc verba, *Quoties lex impedimento non eſt*, quibus ſignificat fieri aliquando, ut, qui bona fide rem nactus eſt, dominium tamen illius per leges acquirere non poſſit. Sic res furtivæ

7 † nec ſi longo tempore bona fide poſſeſſæ fuerint, per *l.12. tabul.* uſucapi poſſunt: Ac quò mi-
8 nus res † vi poſſeſſa uſucapiatur, l. Plautia & Julia facit, ſicut videre eſt *ex §. furtivæ quoq;. Inſtit. de uſucapion.*

L. 137.

Ulpianus libro 25. ad Edictum.

§ *Qui autore judice comparavit, bonæ fidei poſſeſſor eſt.*

SUMMARIA.

1 *Bona fide poßidetur & id, quod magiſtratus cuipiam aßignavit.*

2 *Aliena res ſi per errorem, quaſi communis, à judice cuipiam adiudicata ſit, bona ſide poßidetur.*

3 *Judex quod cuipiam adjudicat, id bona ſide poßidetur.*

4 *Legatæ res autore judice emptæ emptori auferri non poſſunt, quando in eum finem emptæ ſunt, ut teſtatori ex pretio funus fieret.*

5 *Melius eſt quempiam non lucrari, quàm alterum damno affici.*

REgulæ huic conſentit *l. juſtè. 11. ſup. de acquiren. vel amitt. poſſeß.* Utraq; enim docet, bo-
1 na fide † poſſideri & illam rem, quam judex ſive magiſtratus cuipiam aſſignavit. Unde ſi de rebus alienis, quaſi communibus judicio communi dividundo per errorem actum ſit, uniq; judex

judex rem adjudicaverit, dominum quidem ipſum non facit, ſed tamen † juſtam poſſeſſionis cauſam ei tribuit, ſic, ut fructus inde perceptos ſuos facere, ac, ut quivis alius bonæ fidei 2
poſſeſſor uſucapere tandem poſſit id, quod ex iſta † judicis adjudicatione poſſidere cœpit, *l. ſi per errorem 17. ſup. de uſucap.* Simile exemplum extat *in l. etſi quis 14. § 1. ſup. de religioſ. & ſumpt. funer.* 3
ubi Ulpianus emptorem rerum alteri legatarum bonæ † fidei poſſeſſorem pronunciat, ſi autore judice eas in eum finem emit, ut teſtatori ex iſto pretio funus fieri poſſet. Atq; hinc 4
ipſi illas auferri non vult, quòd † melius ſit legatarium non lucrari, quàm emptorem damno affici. 5

L. 138.

Paulus libro 27. ad Edictum.

¶ *Omnis hereditas, quamvis poſtea adeatur, tamen cum tempore mortis continuatur.*

Summaria.

1 *Hereditas non ſemper à morte teſtatoris ſtatim aditur.*

2 *Hereditas etiam ex intervallo adita cum tempore mortis continuatur.*

3 *Heredum jura perinde habentur, ac ſi continuò ſub tempus mortis heredes extitiſſent.*

4 *Fructus jacente hereditate ex rebus hereditariis collecti heredi cedunt.*

5 *Negotiorum geſtor heredem convenire poteſt, quando jacente hereditate negotium geſſit.*

6 *Vſucapionis tempus, quod aditam hereditatem anteceſſit, heredi proficit.*

7 *Dictio* Ferè, *notam exceptionis demonſtrat.*

8 *Poſſeſſio defuncti ad heredem non antè devolvitur, quàm ab ipſo apprehenſa ſit.*

9 *L. cum miles 30. ff. ex quibus cauſ. major. in integ. reſtit. conciliatur cum principio l. cum heredes 23. ff. de acquir. vel amitt. poſſeſſ.*

10 *Tempus, quo defunctus poſſedit, etiam heredi proficit tum, quando de uſucapione agitur.*

11 *Poſſeſſio defuncti extra caſum uſucapionis heredi non prodeſt.*

SÆpenumerò fit, ut hereditas ejus, qui diem
1 ſuum obiit, ſtatim † ab ipſius morte non adeatur, ſed aliquandiu jaceat. Unde dubitari poſſit, cujus lucro tum partus ancillarum, fœtus pecorum, reliquiq; fructus interim percepti cedant? Dubium hoc Paulus per præſen-
2 tem hanc regulam tollit, dum ait, omnem † hereditatem, quamvis poſtea adeatur, tamen cum tempore mortis continuari, ſive, ut Celſus interpretatur, in *l. omnia 193. inf. h. t.* omnia ferè jura
3 † heredum perinde haberi, ac ſi continuò ſub tempus mortis heredes extitiſſent. Unde ſatis colligitur, fructus accommoda univerſa interim percepta hereditatem augere, atque inde
4 † ad heredem, poſteaquam re deliberata is hereditatem adiit, devolvi: quòd heres hoc caſu

perin-

perinde habeatur, ac ſi ſtatim à morte teſtatoris hereditatem adiiſſet: id quod Florentinus quoque refert *in l. heres. 54. ſup. de acquirend. vel omitt. hered.* Hujus inſigne exemplum refertur ab Ulpiano *in l. 3. § hæc verba. ſup. de negot. geſt.* ubi is, qui jacente hereditate † negotium geſſit, heredem 5
eo nomine convenire poteſt, quamvis neq; teſtatoris jam defuncti, neque heredis, qui hereditatem nondum adiit, negotium geſſiſſe videatur. Eandemque ob cauſam ſi defunctus quid uſucapere cœpiſſet, tempus, † quod ante adi- 6
tam hereditatem interceſſit, heredi quoq; proficit, quaſi defuncto jam tunc à morte ſucceſſiſſet, *l. nunquam 31. § penul. ſup. de uſucap.*

Cæterùm quòd Celſus *in d. l. omnia.* particulam † *Ferè* interponit, hoc ipſo ſignificat, regu- 7
lam hanc uſquequaque firmam non eſſe, ſed ſuas quoq; habere exceptiones, è quibus hæc nõ eſt minima, quòd poſſeſſio defuncti † ad heredẽ 8
antè non transfertur, quàm ab eo naturaliter apprehenſa fuerit, *l. cum heredes 23. in princ. ſup. de acquir. vel amitt. poſſeſ.* eodemq; pertinet *l. 2. § 1. ſup. expil. hered.* Neq; huic adverſatur † principium 9
l. cum miles 30. ſup. ex quibus cauſ. maj. in integ. reſtit. ubi poſſeſſio defuncti quaſi juncta deſcendere dicitur ad heredem, hereditate etiam necdum adita: quoniam textus iſte loquitur de uſucapione, quæ ut citius compleatur, defuncti quoque poſſeſſio ad heredem deſcendit, † hoc eſt 10
tempus, quo defunctus poſſedit, etiam heredi

proficit antè, quàm corpore res hereditarias
11 apprehenderit: Extra hunc caſum † heres poſſeſſione defuncti non gaudet, id quod Cujacius etiam ad finem *l. in ſuis 11. ſup. de liber. & poſthum. hered. inſtit.* notat.

Ad §. 1.

§ Nunquam creſcit ex pòſt facto præteriti delicti æſtimatio.

Summaria.

1 *Delicti commiſſi æſtimatio ex eo, quod pòſt accedit, augeri non debet.*

2 *Vulnerans quempiam non lethaliter, l. Aquilia ſaltem tenetur, etiamſi vulneratus negligentiâ Medici vel ſua ipſius incuria perierit.*

3 *Furti pœna non augetur ex eo, quòd precium rei ſurreptæ poſtea crevit.*

4 *Furtivæ rei precium ex eo, quòd ſæpius à fure illa contrectata fuit, non augetur, dummodò contrectatio iſta facta ſit eo tempore, quo res penes furem manſit.*

5 *Delictis creſcentibus pœna queq; exaſperari debent.*

6 *Furta iterata gravius puniuntur.*

1 Æſtimatio ſive pœna delicti † commiſſi augeri non debet ex eo, quod poſtea accidit. Cujus exemplum extat *in l. qui occidit. 30. § ult. ſup. ad l. Aquil.* ubi is, qui ſervum non lethaliter vul-
2 neravit, de vulnerato † tantùm tenetur, non de occiſo,

occiſo, etiamſi ſervus iſte negligentiâ Medici vel ſua ipſius incuria perierit. Neque enim ex negligentiâ vel incuriâ pòſt interveniente creſcere delicti perpetrati pœna debet. Simile exemplum notat Pomponius in principio *l. ei qui furti 9. ſup. de furt.* ubi negat pœnam † furti auge- 3
ri ex eo, quòd vel pretium rei ſurreptæ poſteâ crevit, vel res ipſa ſæpius à fure contrectata eſt. Quod tamen ita accipi debet, ſi contrectata † il- 4
la res fuerit ſæpius eo tempore, quo penes furem manſit. Nam ſi ad dominum illa redierit, vel ab alio quopiam bona fide pòſt accepta, ſed ab eodem fure rurſus ſurrepta ſit, dubium non eſt, quin pœna furti denuò plecti debeat: præſertim cùm jura pœnas † delictorum aggravari 5
velint, ſi ſæpius illa committantur, ut patet ex *l. capitalium 28. §. ſolent. ſup. de pœn.* idq; in ſpecie de iteratis † furtis ſtatutum eſt in Carolina ordi- 6
natione criminali, *ſub articulo 161. & ſequenti.*

L. 139.

Gajus libro ad Edictum Prætoris Urbani.

§ *Omnes actiones, quæ morte, aut tempore pereunt, ſemel incluſæ judicio ſalvæ permanent.*

Principium hujus L. ſatis intelligitur ex iis, quæ *ad L. non ſolet 86. ſup. h. t.* adſcripta ſunt.

Ad §. 1.

¶ *Non videtur perfectè cujuſq; id eſſe, quod ex caſu auferri poteſt.*

SUMMARIA.

1 *Caſus vocabulum aliquando vim majorem, vel caſum fortuitum denotat.*

2 *Caſus in l. omnis hereditas 139. § 1. ff. h. t. quid ſignificet?*

REgulæ hujus intellectum planum faciunt exempla iſta, quæ *in l. id quod noſtrum 11. ſup. h.t.* ſub initio propoſita ſunt, ex quibus hoc ſi-
1 mul elucet, caſum, cujus hîc fit mentio, ad † caſum fortuitum vel vim majorem referendum
2 non eſſe, ſed intelligi debere de ſimplici † ac naturali rei eventu, qui vel ex contractu, vel ultima voluntate pendet.

L. 140.

Ulpianus libro 56. ad edictum.

¶ *Abſentia ejus, qui Reipublicæ cauſa abeſt, neq; ei, neq; alii damnoſa eſſe debet.*

SUMMARIA.

1 *Reipublicæ cauſa qui abeſt, nec ſibi nec aliis damno eſſe poteſt.*

2 *Abſens Reipublicæ cauſa in integrum reſtituitur, ſi per id tempus, quo abeſt, res ipſius uſucapta vel imminuta ſit.*

3 Alterius

3 *Alterius res is, qui Reipublicæ cauſa abeſt, uſucapere vel imminuere non poteſt.*

4 *Officium publicum nemini vel damno vel emolumento eſſe debet.*

5 *Reipublicæ cauſa quinam abeſſe dicantur?*

QUi Reipublicæ cauſa † abeſt, is nec ſibi, necalii, damno eſſe poteſt. Sibi quidem 1
damno non eſt, quoniam in integrum † reſti- 2
tuitur, ſi res ipſius interea dum abeſt, vel uſucapta, vel diminuta ſit. Alii verò damno eſſe † non 3
poteſt, quia Prætor ei quoque ſuccurrit, cujus rem abſens iſte interea uſucepit, vel alio modo imminuit: hoc namque caſu domino iſtius rei permittitur, ut ſi abſens redierit, reſciſſa uſucapione, vel, ſi alio modo res imminuta ſit, remoto obſtaculo, eam rem, vel ejus refectionem petat, *§. rurſus. Inſtit. de action. & l. item ait Prætor 21. in princ. ſup. ex quibus cauſ. major. in integr. reſtit.* Nec enim cuiquam † officium publicum vel damno 4
vel compendio eſſe debet, ut refert Africanus *in l. videlicet 29. eod. tit.* Cæterùm Reipublicæ † cauſa is ſolus abeſſe intelligitur, qui non ſui 5
commodi cauſa, ſed coactus abeſt, & vel publicâ legatione fungitur, vel expeditione militari occupatus eſt, *l. milites. 7. & l. qui mittuntur 35. cum ſeq. eod. tit.*

L. 141.

Paulus libro 54. ad Edictum.

§ Quod

§ *Quod contra rationem juris receptum eſt, non eſt producendum ad conſequentia.*

SUMMARIA.

1 *Receptum contra rationem juris illud dicitur, quod ſingulariter ob gravem aliquam cauſam conſtitutum eſt.*

2 *Privilegia jure ſingulari ob certam utilitatem inducta ſunt.*

3 *Privilegia producenda non ſunt ad illas perſonas, quarum privilegiorum iſtorum tenor non meminit.*

4 *Mulier quando dotem vindicat, omnibus mariti creditoribus, etiam his, qui expreſſam hypothecam anteriorem habent, præfertur.*

5 *Mulieris heredes privilegio dotis non gaudent.*

6 *Mariti heredes extranei ſolidam dotem mulieri, vel ejus heredibus reſtituere tenentur.*

7 *Maritus amplius quàm facere poteſt, reſtituere non tenetur.*

8 *Poſſeſſio ignoranti domino ex ſola peculii cauſa per ſervum acquiri poteſt.*

9 *Neceſſitas licitum quid facere poteſt, quod aliâs eſt illicitum.*

10 *Cibaria in commune conferenda ſunt, ſi in navigatione illorum penuria ſit.*

11 *Neceſſitas famis facit, ut pater liberos vendere poſſit.*

12 *Liberi extra neceſſitatem famis à patre vendi non poſſunt.*

Prin-

PRincipium hujus l. iiſdem omnino verbis traditur *in l. quod verò 14. ſup. de legib.* Illud autem contra rationem † juris receptum eſſe dicitur, quod ſingulariter ob evidentem aliquam 1
utilitatem vel neceſſitatem conſtitutum eſt, *l. jus ſingulare 16. eod. & l. quæ propter 162. inf. h. t.* ſic jure ſingulari propter † certam utilitatem in- 2
ducta ſunt privilegia, quæ iccirco ad conſequentia, aliasq; perſonas, † quarum tenor iſto- 3
rum privilegiorum non meminit, produci non debent, veluti patet ex iis, quæ ſcripſi *ad l. in omnibus 68. ſup. h. t.* Ubi hoc ipſum illuſtravi exemplo mulieris dotem vindicantis. Etſi enim hæc privilegium hujuſmodi habet, ut præferatur omnibus mariti creditoribus, etiam his, qui † expreſſam hypothecam anteriorem habent, 4
ſicut tàm ex obſervatione Mynſingeri, quàm certis juris textibus eò loci hoc evici: privilegium tamen hoc ad ipſius † mulieris heredes 5
non extenditur, per reſcriptum Impp. Severi ac Antonini, *in l. unic. C. de privileg. dot.* cùm privilegium illud contra jus ſit, ut ſcribit Zaſius *in d. l. quod verò n. 2.*

Eandemque ob cauſam † extranei heredes 6
mariti ſolidam dotem reſtituere tenentur, licet maritus ipſe ex peculiari beneficio in id ſaltem, quod † facere poteſt, condemnari debeat, 7
per *l. maritum 12. & l. ſeq. ſup. ſolut. matrim. quemad. dos petat.*

Quin & hoc jure ſingulari utilitatis cauſa re-

8 ceptum eſt, ut ex cauſa † peculii poſſeſſio ignoranti domino per ſervum quæreretur, *l. peregrè 44. § 1. ſup. de acquir. vel amitten. poſſeſ.* Quare ad alias res hoc producendum non eſt, ut ſcilicet extra cauſam peculiarem domino ignoranti ſervus poſſeſſionem acquirat, *per l. 1. § item acquirimus. eod. tit.* quemadmodum hoc plenius declaravi in *l. filiusfamilias. 93. n. 5. 9. & ſeq. ſup. h. t.*
9 Sed & neceſſitatis † vis tanta eſt, ut licitum quid faciat, quod eſt illicitum. Cujus exemplum eſt *in l. 2. § cùm in eadem. ſup. de l. Rhod. de*
10 *jact.* ubi Paulus † cibaria in commune conferri jubet, ſi in navigatione defecerint. Sic & patri ob neceſſitatem famis Imp. Conſtantinus
11 hoc indulſit, † ut liberos vendere poſſet, *l. ult. C. de patrib. qui fil. ſu. diſtrax.* Atq; hinc in argumentum hoc trahi non debet, ut ſcilicet extra
12 hanc † neceſſitatem filius à patre vendatur, *per l. 1. C. eod.*

Ad §. 1.

¶ *Uni duo pro ſolido heredes eſſe non poſſunt.*

S U M M A R I A.

1 *Dominium unius ejuſdemq; rei duobus in ſolidum non cedit.*

2 *Heredes uni eidemq; duo in ſolidum eſſe non poſſunt.*

3 *Hereditas eum, cui defertur, dominum bonorum defuncti facit.*

4 Here-

4 *Heredes plures ſi abſq; expreſſis portionibus ſimpliciter inſtituti ſunt, ex æquis partibus ſuccedunt.*

5 *Poſſeſſio unius ejuſdemq; rei duobus in ſolidum dari an poſſit.*

QUemadmodum duo unius ejuſdemq; † rei domini in ſolidum eſſe non poſſunt, *l. ſi ut certò 5. § ult. ſup. commod.* ita nec duo uni eidemq; pro † ſolido heredes eſſe poſſunt: quoniam hereditas † eum, cui defertur, dominum bonorum defuncti conſtituit, *§ ult. Inſtit. de hered. qualitat. & different.* Unde ſi plures ſint † heredes inſtituti, nec portiones, in quas ſinguli ſuccedere debeant, à teſtatore expreſſæ fuerint, omnes ex æquis partibus heredes fiunt, *l. quoties. 9. § heredes. ſup. de hered. inſtit.* Quod de dominio eſt dictum, idem ex ſententia Proculianorum, ut ſcribit Cujacius *in cap. 32. lib. 9. obſervat.* in poſſeſſione receptum eſt, ut ſcilicet † duo unam eandemq; rem in ſolidum poſſidere non poſſint, *l. 3. § ex contrario. ſup. de acquirend. vel amitt. poſſeſ. & l. duo 19. in princ. ſup. de precar.* 1 2 3 4 5

L. 142.

Paulus libro 56. ad Edictum.

1 *Qui tacet non utiq; fatetur, ſed tamen verum eſt eum non negare.*

SUMMARIA.

1 *Taciturnitas nec conſenſum, nec diſſenſum diſertè arguit.*

2 Tacens

2 *Tacens pro conſentiente non habetur, quando actus, cui adeſt, etiam invito ipſe expediri poteſt.*

3 *Tacens pro conſentiente habetur, quando actum, quem impedire potuiſſet, non impedivit, neq; etiam illi contradixit.*

4 *Reſtitutio in integrum denegatur ei, qui major factus res, quas minor egit, ſuo ſilentio comprobavit.*

5 *Fidejuſſor à tutore nominatus pro tutore obligatur, quando præſens nomen ſuum in acta publica referri paſſus eſt, nec contradixit.*

1 TAciturnitas † ejuſmodi ſignum eſt, ex quo nec confeſſio, ſive conſenſus, nec negatio ſive diſſenſus diſertè colligi poteſt. Unde haud abs re quæritur, quando tacens conſentire vel diſſentire videatur. Quæſtionem hanc interpretes *ad c. qui tacet 43. de regul. jur. in 6.* hujuſmodi diſtinctione explicant: Quando actus, cui
2 tacens † adeſt, etiam invito ipſo expediri poteſt, tacens pro conſentiente non habetur, ſic ut actum iſtum ſua taciturnitate approbaſſe dicatur, argumento *l. Gajus Seius 39. ſup. de pignor.*
3 *act.* Sin verò tacens † actum impedire, vel ſaltem ei contradicere potuerit, nec impediverit, aut contradixerit, pro conſentiente habebitur, *per l. penult. ſup. de re judic.* Hujus exemplum tradit Paulus *in titulo 9. lib. 1. recept. ſentent.* de mino-
4 re, cui reſtitutio † in integrum denegatur tùm, quando major effectus res, quas minor egit, ſuo ſilentio comprobavit. Atq; huc pertinet etiam illud

illud Ulpiani *in l. 4. §. ult. ſup. de fidejuſſ. tutor.* ubi fidejuſſorem, à † tutore nominatum, ſi is præ- 5
ſens nomen ſuum in acta publica referri paſſus eſſet, nec contradixiſſet, perinde teneri ait, ac ſi per ſtipulationem ſe pro tutore obligaſſet.

L. 143.

Ulpianus libro 62. ad Edictum.

¶ *Quod ipſis, qui contraxerunt, obſtat, & ſucceſſoribus eorum obſtabit.*

Hujus regulæ explicationem adjeci iis, quæ de ſententia *l. nemo plus 54. ſup. h.* dicenda fuerunt.

L. 144.

Paulus libro 63. ad Edictum.

¶ *Non omne, quod licet, honeſtum eſt.*

SUMMARIA.

1 *Permittendum eſt non omne, quod per leges licet.*
2 *Honeſtum non eſt omne, quod licet.*
3 *Honeſtatis ipſi Ethnici quoq; rationem maximam habuerunt.*
4 *Creditor poſſeſſionem rei oppigneratæ ne ex conventione quidẽ propria autoritate ingredi poteſt.*
5 *L. qui juriſdictioni 10. ff. de juriſdiction. conciliatur cum l. in privatis 77. ff. de judic.*
6 *Pater filio an jus dicere poſſit?*
7 *Judicare non minus, quam jus dicere munus eſt publicum.*

8 *Poteſtas patria in munere publico non attenditur.*

9 *Affectio patris in filium magna eſt.*

10 *Juris dicendi poteſtas cui tributa eſt, is liberè pro ſua autoritate ſententiam ferre poteſt.*

11 *Matrimoniis contrahendis honeſtas magis convenit, quàm id, quod licet.*

12 *Uxoris ſuæ filiam, quæ poſt divortium ex alio procreata eſt, ducere nemo poteſt.*

13 *Soror uxoris defunctæ an per legem Moſaicam duci in uxorem poſſit?*

14 *Fratribus duobus una fœmina nubere non poteſt.*

QUæritur, an omne, quod per leges licet,
1 permittendum † ſit? Paulus in principio
hujus l. haud obſcurè illud negat ex eo funda-
2 mento, quòd honeſtum † non ſit omne, quod
3 licet. Honeſtatis autem ipſi Ethnici † quoque,
teſte Cicerone, eam habuerunt rationem, ut,
qui faciendum eſſe duceret, aut in bonis numeraret id, quod honeſtum non eſſet, eum honeſtatem ipſam quaſi virtutis lumen extinguere ſtatuerent. Hujus exemplum ſumi poteſt *ex l.3.C.de pignorib.& hypothe.* ubi Impp. Severus &
4 Antoninus creditori † non permittunt, ut ſine
Præſidis autoritate poſſeſſionem rei pignori ſibi datæ arripiat, etiamſi ex conventione inita pignoris poſſeſſionem propria autoritate ingredi poſſit. Simile exemplum Cujacius in principio *tractatus 3. ad Africanum ex l. qui juriſdi-*
5 *ctioni 10.ſup.de † juriſdict.& l.in privatis.77.ſup.de judic.*

dic. notat, dum in hac jus, in illa honeſtatem proponi ait: quòd pater quidem † filio, vel filius patri in negociis privatis & jus dicere & judicare poſſit, ex ea ratione, quoniam judicare † ac jus dicere munera ſunt publica, in quibus † patriæ poteſtatis ratio nulla habeatur, *per l. quippe 78. eod. tit. & l. filiusfamilias 9. ſup. de his qui ſui vel alien. jur. ſunt.* ſed tamen ex præſcripto *d. l. qui juriſdictioni.* neuter alteri jus dicere aut judicare debeat, quòd naturalis † affectio, qua pater filium, & filius patrem proſequitur, utrumq; quodammodo judicem in cauſa propria conſtituat. Cujuſmodi interpretatio mihi non diſplicet, quamvis Duarenus *in cap. 51. lib. 1. diſputat. anniverſar.* prædictarum duarum ll. diſcrepantiam hac diſtinctione conciliet, ut dicat patrem in cauſa filii, vel filium in cauſa patris judicare quidem, ſed non jus dicere poſſe: quòd is, qui jus † dicit, formulæ à Prætore præſcriptæ ſic adſtrictus non ſit, ut judex pedaneus, verùm liberè pro ſua autoritate ſententiam ferat, eamq́; etiam executioni mandet, *l. à D. Pio 15. in princ. ſup. de re judic.*

6
7
8
9
10

Cæterùm in contrahendis matrimoniis † potiſſimùm huic regulæ locum eſſe, atque in his honeſtatem magis attendi debere, quàm id, quod licet, teſtatur Modeſtinus *in l. ſemper. 197. inf. h. t.* quæ iiſdem verbis habetur in principio *l. ſemper 42. ſup. de rit. nuptiar.* Quam ob cauſam quis cum filia, quam uxor † ipſius poſt divor- 12

11

trium ex alio procreavit, matrimonium contrahere non poteſt, licet privigna ejus non ſit, *l. ſi qua mihi 12. §. ſi uxor. ſup. de rit. nupt.* ſic ſororem
13 uxoris defunctæ ex quorundam † ſententia ducere quidem per legem Moſaicam licet, ſed ut ducatur honeſtum non eſt: tametſi ego nec per Moſis legem duci eam poſſe ſtatuo. Nam ſi non
14 licet uni † fœminæ duobus fratribus nubere: profectò nec licebit uni viro duas ſorores in uxores ducere. Ac licet nonnulli ex eo, quòd Moſes *in cap. 18. Levitic.* ſcribit, ſororem uxoris ea vivente duci non poſſe, arguant uxore mortua ejus ſororem duci poſſe: rectiùs tamen mihi ſentire videntur hi, qui Hebræiſmum eò loci eſſe, nec quicquam aliud Moſen ſibi velle ſtatuunt, quàm quòd ſoror uxoris duci nunquam poſſit, exemplo illius, quod de ſolutione ultimi quadrantis Chriſtus Matthæi *5. cap. verſ. 26.* refert.

Ad §. 1.

§ *In ſtipulationibus id tempus ſpectatur, quo contrahimus.*

Summaria.

1 *Obligationis acquiſitio in ſtipulatione tàm conditionali, quàm pura, reducitur ad id tempus, quo contractus eſt initus.*

2 *Stipulatio rei meæ tum valet, quando conditionis exiſtentis tempore mea amplius non eſt.*

3 Debi-

8 *Debitum conditionale peti antè non poteſt, quàm conditio extiterit.*

REgula hæc generatim quidem hìc proponitur, ſed generalis non eſt, verùm ad eum duntaxat caſum reſtringi debet, quando † de obligatione per alios acquirenda agitur: tum enim in ſtipulationibus conditionalibus æquè ac in iis, quæ puræ ſunt, acquiſitio reducitur ad id tempus, quo contractus eſt initus, ſicut hoc demonſtravi *in l. quæ legata eſt 18. ſup. h. t. per l. ſi filiusfamilias 78. in princ. de verbor. obligat.* Extra iſtum caſum regulæ huic locus non eſt, veluti patet ex *l. ſi rem 31. eod. tit.* ubi ſtipulatio † rei meæ ita demum utilis eſt, ſi conditionis exiſtentis tempore res iſta mea non ſit, quæ extra dubium inutilis eſſet, ſi tempus contractus, quo mea fuit, ſpectari deberet. Sic & quod ſub conditione in ſtipulationem † deductum eſt, alio quàm exiſtentis conditionis tempore peti non poteſt, cùm antè ne naturâ quidem illud debeatur, *per l. cedere diem 213. ſup. de verbor. ſignific.*

(margin numbers: 1 beside "quando † de", 2 beside "rei meæ ita de-", 3 beside "quàm exi-")

L. 145.

Ulpianus libro 66. ad Edictum.

Nemo videtur fraudare eos, qui ſciunt & conſentiunt.

SUMMARIA.

1 *Fraudare ſcientes & conſentientes nemo cenſetur.*

2 *Creditores fraudaſſe non dicitur, qui conſentientibus illis à fraudatore quid emit.*
3 *Volens deceptus de dolo queri non poteſt.*
4 *Injuria volenti non fit.*
5 *L.unic.§.penult.C.de rapt. virgin. conciliatur cum l.nemo videtur 145.ff.h.t.*
6 *Raptor virginis quantumvis volentis capitis pœnam non effugit.*
7 *Perſuaſor doloſus plus peccat, quàm ſi eum, cui hoc perſuadet, vi cogat.*

DEſumpta eſt hæc regula *ex l. quod autem. 6. §.præterea. ſup. quæ in fraud. credit. fact. ſunt ut*
1 *reſtit.* ubi Ulpianus ex hoc, quòd nemo † eos, qui ſciunt & conſentiunt, fraudare videatur, negat in fraudem creditorum feciſſe eum, qui
2 conſentientibus † creditoribus aliquid à fraudatore emit vel ſtipulatus eſt. Simile exemplum eſt *in l. cum donationis 34. C. de donation.* ubi
3 de † dolo queri non poteſt is, qui volens dolo deceptus eſt. Eodemq; pertinet quod Ulpianus *in l. 1. §. uſque adeò. ſup. de injur.* ait, injuriam
4 † nullam eſſe quæ in volentem fiat. Neq; in regulam hanc impingit *l. unic. §. penult. C. de rapt.*
5 *virgin.* † ubi Imp. Juſtinianus etiam in eum, qui
6 virginem volentem rapit † atq; abducit, pœnam capitis ſtatuit: quoniam idipſum velle virginis, ut Juſtinianus eò loci ſubjicit, ab inſidiis nequiſſimi raptoris inducitur. Et aliâs quoque
7 qui dolosè cuipiam † perſuadet, plus peccat, quàm

quàm ſi eum compellat, ſibiq; parere cogat, *per l. 1. §. perſuadere autem. ſup. de ſerv. corrupt.*

L. 146.

Paulus libro 62. ad Edictum.

¶ *Quod quis, dum ſervus eſt, egit, proficere libero facto non poteſt.*

Domini lucro illud quoq; cedit, quod ſervus ſub conditione ſtipulatus eſt, etiamſi conditio extiterit tum, quando ſervus iſte liber factus eſt, veluti exposui *ſub l. qua legata 18. ſup. h. t.*

L. 147.

Gajus libro 24. ad Edictum provinciale.

¶ *Semper ſpecialia generalibus inſunt.*

Quæ ad hujus l. explicationem ſpectant, ea notata ſunt *ad l. in toto 80. ſup. h. t.*

L. 148.

Paulus libro 16. brevis Edicti.

¶ *Cujus effectus omnibus prodeſt, ejus & partes ad omnes pertinent.*

SUMMARIA.

1 *Miſſus in poſſeſſionem pignoris Prætorii non ſibi ſolùm, ſed reliquis creditoribus omnibus quoq; poſſidet.*

2 *Fructus ex pignore Prætorio percepti omnibus creditoribus cedunt, etiamſi unus in illius poſſeſſionem miſſus ſit.*

3 *Impenſæ in cauſam communem faciendæ ab omnibus, quorum cauſa iſta communis eſt, erogari debent.*

CUjacius in *cap.37.libri 9.obſervat.* elegans regulæ hujus exemplum ponit in creditore, qui in poſſeſſionem pignoris prætorii miſſus
1 eſt: hujus quippe miſſionis † effectus hic eſt, ut omnibus creditoribus proficiat, cùm is non ſibi, ſed omnibus poſſidere intelligatur, *per l. is cui. 5. §. ſi plures. ſup. ut in poſſeſſion. legator. ſervand. cauſ. eſſe lice. & l. cum unus. 12. in princ. ſup. de reb. autor. judic. poſſidend.* Quam ob cauſam quoq; partes ejus miſſionis ad omnes pertinent, hoc eſt,
2 & † fructus, qui ex ea re percipiuntur, omni-
3 bus cedunt, & impenſæ, ſi † quæ in eam faciendæ ſunt, ab omnibus erogari debent, quoniam commune negocium eſt, *l. Prætor 9. §. his verbis. cum §. ſequen. eod. tit.*

L. 149.

Ulpianus libro 67. ad Edictum.

¶ *Ex qua perſona quis lucrum capit, ejus factum præſtare debet.*

Hæc regula expoſita eſt *ſub l. ſecundum 10. ſup. h. t.*

L. 150.

Ulpianus libro 68, ad Edictum.

¶ *Parem eſſe conditionem oportet ejus, qui quid poſſideat vel habeat: atq; ejus, cujus dolo malo factum ſit, quò minus poſſideret vel haberet.*

Hujus l. explicatio dependet ex iis, quæ de dolo ſunt tradita *in l. contractus 23. n. 48. & ſeq. ſup. h. t.*

L. 151.

Paulus libro 64. ad Edictum.

mo damnum facit, niſi qui id fecit, quod facere jus non habet.

Regulæ hujus interpretatio reperitur in iis, quæ dictata ſunt *ad l. nullus 55. ſup. h. t.*

L. 152.

Ulpianus libro 69. ad Edictum.

¶ *Hoc jure utimur, ut quicquid omnino per vim fiat, aut in vis publicæ, aut in vis privatæ crimen incidat.*

SUMMARIA.

1 *Vis, quam magiſtratus præter officium facit, olim publica dicebatur.*

2 *Magiſtratus hominem inauditum nec in vincula conjicere, nec torquere, nec damnare, multò minus necare poteſt.*

3 *Vis, quam homo privatus alteri infert, olim privata dicebatur.*

4 *Vis publica hodie nuncupatur, quæ cum armis facta eſt.*

5 *Vis ſine armis facta privata nunc dicitur.*

6 *Vis publica olim quomodo punita fuerit?*

7 *Vis publica hodie ſi atrocior fuerit, pœna capitis plectitur.*

8 *Vis privata olim infamia & publicatione tertiæ bonorum partis multabatur: ſed hodie carcere, aut relegatione punitur.*

9 *Damnatorum bona ex conſtitutione Imp. Juſtiniani non publicantur.*

10 *Vim qui fecit, civiliter quoq; interdicto unde vi & de vi armata conveniri poteſt.*

11 *Vis privata cenſenda eſt illa, de qua dubitatur publicáne an privata ſit.*

PAulus *in tit. 26. libri 5. recept. ſentent.* teſtatur,
1 l. Julia de † vi publica damnari magiſtratum,
2 qui civem Romanum præter † officium vel necaſſet, vel torſiſſet, vel in vincula conjeciſſet, vel etiam condemnaſſet: Sed l. Julia de vi pri-
3 vata † teneri hominem privatum, qui quoquo modo alteri vim feciſſet. Unde intelligitur, vim publicam olim dictam fuiſſe vim illam immoderatam, quam magiſtratus in cives Romanos exercuiſſet: Privatam verò eam vim, quam homines privati intuliſſent. Verùm poſtea l. Juliæ
4 de vi † publica vindicata fuit quælibet vis cum armis facta: quæ verò ſine armis facta fuit, vis

privata

privata dici cœpit, atq; l. Julia de vi † privata pu- 5
nita fuit. *§ recuperandæ. Inſtit. de interdict.*

Pœna autem l. Juliæ de vi publica † erat aquæ 6
& ignis interdictio, cui poſtea ſucceſſit deportatio, ſicut videre eſt *ex l. qui dolo 10. § ult. ſup. ad l. Jul. de vi public. & ex § item l. Julia. Inſt. de public. judic.* At verò hodie vis publica, ſi fuerit † atro- 7
cior, pœna capitis coërcetur, & ſi poteſtas illius, qui hujuſmodi vim fecerit, fieri nequeat, ceu violator pacis publicæ banno ſubjicitur, veluti notat Mynſingerus *ad d. § item lex Julia, nu. 3.* Cæterùm pœna l. Juliæ de vi privata † erat 8
publicatio tertiæ partis bonorum, & infamia, quæ ſequitur illos omnes, qui ex publico judicio damnati ſunt, *l. ult. ſup. ad l. Jul. de vi privat.* Sed hodie crimen hujuſmodi utplurimum carcere aut relegatione punitur: ſiquidem ex conſtitutione † Juſtiniani damnatorum bona am- 9
plius non publicantur, ut patet *ex § ult. Novellæ 134.* Quamvis is, qui vim fecit, non criminaliter ſolùm ex l. Julia de vi lata, ſed etiam † civili- 10
ter interdicto unde vi & de vi armata conveniri poſſit, *per l. 4. C. unde vi. & l. ſi præſes 32. ſup. de pœn.* ex qua hoc ſimul colligitur, vim privatam, non
† publicam cenſeri, ſi dubitetur de vi, publi- 11
cáne illa fuerit, an privata. Quæ omnia prolixè juxta ac eruditè præ aliis Menochius in *caſ. 394. libri 2. de arbitrar. judic. quæſtion.* & Anton. Teſſaurus *in deciſ. 35.* exponunt.

Ad §. 1.

¶ *Dejicit & qui mandat.*

Regula hæc deſumpta eſt ex *l. 1. § dejeciſſe. ſup. de vi & vi armat.* id quod & inſcriptio illius oſtendit. Quis verò ejus ſit ſenſus, ſatis liquet ex dictatis, quæ dedi ad *l. ſemper qui. 60. ſup. h. t.*

Ad §. 2.

¶ *In maleficio ratihabitio mandato comparatur.*

Hæc regula deſcripta eſt *ex l. 1. § ſed & ſi. ſup. de vi & vi armat.* & ſimiliter expoſita eſt *ſub l. ſemper qui 60. ſup. h. t.*

Ad §. ult.

¶ *In contractibus, quibus doli præſtatio vel bona fides ineſt, heres in ſolidum tenetur.*

Intellectus hujus regulæ petendus eſt ex iis, quæ adſcripta ſunt *l. ſicuti pœna 38. ſup. h. t.*

L. 153.

Paulus libro 65. ad Edictum.

¶ *Ferè quibuſcunq; modis obligamur, iiſdem in contrarium actis liberamur: cùm quibus modis acquirimus, iiſdem in contrarium actis amittimus.* Ut *igitur nulla poſſeſſio acquiri niſi animo & corpore poteſt: ita*

nulla

nulla amittitur, niſi in qua utrumq; in contrarium actum.

Huic l. prorſus conſentit *l. nihil tam naturale 35. ſup. h. t.* Quare quæ eò loci dicta ſunt, explicationi hujus l. ſufficiunt.

L. 154.

Ulpianus libro 60. ad Edictum.

¶ *Cùm par delictum eſt duorum, ſemper oneratur petitor, & melior habetur poſſeſſoris cauſa: ſicut fit cùm de dolo excipitur petitoris. Neq; enim datur talis replicatio petitori,* Aut ſi Rei quoque in ea re dolo actum ſit.

Hujus regulæ ſenſum planum faciunt ea, quæ tradita ſunt ad principium *l. in pari cauſa 128 ſup. h. t.*

Ad § 1.

¶ *Illi debet permitti pœnam petere, qui in ipſam non incidit.*

Summaria.

1 *Honor non debetur ei, qui ipſe ſuo ſcelere ſe infamem fecit.*

2 *Pœnam exigere non poteſt qui ipſe pœnam meretur.*

3 *Legis auxilium fruſtra implorat qui in legem committit.*

4 *Conductor penſionem juſto tempore non ſolvens*

funda

fundo expelli poteſt, etiamſi locator ſub pœna ei promiſiſſet, ipſum intra locationis tempora ab ſe expulſum non iri.

5 *Pudicitiam vir ab uxore exigere nequit, quando ipſe eam non præſtat.*

6 *Pœnam petere is poteſt, qui in pœnam non incidit.*

1 QUemadmodum honor † ei non ſervatur, qui ſuo ſcelere ſibi infamiam ipſe inurit, *l. ſenatoris. 47. ſup. de rit. nuptiar.* ita quoq; pœnam
2 † exigere ille non poteſt, qui ipſe pœnam me-
3 retur: ſiquidem legis auxilium † fruſtrà implorat is, qui in legem committit, *per l. auxilium 37. in fine. ſup. de minor. 25. ann.* Cujus inſigne exemplum proponit Paulus *in l. quæro 54. § penult. ſup. locati,* ubi conductorem ſine metu pœnæ, quam
4 locator ipſi in † eum caſum promiſerat, ſi intra tempora locationis illum de fundo repelleret, à locatore expelli poſſe ſtatuit, quando conductor penſionem juſto tempore non ſolvit, quia & ipſe in pœnam incidit hoc ipſo, quòd debitam penſionem non ſolvit. Eandemq; ob cau-
5 ſam periniquum videtur eſſe, ut † pudicitiam vir ab uxore exigat, quam ipſe non exhibet, veluti refert Ulpianus *in l. ſi uxor 13. § judex. ſup. ad l. Jul. de adulter.* Quò pertinet etiam *l. filio patroni 48. § 1. ſup. de rit. nuptiar.* Ergo pœnam is demum
6 petere † poteſt, qui in ipſam, ut Ulpianus *in fine hujus l.* loquitur, non incidit.

L. 155.

L. 155.

Paulus libro 65. ad Edictum.

¶ *Factum cuiq; ſuum, non adverſario nocere debet.*

Summaria.

1 *Conditionem alterius inviti nemo deteriorem facere poteſt.*

2 *Adverſario ſuo nocere quis non poteſt.*

3 *Actor pœnam judicio ſiſtendi cauſa à Reo promiſſam petere non poteſt, quando ipſe fecit, quò minus Reus in judicio ſeſe ſiſtere poſſet.*

4 *Uſusfructus cum proprietate non conſolidatur, quando facto proprietarii extinctus eſt.*

CUm rationi non conveniat, ut alter † alterius conditioné præter ipſius voluntatem deteriorem faciat, ſicut dixi *ad l. non debet 74. ſup. h. t.* certè nec quiſquam ſuo adverſario † nocere poteſt, ſed ſi quid fecit, ex quo damnum aliquod emergit, ſibi, non adverſario ſuo illud nociturum eſſe ſciat. Cujus exemplum Ferrarius hoc loco ſumit *ex l. 1. § ſi reus. ſup. de eo per quem fact. er. quò minus in judic. quis ſiſt.* ubi actor, qui dolo fecit, ne † reus in juditio ſeſe ſiſteret, pœnam judicio ſiſtendi cauſa à Reo promiſſam petere non poteſt, quam tamen petere potuiſſet, ſi reus vel ſponte, vel ab alio impeditus ad judicium non veniſſet, *l. 3. eod.* Simile exemplum refert Paulus *in l. ſi plures 9. § 1. ſup. de vi & vi arm.* ubi uſusfructus non utendo extin-

4 extinctus cum proprietate † non conſolidatur, ſed iterum fructuario conſtituendus eſt, ſi facto proprietarii uſusfructus iſte non utendo interierit.

Ad § I.

¶ *Non videtur vim facere qui jure ſuo utitur, & ordinaria actione experitur.*

Quod ad hujus regulæ intellectum pertinet, id in *l. nullus videtur 55. ſup. h. t.* eſt expoſitum.

Ad § ult.

¶ *In pœnalibus cauſis benignius interpretandum eſt.*

Summaria.

1 *Cædem qui ſui corporis defendendi cauſa a ſe factam eſſe dicit, nec tamen hoc ipſum probat, an pœna homicidii ordinaria plecti poſſit?*

2 *Homicidium ſua naturâ dolo malo factum eſſe præſumitur.*

3 *Pœna l. Corneliæ de ſicariis eſt ultimum ſupplicium.*

4 *Suſpiciones tanti momenti non ſunt, ut ex his quiſquam capite puniri poſſit.*

5 *Accuſationes luce meridiana clarius probari debent.*

6 *Veritas delicti tormentis facilius elicitur.*

7 *Cædem qui corporis ſui defendendi cauſa ab ſe factam eſſe dicit, nec tamen hoc probat, de illius pœna ſta-*

na ſtatui quid utplurimum antè non debet, quàm in tortura ejus confeßio audita ſit.

8 *Tortura metus occaſionem delinquendi inhibet.*

9 *Torqueri quando Reus accuſatus debeat, id judex ex circumſtantiis æſtimabit.*

10 *Homicidii pœna ordinaria an teneatur is, qui hominis occidendi cauſa cum telo ambulavit, nec tamen hominem occidit?*

11 *Incendiario æquiparatur is, qui hominis occidendi cauſa cum telo ambulat.*

12 *Homicidii pœna ordinaria locum habet, quando conatus ad actum cædi proximum devenit, etiamſi cædes ſecuta non ſit.*

13 *Voluntas, non exitus in maleficiis ſpectatur.*

14 *Dictio* Vel, *vim intendendi habet, & idem, quod* Etiam *ſignificat.*

15 *Parricidii reus eſt, qui venenum patris necandi cauſa emit, etiamſi patri illud non dederit.*

16 *Conatus jure civili perinde punitur, ut effectus.*

17 *Conatus ex generali Germaniæ conſuetudine capitis pœna non plectitur, niſi ipſum eventus ſecutus ſit.*

18 *Divinum jus percuſſorem ita demum capite plecti vult, ſi homo percuſſus mortuus ſit.*

19 *Stuprum attentatum, nec tamen conſummatum pœna gladii non punitur.*

20 *Stuprum vi commiſſum pœna gladii plectitur.*

21 *Pœna arbitrio judicis commiſſa mitior eſt illa pœna, quæ aliâs jure civili ſtatuta eſt.*

22 *Conatus in quibus delictis ordinaria pœna plectatur.*

HUjus regulæ ſententiam perſpicuam ac ſatis planam faciunt ea, quæ jam antè eodem in hoc titulo de mente *l.ſemper in obſcuris. 9. & l.ſemper in dubiis.56.ſup.h.t.* dicta ſunt. Quibus in præſenti hoc addere libet, quòd pleriq; interpretes ex mente ejuſdem hujus regulæ ſtatuunt eum, qui cædem, cujus arguitur, quamq;
1 ſe feciſſe fatetur, ob tutelam † corporis ſui ab ſe factam eſſe contendit, nec tamen hoc ipſum probat, non ordinaria l. Corneliæ de ſicar. ſed alia quapiam leviori pœna extraordinaria plectendum eſſe, ſi accuſator contrarium, videlicet cædem dolo malo factam fuiſſe, liquidò non probaverit, ſicuti videre eſt ex iis, quæ præter alios tradunt Ægid. Boſſius *ſub tit. de confeſſ. n. 20.* & And. Geil *in cap.17.n.6. libri 1. de pac. public.*

Etſi enim cædes ita comparata eſt, ut ſua
2 † natura dolo malo facta eſſe præſumatur, *argumento l.1. C. ad l.Cornel. de ſicar.* eaque præſumptio aſſertione ipſius Rei plurimùm adverſetur: ratio tamen juris vix ferre videtur, ut propter hanc ſolam præſumptionem, quantumvis urgentem, ordinaria hujus l.Corneliæ pœna,
3 † quippe quæ ultimum eſt ſupplicium, Reus afficiatur: præſertim cùm hæc capitis pœna ei
4 demùm irrogari debeat, qui non † ſuſpicionibus gravatus, ſed vel teſtibus idoneis, vel aper-
5 tiſſimis documentis, vel indiciis † luce meridiana clarioribus convictus eſt, quemadmodum ex reſcripto Imp. Trajani refert Ulpianus in

princi-

principio *l.abſentem.5.ſup.de pœn.* cui etiam Impp. Gratianus, Valentinianus & Theodoſius *in l.ult. C.de probat.* conſentiunt.

At verò ab hac communi Dd. ſententia recedit criminalis ordinatio Carolina, dum ſub *art. 143.* haud obſcurè innuit, ſecus judicandum eſſe, ſi & loci, ubi cædes facta eſt, & perſonæ, quæ cædem fecit, & reliquarum circumſtantiarum conditio Reum ob tutelam corporis ſui iſtam cædem neutiquam feciſſe arguat. Quò autem facilius veritas in hujuſmodi caſu conſtare poſſit, carnificum † tormentis Reum ad confitendam veritatem cogendum eſſe Boërius *in deciſ. 164.n.16.* ſtatuit: idq; in his terris quoque hactenus obſervatum vidi. Et ſecundum eandem hanc ſententiam VVittenbergenſes & Lipſenſes Scabini ſæpius ſe pronunciaſſe memorant *in quæſt.20.n.8.part.4.conſultat.Saxonic.* Quam ſententiam & ego ſequendam eſſe arbitror. Quòd ſi enim Reus, qui † corporis ſui defendendi causa cædem à ſe factam fuiſſe prætendit, nec tamen hoc ipſum probat, indiſtinctè ex communi Dd. ſententia extra ordinem mitiori aliqua pœna afficiendus eſſet, occaſio certè daretur compluribus interficiendi eos, qui ſoli ſunt extra aliorum hominum conſpectum: cujuſmodi occaſionem † metus torturæ inhibet. Tametſi non negem communi Dd. ſententiæ inſiſtendum, ac Reum † abſque tortura extra ordinem pro judicis arbitrio puniendum eſſe

6 7 8 9

tùm, quando ejuſmodi adſunt præſumptiones, quibus is, qui occiſus eſt, magis, quàm qui cædem fecit, gravetur.

Addo & hoc, ex ejuſdem hujus regulæ præſcripto decidi poſſe quæſtionem hanç, An et-
10 iam is, qui hominis † occidendi cauſa cum telo ambulavit, nec tamen hominem occidit, ordinaria l. Corneliæ pœna affici poſſit? jure civili quidem quæſtio hæc deciſa eſt, ſed ita, ut à præſcripto præſentis regulæ deciſio iſta aliena videatur: quoniam Marcianus in principio *l.1.ſup. ad l. Cornel. de ſicar.* eum, qui videlicet hominis occidendi cauſa cum telo ambulavit, illi prorſus æquiparat, qui dolo malo vel hominem oc-
11 cidit, vel incendium fecit: quorum uterq; † ordinaria hujus l. Corneliæ pœna extra omnem controverſiam tenetur. Ac licet Didac. Covarruvias in initio *part.2.clem.ſi furioſus.n.10.de homic.* & hunc ſecutus Menochius *lib.2.de arbitr. jud. quæſtion. caſ.360.n.37.* ſecus ſentiant, atque eum, qui hominis occidendi cauſa cum telo ambulavit, ita demum ordinaria l. hujus Corneliæ
12 pœna † plectendum putent, ſi præterea actum cædi proximum fecerit, puta ſi homini vulnus inflixerit, ex quo mors ſecuta non ſit: rectiùs tamen illos ſentire arbitror, qui ordinaria hujus l. pœna de jure civili eum quoque plecti volunt, qui ſaltem hominis occidendi cauſa cum telo ambulavit, nec ad actum cædi proximum devenit. Præterquam enim quòd l. Cornelia in hujuſ-

hujuſmodi maleficiis † voluntatem ſpectat, 13
non exitum, ſicut ex reſcripto Imp. Hadriani
notat Calliſtratus *in l. Divus. 14. ſup. ad l. Cornel. de
ſicar.* hoc quoq; in principio *§. Item lex Cornel. de
ſicariis. Inſtit. de public. judic.* Imp. Juſtinianus ex-
preſſit, dum ait, l. hanc Corneliam vel eos ho-
micidas ferro perſequi, hoc eſt, gladio punire,
qui hominis occidendi cauſa cum telo ambu-
lant: ubi † dictio *Vel*, vim intendendi habet, at- 14
que idem, quod *Etiam* ſignificat. Idq; ipſum e-
vincit quoque reſcriptum Impp. Diocletiani &
Maximiani *in l. is qui cum telo. 7. C. ad l. Cornel. de ſi-
car.* ubi de illo, qui hominis occidendi cauſa
cum telo ambulavit, planè idẽ ſtatuitur, quod
ſtatutum eſt de eo, qui hominem occidit. Cum
quo congruit etiam *l. ſi quis. 5. ibi, ſed attentare tan-
tùm. C. de Epiſcop. &. cleric. itemq; l. 1. in fine. ſup. de l.
Pompej. de parric.* ubi Marcianus refert eum quo-
que l. Pompeia de parricidiis † teneri, qui vene- 15
num emit, ut patri daret, quamvis dare non po-
tuerit. Ex quibus omnibus, meo judicio, pla-
num evadit, jus civile in delictis atrocioribus
conatum, qui † pervenit ad aliquem actum, ſi- 16
ve is delicto perpetrato proximus ſit, ſive ab eo
remotior, pro delicto perfecto habere.

Verumenimverò generalis Germaniæ con-
ſuetudo à jure civili hoc caſu receſſit, atque ex
mente hujus regulæ mitius cum delinquenti-
bus iſtis egit, dum capitis pœna illos antè plecti
non voluit, quàm † conatum eventus quoq; ſe- 17

cutus eſſet. Qua in re conſuetudo juri divino ſeſe accommodavit. Nam *Exodi 21. cap. verſ. 12.*
18 Deus eum demum vult moriendo † mori, qui percuſſerit virum, ut mortuus ſit. Idq; ipſum à criminali ordinatione Carolina non abhorre-
19 re arguit *art. 119.* ubi ſtuprum † violenter attentatum, nec tamen conſummatum, non pœna
20 gladii, qua alioquin ſtuprum † vi commiſſum ordinariè plectitur, *per l. 1. §. ult. ſup. de extraord. crimin.* ſed mitius pro Juriſperitorum arbitrio vult puniri.

21 Pœna autem quæ † arbitrio committitur, ferè ſemper mitior eſt illa, quæ legibus præſcri-
22 bitur. Tametſi ſunt † quædam delicta, quæ etiamnum hodie conatum ordinaria pœna afficiunt, tametſi effectus ſecutus non ſit: cujuſmodi delicta enumerantur à Cujacio *in cap. 25. lib. 15. obſervat.* & Andrea Geil *in cap. 14. n. 20. & aliquot ſeqq. lib. 1. de pac. public.* quibus adjungi etiam poſſunt ea, quæ *in quæſt. 10. part. 4. conſultat. Saxonic.* referuntur.

L. 156.

Ulpianus libro 70. ad Edictum.

¶ *Invitus nemo rem cogitur defendere.*

Summaria.

1 *Defenſio rei alienæ invito obtrudi non poteſt.*

2 *Procurationem an quis invitus ſuſcipere cogatur.*

3 *De-*

3 *Defenſioni ſemel ſuſceptæ renunciare quis ſine juſta cauſa non poteſt.*

4 *Procuratorum ordini qui in judicio adſcriptus eſt, etiam invitus procurationem ſuſcipere tenetur.*

5 *Advocati vel inviti advocationem obire coguntur.*

6 *Doctor juris etiam invitus de jure reſpondere tenetur.*

7 *Munera publica invitis quoq; demandari poſſunt.*

8 *Tutores pupillos ſuos omnino defendere coguntur.*

DEfenſio rei † alienæ nemini invito obtru- 1
di debet. Quæ cauſa etiam eſt, quòd invitus † procurationem ſuſcipere nemo cogitur, 2
l. filiusfamilias 8. §. 1. ſup. de procurator. & l. invitus 17. C. eod. Quod ſi tamen defenſionem ejuſmodi quis volens ſuſceperit, † defenſioni iſti inſiſte- 3
re cogitur tantiſper, dum expeditum ſit negotium, cujus defenſionem ſuſcepit, niſi juſtam & à lege probatam renunciandi cauſam habeat, *d. l. filiusfamilias. §. ult. cum l. ſeq.*

Cæterùm qui in judiciis procuratorum † or- 4
dini publicè adſcripti ſunt, hi vel inviti procurationem ſuſcipere cogunrur, niſi ejuſmodi afferant excuſationem, quæ judici ſufficiat, veluti tradit Sichardus *in d. l. invitus. n. 2. in fine,* ubi idem ſtatuit de † Advocatis, quòd videlicet vel 5
inviti advocationem obire cogantur, *per l. 1. § ait Prætor. 4. ſup. de poſtuland.*

Quod ipſum & in Doctore juris receptum eſt: nam & hic ex debito ſuæ profeſſionis † uni- 6

cuiq; jura aperire, adeoq; invitus conſulere tenetur, per ea quæ tradit Jaſon *in l.3.n.13.C.de Procur.* Idque locum ſibi vendicat etiam in his, qui-
7 bus munera publica † demandata ſunt: qualia munera habent tutores ac curatores, unde & i-
8 pſi, quamvis repugnantes, † pupillos ſive minores ſuos defendere tenentur, *l.ult.C.de admin. tutor.*

Ad §. I.

¶ *Cui damus actiones, eidem & exceptionem competere multò magis quis dixerit.*

SUMMARIA.

1 *Actiones difficilius dantur quàm exceptiones.*
2 *Actiones in quem finem dentur?*
3 *Exceptiones cur Reis dentur?*
4 *Retentioni jura magis favent quàm perſecutioni.*
5 *Conventiones pariunt exceptiones.*

REgula hæc deſumpta eſt *ex l.1.§.is autem. ſup.*
1 *de ſuperfic.* & luculenter docet † actiones difficilius cuipiam dari, quàm exceptiones. A-
2 ctiones enim in eum † finem dantur, ut quis perſequatur id, quod non habet. Exceptiones
3 † verò propterea opponuntur, ut retinere poſſit Reus id, quod habet. Nemo autem neſcit
4 retentioni jura magis favere † quàm perſecutioni, veluti ſcribit Tiber. Decianus *in reſpon.94. n.28.*

n.28. volum.3. Atq; hinc quævis † conventiones pariunt exceptiones, non verò actionem, *l. juriſgentium 7. § ſed cum nulla. ſup. de pact.*

Ad §. cum quis. 2.

¶ *Cùm quis in alicujus locum ſucceſſerit, non eſt æquum ei nocere hoc, quod adverſus eum non nocuit, in cujus locum ſucceſſit.*

Hujus regulæ intellectus genuinus continetur *ſub l. nemo plus 54. ſup. h. t.*

Ad §. pen.

¶ *Plerunq; emptoris eadem cauſa eſſe debet circa petendum ac defendendum, quæ fuit auctoris.*

Sententia hujus § ſimiliter cõſtat *ex l. nemo plus 54. ſup. h. t.*

Ad §. ult.

¶ *Quòd cuiq; pro eo præſtatur, invito non tribuitur.*

Hæc regula congruit cum *l. invito 69. ſup. h. t.* atq; iccirco ex illius interpretatione perſpicua evadit.

L. 157.

Ulpianus libro 71. ad edictum.

¶ *Ad ea, quæ non habent atrocitatem facinoris*

vel ſceleris, ignoſcitur ſervis, ſi vel dominis, vel his, qui vice dominorum ſunt, veluti tutoribus & curatoribus, obtemperaverint.

SUMMARIA.

1 *Servus jure civili pro nullo habetur.*

2 *Servus delinquens non aliter habetur, quàm ſi homo liber eſſet.*

3 *Delicta ut puniantur Reipublicæ expedit.*

4 *Servus ex delictis civiliter obligatur.*

5 *Manumiſſor ſervum ratione delicti in ſervitute commiſſi convenire nequit.*

6 *Servus manumiſſus quando ex delicto in ſervitute admiſſo conveniri poßit?*

7 *Noxa ſequitur caput.*

8 *Actio noxalis per manumiſsionem à domino in delinquentem transfertur.*

9 *Servo in levioribus criminibus ignoſcitur.*

10 *Parere qui cogitur, eius nulla culpa eſt.*

11 *Servum juſſus domini in atrocioribus delictis non excuſat.*

12 *Servus juſſu domini atrox delictum admittens mitius punitur.*

13 *Dominus, cujus juſſu ſervus delictum patravit, pœnam non effugit.*

14 *Damnum qui jubet dare, non ſecus habetur, ac ſi ipſe damnum dediſſet.*

15 *Servis æquiparantur hi, qui alterius poteſtati ſubjecti ſunt.*

Tam-

TAmetſi ſervus, quod ad jus civile attinet, pro † nullo habetur, ut eſt *in l. quod attinet* 1 *32. ſup. h.t.* in delictis tamen † ille non ſecus habetur, ac ſi homo liber eſſet: quòd Reipublicæ 2 † intereſt, ne cujuſquam maleficium impunitũ 3 ſit, *per l. ita vulneratus 51. ſup. ad l. Aquil.* Quam ob cauſam ſervus civiliter quoq;, nedum naturaliter, ex † delictis in extraneum patratis obligatur, uſque adeò quidem, ut manumiſſus etiam 4 obligatus remaneat, quemadmodum prolixius hoc *ex l. ſervi 14. ſup. de obligat. & actionib.* demonſtravi in principio *l. in perſonam 22. ſup. h. t. In extraneum*, inquam, quia † manumiſſor eum ex 5 delicto in ſervitute admiſſo convenire non poteſt. *l. ult. C. an ſerv. pro ſuo fact. poſt manumiſſ. teneat.* Cæterùm manumiſſus ita demum obligatus remanet, ſi commiſſi iſtius delicti nomine, dum in ſervitute adhuc fuit, dominus ipſius noxali † actione conventus non ſatisfeciſſet, *per l. 1. ſup.* 6 *de noxal. action.* Quando igitur delictum ſervi ante ipſius manumiſſionem necdum eſt expiatum, manumiſſus de illo conveniri poteſt, noxaque, ut vulgò dicitur, caput † ſequitur, *l. 4. C.* 7 *an ſerv. pro ſuo fact. poſt manumiſſ. ten.* Etenim † ma- 8 numiſſio actionem noxalem, qua dominus tenebatur, quandiu delinquens in ejus poteſtate erat, directò in ipſum delinquentem transfert, per *§. omnis autem. Inſtit. de noxalib. action.*

Sed quid ſi ſervus domini ſui juſſu delictum admiſiſſet? Hoc caſu delictum atrox diſcerni-

tur

tur ab eo, quod atrocitatem ſceleris non habet.
9 Nam in levioribus † quidem criminibus ſervo
10 ignoſcitur, quòd ejus nulla culpa ſit, cui parere neceſſe eſt, *l. is damnum 169. in princ. inf. h. t.* nec voluiſſe credatur qui imperio domini obſequitur, *per l. 4. ſup. h. t.* Quò faciunt etiam ea, quæ Andreas Geil *in obſervat. 88. n. 4. lib. 1. obſervationum* tradit. Sed in delictis atrocioribus juſſus
11 domini † ſervum non excuſat, textus *hic & in l. ſervus 20. ſup. de obligat. & action.* ubi Alphenus regulam hanc aliquot exemplis illuſtrat: quamvis hoc caſu ſervus, qui videlicet domini juſſu
12 atrox flagitium † commiſit, mitius puniatur, quàm ſi ipſo ignorante illud admiſiſſet, per ea, quæ præter alios notant Menochius *lib. 2. de arbitrar. judic. quæſt. caſu 354. n. 12. & 22.* itemq́; Julius Clarus *lib. 5. ſenten. § ult. quæſt. 60. n. 16.* Interim
13 tamen † dominus etiam, cujus juſſu ſervus delictum admiſit, ſive atrox illud ſit, ſive leve, pœnam non effugit, ſicut videre eſt ex principio *l. ſervos 8. C. ad l. Jul. de vi publ. vel privat.* Idq́; notat etiam Menochius *lib. 2. de arb. judic. quæſt. caſu 353. n. 2.* Atq; hinc Paulus in principio *d. l. is damnum.*
14 eum qui damnum † dare jubet, perinde habet, ac ſi ipſe damnum dediſſet.

Quæ de ſervis hoc loco dicta ſunt, ea Decius *in l. 4. n. 7. & 8. ſup. h. t.* ad filios aliosq́; homines
15 † alterius poteſtati ſubjectos extendit.

Ad §.

Ad §. 1.

¶ *Semper qui dolo fecit, quò minus haberet, pro eo habendus eſt, ac ſi haberet.*

Hæc regula planè conſonat *l. qui dolo 131. ſup. h. t.* atque iccirco ex ejus interpretatione ſuum quoque intellectum ſortitur.

Ad §. ult.

¶ *In contractibus ſucceſſores ex dolo eorum, quibus ſucceſſerunt, non tantùm in id, quod pervenit, verùm etiam in ſolidum tenentur, hoc eſt unuſquiſq; pro ea parte, qua heres eſt.*

Regulæ hujus interpretationem retuli *ad l. ſicuti pœna 18 ſup. h. t.*

L. 158.

Gajus libro 26. ad Edictum provinciale.

¶ *Creditor qui permittit rem venire, pignus dimittit.*

SUMMARIA.

1 *Pignoris obligatio ut nudo conſenſu contrahitur: ita & nudo conſenſu diſſolvitur.*

2 *Pignoris diſſolutio non niſi expreſſo creditoris conſenſu fit.*

3 *Alienationi conſentire quis dicatur?*

4 *Pignus ſibi conſtitutum qui patitur alienari quando in*

ſibi † pignus durare, teſte Marciano *in d. l. ſicut.* 7
§ non videtur. Quemadmodum & creditor jus ſuum in pignore † retinet, ſi alienationi ita 8
conſentiat, ut pignoris cauſa nihilominus ſalva maneat. *l. 4. § 1. ſup. quib. mod. pign. vel hypot. ſolvit.* Ac quamvis creditor expreſsè pignus alienari permiſerit: non tamen † propterea ſor- 9
tem ſive debitum principale remiſiſſe cenſetur, niſi id ſpeciatim actum eſſe probetur, vel etiam cautio debitori ſit reddita, veluti interpretes *in l. 2. & 3. ſup. de pact.* tradunt.

L. 159.

Paulus libro 70. ad Edictum.

¶ *Non ut ex pluribus cauſis deberi nobis idem poteſt: ita ex pluribus cauſis idem poſſit noſtrum eſſe.*

SUMMARIA.

1 *Deberi quid mihi, & meum quid eſſe in jure differunt.*

2 *Deberi quid mihi ex pluribus cauſis poteſt.*

3 *Meum quid ex pluribus cauſis eſſe non poteſt.*

4 *Cauſam quod JCti alicubi vocant, id Impp. titulum appellant.*

5 *Juriſconſulti priſci puritatem linguæ latinæ affectârunt.*

6 *Debitum mihi ex cauſis pluribus ſi una ex cauſa petiero, nec obtinuero, ex alia cauſa petere deinde non prohibeor.*

7 Meum

deberi nobis poſſe. Sic eadem res & ex cauſa emptionis, & ex cauſa teſtamenti mihi deberi poteſt, § *ſi res aliena. Inſtit. de legat.* Ideoq; ſi egero in perſonam † ex una cauſa ſive titulo, & ſuc- 6
cubuero, ex altera cauſa experiri poſtea mihi liberum eſt, *per l. & an eadem 14. § penult. ſup. de except. rei judic.*

Verùm quod ex una cauſa meum factum eſt, id non poteſt rurſus ex alia cauſa meum fieri, cùm id, quod † ſemel meum eſt, amplius meum 7
fieri non poſſit, *d. § pen. § ſed ſi rem. Inſtit. de legat. & § ſic itaq; Inſt. de action.* Unde ſi actione in rem egero, nec obtinuero, non poſſum eandem rem poſteà quaſi ex alia cauſa vindicare: quòd ex pluribus cauſis, ut Paulus hîc loquitur, idem noſtrum eſſe non poſſit. Eodemque ſpectat etiam *l. ſi ancillam. 7. C. de contrah. empt.* Etſi verò Baldus & nonnulli alii Juris interpretes hoc tum demum obtinere opinantur, quando diverſis temporibus † plures cauſæ dominio ejuſ- 8
dem rei acquirendo idoneæ concurrunt; atq; inde ex pluribus cauſis tum quoque dominium acquiri poſſe putant, ſi eodem momento cauſæ iſtæ concurrant, per *l. cum quis 38. § de peculio, & l. in numerationibus. 44. ſup. de ſolution.* ubi ex eo, quòd tam Africanus, quàm Marcianus aſſerit, uno † momento ſolvi poſſe id, quod ex pluri- 9
bus cauſis debetur, iſti inferunt, dominium quoq; rei ſolutæ ex pluribus cauſis acquiſitum eſſe: Rectius tamen Cumanus ſtatuit, regulam

hanc generatim intelligendam eſſe de quovis
dominio, quod videlicet non niſi ex una cauſa
contingat. Neq; enim ex hoc, quòd ſolutio in
plures cauſas uno momento fieri poteſt, ſequi-
tur dominium quoque ex pluribus cauſis uno
momento acquiri poſſe: quoniam aut plures
iſtæ cauſæ ita comparatæ eſſent, ut ſingulæ, niſi
conjungerentur, acquirendo dominio non ſuf-
ficerent, cujus rei exemplum in jure nullum ex-
tat: aut ſi ſingulæ dominium perfectè transfer-
10 rent, ejuſdem rei plura † dominia uni eidemq;
perſonæ parerent, quod perquàm abſurdum
eſt. Itaq; in caſu oppoſitarum ll. dominium ex
una duntaxat cauſa, eaq; proxima acquiſitum
11 dicetur, videlicet ex ſolutione, quæ † inſtar tra-
12 ditionis eſt, atque hinc, perinde † ut uſucapio,
dominia rerum transfert, *per l. traditionibus 20. C. de pact.*

L. 160.

Ulpianus libro 76. ad Edictum.

§ *Aliud eſt vendere, aliud vendenti conſentire.*

SUMMARIA.

1 *Venditioni quod tribuitur, & alienationi tribuendum eſt.*

2 *Alienanti conſentire quis poteſt, etiamſi alienare nequeat.*

3 *Minor 20. annis per l. Aeliam Sentiam manumittere ſervum non poterat.*

4 *Manu-*

4 *Manumittenti ſervum minor 20. annis conſentire poteſt.*
5 *Venditioni conſentiens de evictione non tenetur.*
6 *Venditor de evictione tenetur, quamvis illam non promiſerit.*
7 *L. cum quis. 165. ff. h. t. conciliatur cum l. aliud eſt. 160. ff. eod.*
8 *Alienare plus eſt, quàm alienanti conſentire.*
9 *Minus licet ei, cui licet & hoc, quod plus eſt.*
10 *Minus cui licet, ei plus quod eſt non utiq; licet.*
11 *Munere majori qui fungi nequit, minori fungi propterea non prohibetur.*

QUod de venditione † hoc loco dicitur, id 1
de quavis alienatione intelligi debet. Neque enim is, qui alienare nequit, protinus alienanti † conſentire prohibetur: cujus exemplũ 2
extat in minore viginti annis, hic enim per l. Æliam † Sentiam ſervo libertatem dare non 3
poterat. *§ ult. Inſtit. qui & ex quib. cauſ. manumit. non poſſ.* cùm tamen manumittenti † conſentire 4
poſſet, *l. 2. & l. 4. § ult. ſup. de manumiſſ. vindict.* Atque hinc eſt, quòd etiam is, qui venditioni conſenſit, de evictione † rei venditæ non tenetur, 5
niſi ad illam ſeſe adſtrinxerit, *l. exceptione 11. C. de eviction.* cùm tamen venditor evictionis
† nomine teneatur, etiamſi ſpecialiter illam 6
non promiſerit, *l. non dubitatur 6. C. eod.* Verùm huic obſtare † videtur *l. cùm quis 165. inf. h. t.* ubi 7
idem Ulpianus diſertè ait, eum, qui alienare poteſt, & conſentire alienationi poſſe. Reſpondeo

8 ſpondeo plus eſſe † alienare, quàm alienanti
9 conſentire: cui igitur licet † quod plus eſt, eidem & licebit quod eſt minus, *per l.non debet 21. ſup.h.t.* At verò præſens hæc regula caſum inverſum proponit, quod videlicet ei, cui † minus
10 licet, non utique liceat & id, quod eſt majus:
11 Non enim ſequitur: majoribus † muneribus fungi non poteſt, ergo nec minoribus, *per l. relegatorum 7.§ ult.ſup.de interdict. & relegat.*

Ad §. 1.

¶ *Refertur ad univerſos quod publicè fit per majorem partem.*

Summaria.

1 *Pars Incolarum major quod facit an perinde habeatur, ac ſi omnes incolæ illud facerent?*

2 *Omnes quod tangit ab omnibus approbari debet.*

3 *L. per fundum.11.ff. de ſervit. præd. ruſticor. conciliatur cum l. aliud eſt.160.§ 1.ff.h.t.*

4 *Jus eundi agendi per fundum, qui eſt plurium, ei demum acquiritur, cui omnes, quorum fundus eſt, jus illud ceſſerint.*

5 *Fundo magis conſulitur ſi à ſervitute immunis retineatur.*

1 Quod major † pars incolarum alicujus oppidi publicè facit, hoc perinde habetur, ac ſi ab omnibus incolis factum eſſet, *l.quod major 19.ſup.ad municipal.* Idq; verum eſt, ſi omnes, qui

qui ſunt ex iſto oppido, & de quorum præjudicio agitur, ad actum iſtum citati quidem ſint, ſed omnes non comparuerint: ſiquidem actus aliter ratus nõ habetur, quàm ſi † omnes, quorum præjudicium in iſto actu verſatur, ad illum vocati ſint, *per l. de unoquoq; 47. in princ. ſup. de re judic.* Neq; adverſatur huic *l. per fundum 11. ſup. de ſervit. prædior. ruſtic.* † ubi Celſus jus eundi agendi per fundum, qui pluriũ eſt, non aliter meum fieri ait, quàm ſi omnes, quorum fundus eſt, jus † illud mihi ceſſerint: quoniam regula hæc loquitur de ejuſmodi actu, qui neceſſariò expediendus eſt, nec moram longiorem patitur; ſed ut jus eundi, agendi mihi cedatur, id his, quorum fundus eſt, neceſſariò faciendum non eſt, quin ſibi fundoq; magis † conſulerent, ſi eum à ſervitute iſta immunem retinerent.

2 3 4 5

Ad §. ult.

¶ *Abſurdum eſt plus juris habere eum, cui legatus ſit fundus, quàm heredem, aut ipſum teſtatorem, ſi viveret.*

Huic § ſatisfeci *in l. nemo plus 54. ſup. h. t.*

L. 161.

Ulpianus libro 77. ad Edictum.

¶ *In jure civili receptum eſt, quotiens per eum,*

cujus intereſt conditionem non impleri, fiat, quò minus impleatur: perinde haberi, ac ſi impleta conditio fuiſſet. Quod ad libertatem, & legata, & ad heredum inſtitutiones perducitur, quibus exemplis ſtipulationes quoq; permittuntur, cùm per promiſſorem factum eſſet, quò minus ſtipulator conditioni pareret.

Interpretationem hujus l. adjeci *l. in omnibus 39. ſup. h. t.*

L. 162.

Paulus libro 70. ad Edictum.

❡ *Quæ propter neceſſitatem recepta ſunt, non debent in argumentum trahi.*

Senſus hujus l. patet ex iis, quæ notavi *ad l. quod contra 141. ſup. h. t.*

L. 163.

Ulpianus libro 55. ad Edictum.

❡ *Cui jus eſt donandi, eidem & vendendi & concedendi jus eſt.*

Hujus regulæ explicatio reperitur *in l. non debet 21. ſup. h. t.*

L. 164.

Paulus libro 51. ad Edictum.

Pœna-

¶ *Pœnalia judicia ſemel accepta, in heredes tranſmitti poſſunt.*

Quæ ad finem *l. ſicuti pœna 38. & ad l. non ſolet 86. ſup. h. t.* notata ſunt, ea interpretationi hujus l. ſufficiunt.

L. 165.

Ulpianus libro 53. ad Edictum.

¶ *Cùm quis poſſit alienare, poterit & conſentire alienationi. Cui autem donare non conceditur, probandum erit, nec ſi donationis cauſa conſenſerit, ratam ejus voluntatem habendam.*

Intellectum hujus l. commonſtrant ea, quæ paulò antè dicta ſunt de principio *l. aliud eſt 160. ſup. h. t.*

L. 166.

Paulus libro 48. ad Edictum.

¶ *Qui rem alienam defendit, nunquam locuples habetur.*

Quo temperamento accipienda ſit hæc l. oſtendunt ea, quæ tradidi *in l. nemo dubitat 95. ſup. h. t.*

L. 167.

Paulus libro 49. ad Edictum.

¶ *Non videntur data, quæ eo tempore, quo dentur, accipientis non fiunt.*

SUMMARIA.

1 *Dare propriè eſt dominium transferre.*
2 *Datum non intelligitur, quod accipientis non ſit.*
3 *Promiſſor dationis non aliter liberatur, quàm ſi dominium ejus, quod dare promiſit, in ſtipulatorem transtulerit.*

TAmetſi verbum dandi variè in jure accipitur, veluti notat Alciatus *ad l. dediſſe 76. ſup.*
1 *de verbor. ſignificat.* propriè tamen † dare eſt dominium transferre. *§. ſic itaq;. Inſtit. de action.* Un-
2 de non videtur † illud datum, quod eo tempore, quo datur, accipientis non ſit. Cujus exemplum ſumi poteſt *ex l. ubi autem 75. §. ult. ſup. de verbor. obligat.* ubi is, qui promiſit fundum dari,
3 aliter non † liberatur, quàm ſi dominium iſtius fundi in ſtipulatorem transtulerit.

Ad § 1.

5 *Qui juſſu judicis aliquid facit, non videtur dolo malo facere, quia parere neceſſe habet.*

SUMMARIA.

1 *Voluntas delinquentis maleficia diſtinguit.*
2 *Velle non creditur is, qui parere neceſſe habet.*
3 *Judicis juſſu quod ſit, dolo fieri non cenſetur.*
4 *Debitor minori pecuniam juſſu judicis ſolvens ſecurus eſt.*
5 *Judex in his, quæ ipſius officii non ſunt, pro homine privato habetur.*

6 *Judex datus ſententiam ab ſe dictam executioni mandare non poteſt.*

CUm voluntas ac propoſitum † delinquen- 1
tis, ut loquitur Paulus in principio *l. qui in-
juriæ 55. ſup. de furt.* maleficia diſtinguat, ſive, ut ex
reſcripto Divi Adriani refert Calliſtratus *in l.
Divus 14. ſup. ad l. Cornel. de ſicar.* in maleficiis vo-
luntas ſpectetur, non exitus: Et verò voluntas
delinquendi † eſſe nõ credatur, ubi parendi ne- 2
ceſſitas eſt, *per l. 4. ſup. h. t.* conſequens eſt, nec do-
lo eum facere videri, qui juſſu judicis † aliquid 3
facit, quoniam parere ei neceſſe habet. Cujus
exemplum extat *in l. ait Prætor 7. §. ſed etſi. verſ.
quid tamen. ſup. de minorib. 25. ann.* ubi debitor, qui
juſſu Prætoris pecuniam minori † ſine curato- 4
ribus ſolvit, ſecurus eſſe jubetur, nec minor ad-
verſus ſolutionem iſtam in integrum reſtitui
volens auditur. Eodemq́; pertinent etiam illa
exempla, quæ adſcripta ſunt *l. qui autore 137. ſup.
h. t.* Quibus addi poſſunt ea, quæ ſcribit Andr.
Geil. *in obſervat. 102. n. 14. lib. 2. practic. obſer.*

Quod ſi tamen judex mandet ea, quæ præter
ipſius officium ſunt, parendum ei non eſt, quo-
niam in his, quæ videlicet † ipſius officii non 5
ſunt, tanquam homo privatus cenſetur, *per l. nec
magiſtratibus 32. ſup. de injur. & l. factum 170. inf. h. t.*
Itaq; non excuſatur qui aliquid atrocius juſſu
judicis admiſit, argumento eorum, quæ tradidi
in l. ad ea quæ 157. ſup. h. t. ſic impunè etiam reſpui

 poteſt

6 poteſt executio, cui judex † datus ſententiam ab ſe dictam vult mandare, quia ad ipſius officium executio non pertinet, *l. à D. Pio. 15. in princ. ſup. de re judicat.*

L. 168.

Paulus libro 1. ad Plautium.

¶ *Rapienda occaſio eſt, quæ præbet benignius reſponſum.*

Et hujus l. principium intelligitur ex interpretatione *l. ſemper in obſcuris. 9. & l. ſemper in dubiis. 56. ſup. h. t.*

Ad §. 1.

¶ *Quod factum eſt, cùm in obſcuro ſit, ex affectione cujuſq; capit interpretationem.*

Hanc § expoſui ſub *l. in ambiguis 96. ſup. h. t.*

L. 169.

Paulus libro 2. ad Plautium.

¶ *Is damnum dat, qui jubet dare: ejus verò nulla culpa eſt, cui parere neceſſe ſit.*

Qualiter hæc regula accipienda ſit, liquet ex iis, quæ dixi de principio *l. ad ea quæ 157. ſup. h. t.*

Ad § 1.

¶ *Quod pendet, non eſt pro eo, quaſi ſit.*

Sum-

SUMMARIA.

1 *Pendere quid in jure dicatur?*

2 *Conditionale vel in diem rejectum antè effectum non ſortitur, quàm conditio vel dies extiterit.*

3 *Venditio conditionalis tum demum perfecta dicitur, quando conditio evenit.*

PEndere † hoc loco illud dicitur, quod per 1
diei vel conditionis adjectionem ſuſpenſum eſt. Quod itaq; ſic ſuſpenſum eſt, effectum
† antè non ſortitur, quàm dies vel conditio e- 2
venerit, *l. cedere diem 213. in princ. ſup. de verbor. ſignific.* Hinc venditio ſub conditione † facta tum 3
demum perfecta dicitur, cùm impleta conditio fuerit, *l. hæc venditio. 7. in princ. ſup. de contrah. empt.*

L. 170.

Paulus libro 3. ad Plautium.

¶ *Factum à judice quod ad officium ejus non pertinet, ratum non eſt.*

Sententia hujus l. modò expoſita eſt *in l. non videntur 167. § 1. ſup. h. t.*

L. 171.

Paulus libro 4. ad Plautium.

¶ *Nemo ideo obligatur, quia recepturus eſt ab alio quod præſtiterit.*

SUM-

SUMMARIA.

1 *Debitori meo qui obligatus eſt, mihi obligatus non eſt.*

2 *Tutor creditoribus ſui pupilli obligatus non eſt.*

3 *Tutor quod pupilli ſui nomine de ſuo ſolvit, contraria tutelæ actione recuperare poteſt.*

4 *Creditor mei creditoris id, quod ego mei creditori debeo, petere à me non poteſt, niſi actionem à meo creditore ſibi ceſſam habeat.*

5 *Obligatus ex eo nemo dicitur, quòd actione repetere poſſit id, quod pro alio præſtitit.*

6 *Opus in re communi factum is demum reſtituere tenetur, qui illud fecit.*

JOhan. Ramus regulam hanc ſic intelligit,
1 quòd is, qui debitori † meo obligatus eſt, mihi obligatus non ſit, quantumvis id, quod fortè mihi præſtitit, in ſolutum ſuo creditori reputaturus, aut ab eo mandati actione recepturus ſit: quoniam hujuſmodi contrahendæ obligationis modus nuſquam in jure expreſſus eſt. Cujus exemplum ſumi poteſt ex §. *tutores. Inſtit. de obligat. quæ quaſi ex contract. naſcun.* ubi tutor
2 † creditoribus ſui pupilli obligatus eſſe non dicitur, quamvis id, quod pupilli nomine de ſuo
3 † ſolvit, contraria tutelæ actione recuperare poſſit.

Sic nec creditor mei creditoris ullam adver-
4 ſus me actionem habet, † qua id, quod ego meo creditori debeo, extorquerere mihi poſſit, niſi

actio

actio illi à meo creditore ceſſa ſit, *per l. penult. C. de obligat. & action. & l. ult. C. quand. fiſc. vel privat. debit. ſuo debit. conven. poſ.* Tametſi extra hunc caſum quoq; generatim verum ſit, neminem ideo † obligari, quòd actionem habiturus ſit de 5 eo, quod præſtiterit: alioquin quivis hac ratione obligaretur ad ſolvendum pro alio, quia actione negotiorum geſtorum recepturus ſit quod ſolvit. Cujus inſigne exemplum tradit Paulus *in l. ſupra iter 11. § apud. ſup. de aq. & aqu. pluv. arcend.* ubi iniquum ait eſſe eum, qui opus † non 6 fecit in re, quam cum alio communem habet, ad reſtitutionem iſtius operis teneri propterea, quòd actione communi dividundo recipere poſſit quod præſtitit.

L. 172.

Paulus libro 5. ad Plautium.

In contrahenda venditione ambiguum pactū contra venditorem interpretandum eſt.

Intellectus hujus regulæ enodatus eſt *ſub l. in ambiguis 96. ſup. h. t.*

Ad §. 1.

Ambigua autem intentio ita accipienda eſt, ut res ſalva actori ſit.

Hujus §. ſenſum expoſui *in fine l. quoties idem 67. & l. in ambiguis 96. ſup. h. t.*

L. 173.

L. 173.

Paulus libro 6. ad Plautium.

¶ *In condemnatione perſonarum, quæ in id, quod facere poſſunt, damnantur, non totum, quod habent, extorquendum eſt: ſed & ipſarum ratio habenda eſt, ne egeant.*

Senſum ac rationem hujus regulæ ſatis declarant ea, quæ ſcripſi *ad l. D. Pius 28. ſup. h. t.*

Ad §. 1.

¶ *Cùm verbum* Reſtituas, *lege invenitur, etſi non ſpecialiter de fructibus additum eſt, tamen etiam fructus ſunt reſtituendi.*

SUMMARIA.

1 *Reſtitutum quid non dicitur, niſi cum omni utilitate reſtituatur.*

2 *Acceſſiones quævis reſtitutionis verbo continentur.*

3 *Hereditas reſtituta non dicitur, niſi illud quoq; reſtituatur, quod hereditati acceſſit.*

1 REſtitutum id demum intelligitur, † quod cum omni utilitate reſtitutum eſt, *l. cum Prætor. 81. ſup. de verbor. ſignific.* Quare partus, fru-
2 ctus, ac quævis aliæ acceſſiones † reſtitutionis verbo continentur, *l. videamus 38. §. in Faviana. ſup. de uſur.* Niſi enim actori reſtituatur omne id, quod habiturus eſſet, ſi controverſia ei facta non

non fuiſſet, reſtitutionem ei factam eſſe Paulus negat *in l. reſtituere 75. eod. tit.* Unde etiam ei, cui
† hereditas eſt reſtituenda, reſtitui oportet o- 8
mne id, quod hereditati acceſſit, *l. item veniunt 20. §. item non ſolum. ſup. de heredit. petit.* Eodemq; pertinet *l. quod ſi minor 24. §. penult. ſup. de minorib. 25. ann.* cujus ſpeciem Octavianus Cacheranus *in deciſ. Pedem. 160.* egregiè declarat.

Ad §. penult.

¶ U*nicuiq; ſua mora nocet, quod & in duobus reis promittendi obſervatur.*

Summaria.

1 *Mora cuiq; ſua nocet.*

2 *Societas culpam ab uno ex ſociis commiſſam communem non facit.*

3 *L. pen. ff. de duob. re. conſtit. conciliatur cum l. in condemnatione. 173. § pen. ff. h. t.*

4 *Obligatio plurium reorum promittendi tollitur, ſi unus obligationi iſti ſatisfecerit.*

5 *Jusjurandum ab uno ex reis promittendi delatum ſtipulatori reliquis nocet.*

6 *Jusjurandum pro ſolutione cedit.*

QUando agitur de mora per dolum vel culpam unius ex correis debendi contracta,
ſua unicuiq; mora † nocet, non alteri, textus 2
hic & in l. mora 32. § penult. ſup. de uſur. Nec diſtinguendum eſt hoc caſu, utrum correi ſocii ſint,

am

an non ſint: quoniam ſocietas bonorum quidem communicationem inducit, ſed moram,
2 quæ ab uno † ex ſociis commiſſa eſt, communem propterea non facit, *per l. eandem 9. § 1. ſup. de duob. reis conſtitu. & l. 1. § ſi apud duos. ſup. depoſit.*
3 Verùm regulæ huic graviter obſtare † videtur *l. penul. ſup. de duob. reis conſtit.* ubi Pomponius diſertè dicit, factum alterius ex duobus reis promittendi alteri quoq; nocere: quod ipſum Imp. Juſtinianus quoq; confirmat *in l. ult. C. eod.* Alii aliter hanc diſcrepantiam diſſolvunt, ſicut videre eſt ex iis, quę tradit Jul. Pacius *in quæſt. 34. centur. 7. ll. conciliat.* Mihi veriſſima videtur ſolutio illorum, qui *d. l. pen.* accipiunt de ejuſmodi facto, per quod obligatio diſſolvitur: hoc enim
4 ſi ab uno † ex duobus reis promittendi intervenerit, alteri quoq; & nocet, & prodeſt. Prodeſt quidem, ſi unus fortaſſis ſolidum ſolverit, vel uni facta ſit acceptilatio: nam utriuſq; obligatio in ſolidum perimitur ſic, ut nec alter eo nomine conveniri amplius poſſit, *l. 2. ſup. de duob. reis conſtit. & l. ſi rem 31. § 1. ſup. de novation.*
5 Nocet verò, ſi fortè unus † ſtipulatori jusjurandum detulit, hoc enim alteri etiam nocebit, teſte Ulpiano in principio *l. in duobus 28. ſup. de jurejur.* cujus rationem Paulus in *l. tutor. 35. §. 1.*
6 *eod.* hanc reddit, † quòd juſiurandum pro ſolutione cedat.

Ad §. ult.

¶ *Dolo facit qui petit quod redditurus eſt.*

Hujus §. interpretatio conjuncta fuit cum explicatione *l. qui cum alio 19. § 1. ſup. h. t.*

L. 174.

Paulus libro 8. ad Plautium.

¶ *Qui poteſt facere, ut poſſit conditioni parere, jam poſſe videtur.*

Summaria.

1 *Conditio, quam implere quis poteſt, nec implet, pro impleta habetur.*

2 *Poſſe quis id demum dicitur, quod ſine damno ſuo facere poteſt.*

EA quoq; conditio pro impleta † habetur, 1 cui non paret is, qui commodè illi parere poteſt: quod ipſum & Ulpianus *in l. 1. §. qui ſub conditione. ſup. ſi quis omiſſ. cauſ. teſtam. ab inteſt. vel al. mod. poſſid. hered.* & Pomponius *in l. ſi quis 23. §. 1. ſup. de hered. inſtit.* expreſſit. *Commodè*, inquam, quoniam id demum † quis poſſe dicitur, quod 2 ſine incommodo ſuo facere poteſt, argumento *l. nepos 125. ſup. de verbor. ſignific.*

Ad §. 1.

¶ *Quod quis, ſi velit, habere non poteſt, id repudiare non poteſt.*

Hujus regulæ intellectus expreſſus eſt *in l.3. ſup. h.t.*

L. 175.

Paulus libro 11. ad Plautium.

¶ *In his officiis quæ per liberas fieri perſonas leges deſiderant, ſervus intervenire non poteſt.*

Et mens, & exempla hujus regulæ tradita ſunt *ſub l. in perſonam 22. ſup. h.t.*

Ad §. 1.

¶ *Non debeo melioris conditionis eſſe, quàm auctor meus, à quo jus in me tranſit.*

Hujus §. ſenſus ſumi debet ex iis, quæ annotata ſunt *ad l. nemo plus 54. ſup. h.t.*

L. 176.

Paulus libro 13. ad Plautium.

¶ *Non eſt ſingulis concedendum, quod per magiſtratum publicè poſſit fieri, ne occaſio ſit majoris tumultus faciendi.*

SUMMARIA.

1 *Judicia in quem finem conſtituta ſint?*

2 In-

2 *Injuriam ſibi factam nemo propria autoritate vindicare debet.*
3 *Diſſenſionis occaſio in Republica evitanda eſt.*
4 *Emphyteuta canonem triennio non ſolvens ſine judicis autoritate fundo Emphyteutico expelli non poteſt.*
5 *Creditor poſſeſſionem fundi ſibi pignori dati eo caſu, quando pecuniam à debitore ſolutam non accepit, non niſi Præſidis autoritate ingredi poteſt.*
6 *Creditor debitori quod is debet propria autoritate extorquens, jus crediti amittit.*
7 *Poſſeſſionem rei qui irrequiſito magiſtratu violenter ingreditur, is dominium, ſi illud habet, amittit, aut ſi dominus non eſt, æſtimationem ejus rei præſtare tenetur.*
8 *L.1.C.quand.lic.unic.ſin.judic.ſe vindic.conciliatur cum l.ſi quis in tantam.7.C.und.vi.*
9 *Viarum obſeſſor impunè, etiam magiſtratu non adito, interfici poteſt.*
10 *Fur nocturnus in agris impunè occidi poteſt.*
11 *Defenſio ſalutis propriæ nemini denegata eſt.*

MAgiſtratus in eum præcipuè finem † ju- 1
dicia conſtituit, ne quis ipſe ſibi jus dicat,
aut injuriam, ſi quam paſſus eſt, propria † auto- 2
ritate vindicet: verùm omne hoc publica magiſtratus autoritate expediri jura volunt, ut occa-
ſio omnis tumultus ac diſſenſionis † in Repu- 3
blica evitetur. Quam ob cauſam quoq; Martinus & Bulgarus, ſicut notat Sichardus ad *l. 2. n.*

16. *C. de jur. emphyt.* contra Accurſium ſtatuunt, domino permiſſum non eſſe, ut emphyteutam,
4 qui † canonem triennio non ſolvit, fundo emphyteutico ſine judicis autoritate ejiciat: præſertim cùm Impp. Severus & Antoninus *in l. 3. C. de pignor.* creditores, quibus pecunia non eſt
5 reddita, diſertè jubeant, ut † poſſeſſionem fundi oppignerati autoritate præſidis adipiſcantur, quantumvis ex lege conventionis poſſeſſionem iſtam propria autoritate ingredi eo caſu ipſis liceat. Quò referri etiam poteſt *l. extat 13. ſup. quod met. cauſ. geſt. er.* ubi Calliſtratus ex de-
6 creto D. Marci refert, eum jus † crediti amittere, qui id, quod deberi ſibi putat, non per judicem repoſcit, ſed ipſe invito debitori aufert.

Qua ratione receptum quoque eſt, ut, qui
7 poſſeſſionem rei alicujus, magiſtratu non † requiſito, violenter ingreditur, reſtituere illam cogatur, & præterea dominium ejus amittat, aut ſi dominus non eſt, æſtimationem illius rei præſtare compellatur, *l. ſi quis in tantam 7. C. und.*
8 *vi.* Neq; his adverſatur † *l. 1. C. quand. lic. unic. ſin. judic. ſe vindic.* ubi cuivis liberum permittitur
9 † obſeſſorem viarum furémve nocturnum in
10 † agris, etiam judice non adito, interimere, quoniam ſpecialiter illud Imperatores permiſerunt, ne quiſquam in periculo vitæ conſtitu-
11 tus rationem defendendæ † ſalutis ſibi denegatam eſſe putaret. Eodemq; pertinent *l. 3. ſup. de juſtit. & jur. l. ait Prætor 10. §. ſi debitorem. 16. ſup. quæ*

in

in fraud.credit.fact.ſunt,& l.3.§ cum igitur.ſup.de vi& vi armat. Nec parum ad pleniorem hujus regulæ intellectum faciunt ea, quæ Menochius *de recuperand. poſſeß. remed.8.n.34.* tradit.

Ad §. 1.

¶ *Infinita æſtimatio eſt libertatis & neceſſitudinis.*

Intellectum hujus regulæ aperui *in l. libertas 106. ſup. h. t.*

L. 177.

Paulus libro 14. ad Plautium.

¶ *Qui in jus, dominiúmve alterius ſuccedit, jure ejus uti debet.*

Principium hujus l. ſatis intelligitur ex iis, quæ tradidi *ad l. nemo plus 54. ſup. h. t.*

Ad § 1.

¶ *Nemo videtur dolo exſequi, qui ignorat cauſam, cur non debeat petere.*

Summaria.

1 *Doli argui non poteſt is, qui ejus, quod ſolvere debet, quantitatem ignorat.*

2 *Heres ſi ignorans petat id, quod defunctus remiſit, vel acceptum tulit, doli inſimulari non poteſt.*

QUemadmodum doli argui non † poteſt, 1 qui ignorat cui, aut quantum ſolvere de-

beat, veluti dixi *in l. qui in alterius 42. & l. qui ſine 63. ſup. h. t.* Ita etiam ex mente hujus regulæ do-
2 lus adſcribi non poteſt † heredi, quando ignorans petit id, quod defunctus remiſit vel acceptum tulit: quod ipſum quoq; Ulpianus *in l. 2. § & generaliter. ſup. de dol. mal. & met. except.* ſentit.

L. 178.

Paulus libro 15. ad Plautium.

¶ *Cùm principalis cauſa non conſiſtat, plerumq; ne ea quidem, quæ ſequuntur, locum habent.*

De hujus l. ſenſu dixi *in l. nihil dolo 129 § 1. ſup. h. t.*

L. 179.

Paulus libro 16. ad Plautium.

¶ *In obſcura voluntate manumittentis favendum eſt libertati.*

Hujus regulæ explicationem adjeci *l. quoties dubia 20. ſup. h. t.*

L. 180.

Paulus libro 17. ad Plautium.

¶ *Quod juſſu alterius ſolvitur, pro eo eſt, quaſi ipſi ſolutum eſſet.*

Summaria.

1 *Pecunia ſi quam indebitam quis juſſu alterius ſolvit, repeti poteſt ab eo, cujus juſſu ſoluta eſt.*

2 Solu-

2 *Solutum mulieri intelligitur quod ejus juſſu alteri ſolutum eſt.*
3 *Obligatio tollitur ſimul ac ei ſatisfactum eſt.*
4 *Feciſſe ipſe intelligitur, qui per alium quid facit.*
5 *Debitum creditori per alium ſolutum perinde habetur ac ſi ab ipſo debitore ſolutum eſſet.*

SI inſcriptio hujus l. attendatur, apparebit eam Pauli eſſe, atque ex ipſius libro 17. ad Plautium deſumptam, ex quo libro cùm deſumpta quoque ſit *l. ſi donaturus 9. ſup. de condict. cauſ. dat. cauſ. non ſecut.* colligere haud eſt difficile, quæſtionem *in § 1. iſtius l.* propoſitam ex præſente hac regula deciſam fuiſſe. Etenim quæritur eò loci, utrum is, qui per errorem pecuniam indebitam juſſu mulieris ſponſo ejus numeravit, condictione illam repetere poſſit à viro, cui pecuniam numeravit, an verò ab ipſius uxore, cujus juſſu pecunia numerata eſt? Reſpondet Paulus, condictionem iſtam † compe- 1
tere adverſus mulierem, quòd ipſi ſolutũ † in- 2
telligatur, quod ejus juſſu ſponſo ſolutum eſt.

Verumenimverò hoc ipſo improbatam nolo ſententiam illorum, qui l. hujus mentem hanc eſſe ajunt, diſſolvi obligationem ſimul ac † ei ſatisfactum ſit, ſive hi ipſi, per quos illa 3
contracta eſt, ſive alii ipſorum juſſu ei ſatisfeciſſent: cùm ipſe feciſſe † cenſeatur, qui per a- 4
lium quid facit, *per l. ita autem. 5. § quod ſi quis. ſup. de adminiſt. & peric. tutor. & l. 1. § dejeciſſe. ſup. de vi & vi armat.* Quemadmodum igitur liberaris, ſi

 ipſe

3 Ipſe creditori tuo † debitum ſolvas: ita quoq; liberaberis, ſi alius tuo juſſu ei ſolverit, per *l. cum juſſu 64. ſup. de ſolution.*

L. 181.

Paulus libro 1. ad Vitellium.

¶ *Si nemo ſubiit hereditatem, omnis vis teſtamenti ſolvitur.*

Interpretatio hujus l. elucebit, ſi viſa fuerint ea, quæ ſcripſi *ad l. quandiu 89. ſup. h. t.*

L. 182.

Paulus libro 3. ad Vitellium.

¶ *Quod nullius eſſe poteſt, id ut alicujus fieret, nulla obligatio valet efficere.*

SUMMARIA.

1. *Commerciis hominum quod exemptum eſt, id nullius eſt.*
2. *Sacræ, religioſæ, ac ſanctæ res nullius ſunt.*
3. *Nullius per excellentiam dicitur eſſe id, quod nec occupatione dominio alterius ſubjici poteſt.*
4. *L. 3. ff. de acquir. rer. domin. conciliatur cum principio l. ſed Celſus. 6. ff. de contrah. empt.*
5. *Occupanti cedit quod nullius eſt.*
6. *Nullius propriè id eſſe dicitur, quod nec proprietate, nec uſu ullo cujuſquam eſt.*

7. Beſtia

7 *Beſtiæ feræ ei cedunt, qui illas capit.*
8 *Beſtiæ feræ nihil in ſe habent quod alterius ſit.*
9 *Sacræ, religioſæ & ſanctæ res ſine alterius injuria occupari non poſſunt.*
10 *Sacræ, religioſæ & ſanctæ res quatenus nullius ſint?*

RES nullius eſſe hoc loco dicuntur illæ, quæ commerciis † ac privatis hominum uſibus exemptæ ſunt: quales ſunt res ſacræ, † religioſæ, & ſanctæ. *§ nullius autem. Inſtit. de rer. diviſion.* Hæ enim κατ᾽ ἐξοχὴν dicuntur † nullius eſſe, quoniam nec occupatione, nec ullo alio modo alterius dominio ſubjici poſſunt, *l. ſed Celſus 6. in princ. ſup. de contrah. empt. & l. inter ſtipulantem 83. § ſacram. ſup. de verb. obligat.* Neq; obſtat huic † principium *l. 3. ſup. de acquirend. rer. domin.* ubi Gajus ait, naturali ratione id occupanti † concedi quod nullius eſt, quam regulam quoq; repetit Imp. Juſtinianus *in § feræ igitur. Inſtit. de rer. diviſ.* quoniam loquitur & Gajus & Juſtinianus de ejuſmodi re, quæ verè atque omni ex parte nullius eſt, hoc eſt, quæ nec proprietate † nec uſu ullo vel publicè vel privatim cujuſquã eſt. Hujus generis ſunt feræ beſtiæ & volucres, quippe quæ naturali † ratione fiunt ejus, qui illas capit, cùm in iis omni jure nihil ſit alieni, ac proinde † in iis occupandis alteri nihil detrahatur. At verò res ſacræ, religioſæ, ac ſanctæ † ita comparatæ ſunt, ut nõ ſine injuria alterius occupari poſſint: cùm rebus ſacris ad res ſacras,

1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9 (margin)

religioſis ad humationem, ſanctis ad civitatum defenſionem homines utantur. Licet ergo hu-
20 juſmodi res † quo ad proprietatem & privatum uſum attinet, nullius ſint: uſu tamen non profano hominum illæ ſunt, cujuſmodi uſus occupatione hominibus adimi nullo jure poteſt, *per l. 2. ſup. de his qui ſui vel alien. jur. ſunt.*

L. 183.

Marcellus libro 3. Digeſtorum.

¶ *Etſi nihil facilè mutandum eſt ex ſolennibus: tamen, ubi æquitas evidens poſcit, ſubveniendum eſt.*

Hanc regulam perſpicuam reddunt ea, quæ notavi *ad l. in omnibus 90. ſup. h. t.*

L. 184.

Celſus libro 7. Digeſtorum.

¶ *Vani timoris juſta excuſatio non eſt.*

Regulæ hujus explicationem conjunxi cum interpretatione *l. in omnibus 29. ſup. h. t.*

L. 185.

Celſus libro 8. Digeſtorum.

¶ *Impoſſibilium nulla obligatio eſt.*

S U M M A R I A.

1 *Impoßibile eſt quod per rerum naturam fieri non poteſt.*

2 Im-

2 *Impoſsibile & illud dicitur, quod per leges fieri nequit.*

3 *Stipulatio bonis moribus vel legibus repugnans impoſsibilis cenſetur.*

4 *Soror fratri per leges nubere non poteſt.*

AD hujus l. interpretationem plurimùm faciunt ea, quæ dictavi *ad l. verum eſt 31. & l. ex qua dari 135. ſup. h. t.* quibus in præſenti hoc addendum puto, impoſſibile † non id ſolùm dici, 1 quod per rerum naturam fieri non poteſt: ſed hoc quoq; in jure † impoſſibile cenſeri, quod 2 per leges fieri non poteſt. Unde etiam ſtipulationem iſtam ceu impoſſibilem jura reſpuunt, 3 quæ contra bonos mores eſt, vel etiam juris diſpoſitioni repugnat, veluti ſi quis ſororem nupturam ſibi ſtipuletur, *l. ſi ſtipulor 35. § 1. & l.* 4 *continuus 137. § cum quis ſub hac conditione. ſup. de verb. obligat.*

L. 186.

Celſus libro 12. Digeſtorum.

¶ *Nihil peti poteſt ante id tempus, quo per rerum naturam perſolvi poſſit. Et cùm ſolvendi tempus obligationi additur, niſi eo præterito peti non poteſt.*

SUMMARIA.

1 *Obligationis in tempus concepta diſſolutio peti antè non poteſt, quàm tempus illud abierit.*

2 Temp-

2 *Tempore plus petit qui præmaturè petit.*
3 *Obligationi tempus vel expreſsè vel tacitè additur.*
4 *Tempus obligationi quando expreſſè additum dicatur?*
5 *Dies ſolutioni dictus totus arbitrio ſolventis tribuitur.*
6 *Tempus quando tacitè obligationi adjectum eſſe cenſeatur.*
7 *Fructus peti antè non poſſunt, quàm maturuerint.*
8 *Locus ſolutioni deſtinatus facit, ut ſolutio exigi antè non poßit, quàm commodè in locum iſtum perveniri poßit.*

QUando tempus obligationi eſt additum, tùm id, quod in obligationem deductum
1 eſt, peti antè non † poteſt, quàm tempus illud præterierit, cùm tempore plus petat, atque ie-
2 circo etiam in pœnam † plus petentium incidat, qui præmaturè petit, teſte Imp. Juſtiniano *in §. ſi quis agens. verſ. plus autem. Inſtit. de action.*

Quando autem tempus obligationi additum intelligatur, id verò jure quæri poſſit? Sanè regula hæc haud obſcurè docet, obligationi
3 † tempus addi vel expreſsè, vel tacitè. Expreſsè
4 tempus † obligationi additur, ſi præſtationi rei debitæ dies nominatim dicatur, veluti ſi quis Calendis Martiis ſeſe ſoluturum, vel quid aliud facturum promittat: quo caſu res promiſſa exigi antè non poteſt, quàm Calendæ iſtæ abie-
5 rint: ſiquidem dies ſolutioni † adjectus totus arbi-

arbitrio ſolventis tribui debet : neq; enim dici poteſt, ſolutum ſive præſtitum quid non eſſe prius, quàm dies iſte præterierit, *§.omnis ſtipulatio. Inſtit. de verb. obligat. & l. cedere diem 213. ſup. de verbor. ſignificat.* Tacitè verò tempus† obligatio- 6
ni additum cenſetur, quando præſtatio rei debitæ ſuâ naturâ in certum tempus rejecta eſt. Cujus exemplum Paulus in principio *l. interdum 73. ſup. de verb. obligat.* ponit in fructibus promiſſis : hi enim peti antè non poſſunt, † quàm ma- 7
turuerint, quia nec per rerum naturam prius præſtari poſſunt. Sic qui decem ſibi Baſileæ dari ſtipulatus eſt eo momento, quo Marpurgi fuit, is, licet purè ſtipulatus ſit, petere tamen decem antè non poteſt, † quàm commodè Baſi- 8
leam perveniri poſſit : quòd dies tacitè huic ſtipulationi inſit, veluti ex Juliano refert Ulpianus *in l. 2. §. qui ita ſtipulatur. ſup. de eo quod cert. loc. dar. oport.* cui Venulejus *in l. continuus 137. §. cum ita. ſup. de verb. obligat.* apprimè conſentit.

L. 187.

Celſus libro 16. Digeſtorum.

¶ *Si quis prægnantem uxorem reliquit, non videtur ſine liberis deceſſiſſe.*

S u m m a r i a.

1 *Liberos reliquiſſe intelligitur qui uxorem prægnantem reliquit.*

2 Na-

2 Naſcendus pro nato habetur, quando de ipſius commodo quæritur.

3 L. quod dicimus. 231. ff. de verb. ſignif. conciliatur cum l. qui in utero. 7. ff. de ſtat. homin.

4 Homo naſcendus pro nato non habetur, quando alterius utilitas quæritur.

5 Venter ob ſolam partus naſcituri ſpem in poſſeſſionem hereditatis mittitur.

6 Conditio hæc, ſi liberos habuerit, impleta cenſetur, ſi uxor prægnans relicta ſit: dummodo poſtea illa partum vivum ediderit.

7 Liberorum appellatione non gaudent qui mortui naſcuntur.

8 Liberi abortivi teſtamentum paternum, in quo fuerunt præteriti, non rumpunt.

9 Partus vivus editus teſtamentum patris rumpit, ſi in illo præteritus fuit, quamvis illicò obierit.

10 Partum qui abegit an pœna l. Corneliæ de ſicariis teneatur?

11 Abortui cauſam qui dat, ſecus non habetur quàm is, qui partum abegit.

12 Partum qui abigit ex reſcripto Impp. Severi & Antonini temporali exilio multatur.

13 Reſcriptum illud, cujus in l. Cicero. 39. ff. de pœn. ſit mentio, cujus Imp. fuerit?

14 Abortionis poculum qui dat, is ultimo ſupplicio afficitur, ſi mulier inde perierit.

15 Poculum amatorium alteri qui propinat, is pœnam capitis luit, ſi homo inde mortuus ſit.

16 Homicidii pœnam meretur is, qui fecit, quò minus fœmi-

fœmina concipere, aut partus ab ipſa conceptus naſci poſſet.

17 Seminis malitioſam profuſionem Deus ut homicidium in Onane punivit.

18 Partum animatum in utero adhuc exiſtentem quidam à partu vitam necdum habente diſcernunt, atq; eum ſolummodò pœna l. Corneliæ de ſicariis plecti volunt, qui partum animatum abegiſſet.

19 Partus quando in utero animatus ſit?

20 Abortioni cauſam dantes ex quorundam JCtorum ſententia extra ordinem pro judicis arbitrio puniendi ſunt.

21 Hominem interemptum, vel ipſius interimendi cauſa quid actum eſſe oportet, ut l. Corneliæ de ſicariis locus ſit.

22 Partus etiam animatus pro homine non habetur antè quàm in lucem editus ſit.

23 L. ſi mulierem. 8. ff. ad l. Cornel. de ſicar. conciliatur cum l. ſi quis. 38. §. qui abortionis. ff. de pœn.

24 Hominis vocabulum in l. ſi quis. 38. §. qui abortionis. ff. de pœn. mulieri non opponitur.

25 Hominis appellatione tam fœmina, quàm mas continetur.

26 Intellectus l. ſi quis. 38. § qui abortionis. ff. de pœn.

27 Amatorium poculum & fœmina & mari parari poteſt.

28 L. 3. § adjectio autem. ff. ad l. Cornel. de ſicar. conciliatur cum l. ſi quis. 38. §. qui abortionis. ff. de pœn.

29 *Poculum amatorium qui alteri propinat, an gravius peccet, quàm is, qui medicamentum ad conceptionem dedit, ex quo mulier periit?*

30 *Amatorium poculum in quem finem detur?*

31 *Conceptioni qui inſervit rei licitæ dat operam.*

32 *Amatorium poculum qui alteri propinat rem illicitam facit.*

33 *Medicamentum, quod ad conceptionem datur, ex quibus confici ſoleat?*

34 *Amor vel abortus quibus medicamentis cieri ſoleat?*

35 *L. Cicero. 39. ff. de pœn. conciliatur cum l. ſi mulierem. 8. ff. ad l. Cornel. de ſicar.*

36 *Pecuniæ interventus delictum ſæpius aggravat.*

37 *Pœna capitalis quæ dicatur?*

38 *Partum animatum qui abigit ex Carolina conſtitutione ordinaria homicidii pœna plectitur.*

39 *Abortui cauſam dans quomodo l. Moſaica puniatur?*

1 Liberos † reliquiſſe intelligitur, qui uxorem
prægnantem reliquit: quoniam is, qui in u-
2 tero eſt, tum, quando † de ipſius commodo
quæritur, perinde habetur, ac ſi in rebus huma-
nis eſſet, *l. qui in utero 7. ſup. de ſtat. hom.* A qua l.
3 non † diſſentit *l. quod dicimus 231. ſup. de verbor. ſi-
gnif.* quoniam Paulus ibidem eum, qui in utero
4 eſt, ita demum pro jam nato haberi † non vult,
ſi de alterius utilitate quæratur. Hujus autem
regulæ exemplum dari poteſt *ex l. 1. §. 1. ſup. de
5 vent. in poſſeſ. mittend.* ubi venter † ob ſolam na-
ſcendi

ſcendi ſpem in hereditatis poſſeſſionem mittitur. Sic cui legatum quid eſt ſub hac conditione, † ſi liberos habuerit, ei legatum quaſi impleta conditione debetur, ſi prægnante uxore relicta diem ſuum obierit, *l. is cui 18. ſup. quand. dies legat. vel fideic. ced.* Quod tamen ita demum verum eſt, ſi mulier iſta partum vivum, cujus lucro videlicet legatum cedere poſſit, poſtea enixa ſit. Nam qui mortui naſcuntur, neq; nati, neq; procreati † videntur, atque hinc liberorum appellatione non gaudent, veluti ſcribit Paulus *in l. qui mortui 129. ſup. de verb. ſignific.* Quam ob cauſam quoq; liberi † abortivi, qui videlicet vivi nati non ſunt, teſtamentum paternum, in quo fuêre præteriti, non rumpunt, quod tamen in ejuſmodi caſu † rumperent, ſi vivi nati eſſent, quamvis illico deceſſiſſent, ut videre eſt ex reſcripto Impp. Diocletiani & Maximiani, quod extat *in l. 2. C. de poſthum. hered. inſtit. vel exhered.* cui ex ſententia Sabinianorum Imp. Juſtinianus quoq; *in l. 3. C. eod. adſtipulatur.*

6 (beside "ne, † ſi liberos habuerit")
7 (beside "neq; procreati † videntur")
8 (beside "ob cauſam quoq; liberi † abortivi")
9 (beside "men in ejuſmodi caſu † rumperent")

Quibus paulò pleniùs illuſtrandis magnoperè inſervit nobilis hæc ac vulgata quæſtio: An l. Corneliæ de ſicariis pœna teneatur is, qui vel partum † abegit, vel gravidam mulierem ita læſit, aut verbis etiam offendit, ut † concepti partus abortum faceret? Hujus quæſtionis deciſionem difficiliorem reddunt diverſa JCtorum reſponſa. Nam Marcianus *in l. 4. ſup. de extraordin. criminib.* refert Impp. Severum & Antoninum

10 (beside "vel partum † abegit")
11 (beside "ita læſit, aut verbis etiam offendit, ut † conce-")

12 ninum reſcripſiſſe eam, quæ data opera † partum abegiſſet, temporali exilio multatam eſſe, ne impunè maritum liberis fraudaſſe videatur.
13 Atque hoc ipſum puto eſſe reſcriptum † illud, cujus Tryphonius quoq; meminit *in fine l. Cicero.39. ſup. de pœn.* dum ſcribit, ab optimis Impp. mulierem temporali exilio coërcitam fuiſſe, quòd prægnans viſceribus ſuis vim intuliſſet, ne marito inimico filium procrearet. Similiter & Ulpianus *in l. ſi mulierem 8. ſup. ad l. Cornel. de ſicar.* mulierem iſtam, quæ partum abegiſſet, in exilium à Præſide provinciæ agendam eſſe ſcribit. Verùm Paulus *in l. ſi quis. 38. §. qui abortionis.*
14 *ſup. de pœn.* eum, qui abortionis, aut † amatorium poculum dediſſet, ultimo ſupplicio affici-
15 endum eſſe refert, † ſi eo mulier aut homo periiſſet. Neque ab hoc diſſentit Tryphonius in principio *d. l. Cicero.* ubi ab eo, quod in fine ejuſdem l. tradit, contrarium inducit, videlicet Ciceronem in oratione pro Cluentio ſcripſiſſe, mulierem, quæ accepta pecunia partum ſibi medicamentis ipſa abegiſſet, rei capitalis damnatam fuiſſe. Paulo aſſentitur Pontifex Stephanus *in c. conſuluiſti. 2. q. 5.* ubi homicidam pronunciat eum, qui conceptum in utero per abortum deleviſſet. Quinimò *c. ſi aliquis. 5. de homicid.* eum quoq; homicidam judicat, qui poculum dedit, vel quid aliud fecit, quò minus ſoboles concepta naſci poſſet, vel etiam quò minus quis gignere aut fœmina concipere poſſet.

Ex

Ex quo textu nonnulli colligunt de jure Canonico ut homicidam † teneri illum, qui dolo malo fecit, quò minus homo eſſet. Idque à ſacris literis alienum eſſe negant: quòd conſtet ex *Geneſ. cap. 38. verſ. 10.* Deum Onanem ut homicidam necaſſe, quòd † ſemen malitiosè profudiſſet. 16 17

At verò Didacus Covarruv. *in cap. ult. n. 10. lib. 2. variar. reſolut. & in Clement. ſi furioſus. part. 2. §. 3. n. 1. de homicid.* partum animatum diſcernit ab iſto partu, qui animam † necdum habet: atque eum ordinaria l. Corneliæ de ſicariis pœna teneri ait, qui partum animatum abegit, vel fecit quò minus ille vivus in lucem ederetur: qui verò abortioni cauſam dedit tùm, quando partus animam rationalem necdũ in utero matris habet (quod Plinius in *cap. 6. lib. 9. naturalis hiſtoriæ*, fieri ait ante diem 40. ſi partus † maſculinus ſit, vel, ſi fœmineus ſit, ante diem 90. à conceptione numerandum) illum extraordinaria exilii pœna plectendum eſſe air. Eademq; diſtinctione pugnantia prædictorum Jctorum reſponſa concilianda eſſe haud obſcurè innuit Duarenus *ad hunc tit. cap. 2.* Neque à conciliatione hac abhorret Sichardus *in l. 2. n. 2. C. de poſth. hered. inſtit.* Cujacius *in cap. 9. lib. 19. obſ.* quin eandem diſertè probat Jul. Clarus *lib. 5. ſentent. §. ult. quæſtion. 68. n. 2.* 18 19

Verùm Teſſaurus *in deciſ. 12.* & hunc ſecutus Menochius *lib. 2. de arb. jud. quæſt. caſ. 357. nu. 9.*

 ſecus

20 ſecus ſentiunt, atq; eum, † qui abortioni cauſſam dedit, indiſtinctè extra ordinem pro arbitrio judicis puniendum eſſe ſtatuunt: quod nec *d.l.4.* nec *d. l. ſi mulierem.* neq; ulla alia lex in jure noſtro diſtinctionis hujus, utrum videlicet partus animatus ſit, aut inanimatus, vel minimo verbo meminerit. Atq; hæc ipſa ſententia juri magis mihi videtur conſentanea. Ut enim pœnæ l. Corneliæ de Sicariis locus ſit, hominem
21 † interemptum, vel ipſius interimendi cauſa quid actum eſſe oportet. Jam verò partũ quan-
22 tumvis animatum † pro homine jura, in hoc cumprimis caſu antè non habent, quàm editus ille ſit. *per l.cum inter.14.ibi, homo fieri ſperatur, &c. C.de fideicom.libert.* eodemq; facit *d.l.qui in utero.*

Neq; obſtat huic ſententiæ *d. § qui abortionis.*
23 quoniam † eò loci is, qui poculum abortionis aut amatorium dedit, non partus ratione, ſed eam ob cauſam ultimo ſupplicio afficitur, quia mors vel ipſius mulieris, cui abortionis poculum datum eſt, vel hominis, cui amatorium poculum propinatum fuit, ſecuta eſt. Ac licet per
24 hominis † vocabulum, quod in oppoſito *§ qui abortionis.* ab appellatione mulieris disjungitur, nonnulli partum jam animatum intelligant: tamen iſta interpretatio admitti neutiquam poteſt. tum quod impingit *in l. hominis 152. ſup. de verb. ſignific.* ubi Gajus tam fœminam, quàm
25 maſculum hominis † appellatione comprehendit, tantum abeſt, ut fœminam hominem

eſſe

eſſe neget: tum verò quòd contextus iſtius § interpretationem hujuſmodi reſpuit. Etenim Paulus eò loci † mulierem homini non oppo- 26
nit, quemadmodum opinatur Cujacius *in cap. 21. libri 6. obſervat.* ſed hoc ſaltem ſibi propoſitum habet, ut oſtendat ultimo ſupplicio afficiendum eſſe, non eum modò, qui fœminam poculo abortionis peremit: ſed, de quo magis dubitari poterat, iſtum quoque, qui poculum amatorium homini præbuit, ex quo iſte periit, ſive mas, ſive fœmina perierit: utriq; enim tàm mari quàm fœminæ poculum † amatorium pa- 27
rari poſſe extra controverſiam eſt. Neq; pugnat hæc interpretatio cum *l. 3. § adjectio autem. ſup. ad l. Cornel. de Sicar.* Etſi enim non pauci ex † poſte- 28
riori iſtius § clauſula evincere conantur, non ordinariæ homicidii pœnæ, ſed extraordinariæ duntaxat locum eſſe, etiam tum, quando ex poculo amatorio mors ſubſecuta eſt, quòd is, qui videlicet poculum ejuſmodi † alteri propina- 29
vit, gravius non peccârit, quàm ea, quæ medicamentum ad conceptionem dediſſet, ex quo ſimiliter ea, quæ medicamentum acceperat, deceſſiſſet: ſiquidem propinator iſte quicquid fecit, cupidine amoris fecit, non ea † mente, ut 30
hominem perderet, ſed ut ſibi ſoli ſervaret, eoq; vivo ad ſuam libidinem uteretur frueretur: ſicut videre eſt ex iis, quæ de hac quæſtione traduntur ab Ægid. Boſſio *in tract. criminali. tit. de homicid. n. 6.* & Anton. Teſſauro *in d. deciſ. 12.*

nu.10. Ego tamen, ſalva tantorum Jctorum au-
ctoritate, à claro textu *d. § qui abortionis.* rece-
dendum non eſſe ſtatuo: Aliud quippe eſt, ad
conceptionem medicamentum dare, aliud ex-
plendæ libidinis cauſa poculum amatorium
31 propinare. Nam † conceptioni qui inſervire
nititur, rem per ſe licitam facit, licet in modo
32 peccet: Sed qui libidinis explendæ gratia † po-
culum præbet, non ſolùm in modo peccat, ſed
operam quoq; dat rei illicitæ, cùm petito amo-
re per media licita potiri potuiſſet, atque ita ex
ipſius parte dolus ſaltem implicitus intervenit:
præſertim cùm ſcire debuerit, pocula iſta ſic
comparata eſſe, ut veriſimiliter mortem infe-
rant. Quam ſententiam quoq; probat Alciatus
in cap.25. lib. 7. *παρέργων*, neq; ab illa diſſentire
videtur Ant. Gomezius *in cap.3. n.33. tomi 3. va-
riar. reſolut.* quibus addi poſſunt ea, quæ hac de
re ſcribit Menochius *in caſu 368. lib. 2. de arbitrar.
judic. quæſtion.* Itemque Didac. Covarruvias *in d.
clem. ſi furioſus. part. 2. in initio. n. 2. verſ. interim tamẽ.*
ubi diſcrepantiam, quæ ex *d. § adjectio autem. & d.
§ qui abortionis.* reſultat, etiam ex diverſitate me-
dicamentorum, quæ vel ad conceptionem, vel
abortus amoriſve ciendi cauſam porrigi ſo-
33 lent, conciliari poſſe ſcribit: ſiquidem † medi-
camentum, quod ad conceptionem datur, con-
fici ſoleat ex his, quæ vires corporis augent, ho-
mineſq; aliâs debiles ad generandum fortiores
reddunt: illud verò medicamentum, quod ad
abor-

abortum amorémve ciendum † datur, ex ejuſ- 34
modi componatur ſpeciebus, quæ vel ad corporis diſſolutionem, vel ad affectiones animorum immutandas tendunt: quod ipſum ſuâ naturâ cum periculo mortis conjunctum ſit: atq; hinc factum dicit, quòd gravior etiam pœna ſtatuta ſit in eum, qui abortionis vel amatorium poculum cuipiam dediſſet.

Cæterùm quod ad † principium *d. l. Cicero.* 35
attinet, neq; illud prædictam aſſertionem infringere poteſt: quoniam interventus † pecu- 36
niæ, quam mulier iſta partus abigendi cauſa à ſecundis heredibus acceperat, delictum illud atrocius reddidit, ita quidem, ut hoc nomine quod & patrem herede fraudaſſet, & indebitè hereditatem ſecundis heredibus detuliſſet, gravior ei pœna indicta ſit: tametſi pœnam capitalem, cujus Tryphonius in principio *d. l. Cicero.* meminit, nonnulli, quibus tamen propter contextum iſtius l. non aſſentior, accipiant de ejuſ-
modi † pœna, quæ quidem non vitam, ſed ca- 37
put hominis de civitate eximit: qualis eſt exilii ſive deportationis pœna, quæ & ipſa tàm ab Ulpiano in principio *l. 2. ſup. de pœn.* quàm à Paulo *in l. 2. ſup. de publ. judic.* capitalis dicitur.

Atq; hæc quidem de jure civili ita ſe habent: verùm uſu ſuperior interpretum diſtinctio ſervatur, eíque, cujus facto partus † animam ha- 38
bens periit, ordinaria homicidii pœna irrogatur; quod & criminali ordinatione Carolina

cautum eſt, *ſub art.133.* Nec mihi alia videtur eſſe mens juris divini, quod Canones quoq; hac in parte ſequuntur, veluti patet *ex c. Moyſes. 32. q.2.* cùm Deus *Exod.21.cap. verſ. 22. & ſeqq.* eum,
59 qui † abortui cauſam dedit, pœna capitis ita demum plecti velit, ſi partus, quem mulier inde enixa eſt, mortuus fuerit.

L. 188.

Celſus libro 17. Digeſtorum.

¶ U*bi pugnantia inter ſe in teſtamento juberentur, neutrum ratum eſt.*

SUMMARIA.

1 *Pugnantia in quibuſvis actibus ut conciliari poſſint, jura enitendum eſſe ajunt.*

2 *Contraria ſimul ſtare non poſſunt.*

3 *Inſtitutio teſtatoris inutilis eſt, ſi ſibi invicem repugnet.*

4 *Orationes duæ pugnantia continentes de jure ſimul falſæ ſunt.*

5 *Contrarietas in inſtrumĕtis fidem ſcripturæ derogat.*

TAmetſi & in ſtatutis, & in ultimis voluntatibus, & in teſtibus; & in inſtrumentis, o-
1 mni ope atq; opera enitendum eſt, ut † pugnantia per diſtinctionem concilientur, quemadmodum tradit Decius *hîc n. 4.* Attamen ubi pugnantia hæc ejuſmodi ſunt, ut nullo diſtinctionis fœdere conciliari poſſint, tum demum regulæ

gulæ huic locus eſt, ex ea ratione, quòd † con- 2
traria ſimul ſtare non poſſint.

Unde & Marcianus ex ſententia Juliani *in l. ſi Titius 16. ſup. de condit. inſtit.* inutilem † eam in- 3
ſtitutionem eſſe ſcribit, ſi quis hoc modo heredem ſcripſiſſet: Si Titius heres erit, Sejus heres eſto: ſi Sejus heres erit, Titius heres eſto. Eademq; ratione Julianus *in l. ſi is qui 13. § utrum ita. ſup. de reb. dub.* duas orationes † pugnantia conti- 4
nentes ſimul falſas eſſe ait. Atq; hujuſmodi contrarietatem † in inſtrumentis fidem ſcripturæ 5
derogare oſtendit *l. ſcriptura 14. C. de fid. inſtrum.*

Ad §. 1.

Quæ rerum natura prohibentur, nulla lege confirmata ſunt.

Hujus regulæ intellectus dependet ex dictatis, quæ data ſunt *ad l. verum eſt 21. & l. impoſſibilium 185. ſup. h. t.*

L. 189.

Celſus libro 13. Digeſtorum.

Pupillus nec velle, nec nolle in ea ætate, niſi appoſita tutoris autoritate, creditur: nam quod animi judicio fit, in eo tutoris autoritas neceſſaria eſt.

Quis regulæ hujus ſit ſenſus, ac quatenus ei locus ſit, ſatis demonſtrant ea, quæ dixi *de l. in negotiis. 5. ſup. h. t.*

L. 190.

Celſus libro 24. Digeſtorum.

¶ *Quod evincitur in bonis non eſt.*

Hujus l. explicatio adhæret iis, quæ tradita ſunt *in l. id quod noſtrum 11. ſup. h. t.*

L. 191.

Celſus libro 33. Digeſtorum.

¶ *Neratius conſultus, an quod beneficium dare ſe quaſi viventi Cæſar reſcripſerat, jam defuncto dediſſe exiſtimaretur: reſpondit, non videri ſibi Principem, quod ei, quem vivere exiſtimabat, conceſſiſſet, defuncto conceſſiſſe. Quem tamen modum eſſe beneficii ſui vellet, ipſius æſtimationem eſſe.*

Summaria.

1 *Beneficium indultum ei, quem Princeps vivum eſſe putabat, in defunctum collatum non cenſetur.*

2 *Principis eſt beneficium ab ſe datum interpretari.*

3 *Privilegia ob ſolam perſonæ conditionem indulta cum perſona iſta intereunt.*

4 *Judicium debitoris nomine à defenſore acceptum nullum eſt, ſi ille, quem vivere putavit, tum diem ſuum obiiſſet.*

5 *Debitor qui ab Imperatore hoc privilegium impetravit, ne à creditoribus intra quinquennium*

urgeretur

urgeretur, ad heredes ſuos illud non devolvit, ſi intra quinquennium moriatur.

HÆc l. nihil aliud ſibi vult, quàm quòd beneficium † à Principe indultum ei, quem 1
vivum eſſe credebat, in defunctum collatum
non cenſeatur, niſi † princeps ipſe ſuum bene- 2
ficium pro defuncto interpretetur. Regulare namq; hoc eſt, quòd extra voluntatem principis, quippe cujus eſt beneficia principalia interpretari, ut refert Paulus in principio *l. ex facto*
43. ſup. de vulgar. & pupil. ſubſtit. privilegia † ob 3
ſolam perſonæ conditionem indulta perſonam iſtam non egrediantur, ſed cum ipſa intereant, veluti patet ex his, quæ notavi *ad l. in omnibus 68. ſup. h. t.*

Cæterùm regulam hanc Cujacius declarat argumento *l. de qua re 74. §. ult. ſup. de judic.* ubi Ju-
lianus judicium, quod defenſor † debitoris i- 4
pſo jam mortuo, quem tamen vivere exiſtimabat, accepit, nullum eſſe reſpondit. Tametſi illuſtrius, & regulæ huic, meo judicio, accommodatius eſt illud exemplum, quod Joh. Ferrarius hoc loco profert de eo, qui, cùm magno ære alieno obſtrictus eſſet, ab Imperatore hoc
† privilegium obtinuit, ne intra quinquenni- 5
um à creditoribus urgeretur: cujuſmodi privilegio ipſius heredes non gaudent, ſi videlicet ante quinquennii lapſum is diem ſuum obiiſſet: neq; etiam operari illud privilegium hoc poteſt, ne bona obærati iſtius intra tempus

illud

illud per creditores diſtrahi poſſent, niſi ipſe Imperator ſe defuncto quoq; privilegium illud collatum velle declaret.

L. 191.

Marcellus libro 29. Digeſtorum.

¶ *Ea quæ in partes dividi non poſſunt, ſolida à ſingulis heredibus debentur.*

SUMMARIA.

1 *Heredes pro quota ſaltem tenentur in his, quæ dividi poſſunt.*

2 *Obligatio rei individuæ heredes ſingulos in ſolidum tenet.*

3 *Heredum unus ſi ſolidum præſtitit, actione familiæ erciſcundæ à coheredibus repetere poteſt id, quod ultra quotam ſuam expendit.*

4 *L.4.§.1.ff.de verbor. obligat. conciliatur cum l. via itineris.17.ff.de ſervit.*

5 *Factum ex Duareni ſententia, & dividuum & individuum eſſe poteſt.*

6 *Facti partem qui fecit nihil feciſſe videtur.*

7 *Debitor facti alicujus liberatur ſi æſtimationem præſtiterit.*

8 *Æſtimatio dividi ac per partes præſtari poteſt.*

9 *Obligatio ejus, quod individuum eſt, reſpectu æſtimationis dividua eſſe cenſetur.*

TAmetſi heredes in iis, quæ dividi poſſunt
1 non in ſolidum, ſed ſinguli † pro ſua dun-

taxat

taxat quota tenentur, ita ut qui heres eſt ex triente, trientem ſolvat, beſſem verò ſolvat is, qui ex beſſe heres ſcriptus eſt, *per l. pacto 26. C. de pact. & l. 2. C. de hered. action.* ſecus tamen ſeſe res habet, ſi occurrat † obligatio rei individuæ, veluti ſervitutis: ex hac enim heredes debitoris omnes in ſolidum tenentur ac conveniri poſſunt, *l. via itineris 17. ſup. de ſervit. l. 2. §. ex his igitur. & l. in executione 85. §. ſecunda. ſup. de verbor. oblig.* quamvis hoc caſu is, qui ſolidum præſtitit, actione † familiæ erciſcundæ à ſuis coheredibus repetere poſſit id, quod ultra quotam ſuam præſtitit, *d. §. ex his igitur. & l. heredes 25. §. contra. ſup. famil. erciſc.* Neq; cum his † pugnat *l. 4. §. 1. ſup. de verb. oblig.* quoniam loquitur de obligatione facti, quod † tàm dividuum, quàm individuum eſſe poteſt, ſicut docet Duarenus in *cap. penult. de verbor. oblig.* ac licet factum individuum ſit, ita, ut, qui partem † fecit, nihil feciſſe videatur, tamen cùm debitor hoc caſu facere quod promiſit, præcisè non cogatur, ſed † liberetur, ſi æſtimationem, ſive id, quod creditoris intereſt fieri hoc quod eſt promiſſum, præſtiterit: æſtimatio autem iſta dividi & per † partes præſtari poſſit: ideo obligatio † ejuſmodi hoc reſpectu dividua cenſetur, ac ſinguli etiam heredes pro portionibus hereditariis condẽnantur, id quod & Celſus *in l. ſi quis ab alio 13. § 1. ſup. de re jud.* & Ulpianus in principio *l. ſtipulationes non dividuntur 72. verſ. Celſus tamen. ſup. de verb. obligat.* ſatis innuit.

2 3 4 5 6 7 8 9

Ad

Ad § 1.

¶ *In re dubia benigniorem interpretationem ſequi non minus juſtius eſt, quàm tutius.*

Quæ adſcripta ſunt *l. ſemper in dubiis 56. ſup. h. t.* hujus §. ſenſum ſatis illuſtrant.

L. 193.

Celſus libro 38. Digeſtorum.

¶ *Omnia ferè iura heredum perinde habentur, ac ſi continuò ſub tempus mortis heredes extitiſſent.*

Regula hæc perſpicuè expedita eſt *ſub l. omnis hereditas 138. ſup. h. t.*

L. 194.

Modeſtinus libro 6. Differentiarum.

¶ *Qui per ſucceſſionem quamvis longiſſimam defuncto heredes conſtiterunt, non minus heredes intelliguntur, quàm qui principaliter heredes exiſtunt.*

Hujus l. interpretatio continetur *ſub l. heredem 59. ſup. h. t.*

L. 195.

Modeſtinus libro 7. Differentiarum.

¶ *Expreſſa nocent, non expreſſa non nocent.*

Sum-

SUMMARIA.

1 *Legata non quidem expreſſè ſed tacitè alterius arbitrio committi poſſunt.*
2 *Dictio* nonnunquam *quid arguat?*
3 *Expreſſa quandoq; proſunt, & non expreſſa nocent.*
4 *Novatio non valet niſi à contrahentibus expreſſa fuerit.*

REgula hæc deſumpta eſt ex *l. nonnunquam 52. ſup. de condit. & demonſt.* quæ ejuſdem Modeſtini eſt, atq; ex ipſius libro 7. differentiarum ſimiliter petita. Quæritur autem eò loci de legatis, an videlicet alterius arbitrio illa committi poſſint? Reſpondet Modeſtinus legatum † non valere, ſi expreſſè in alterius vo- 1
luntatem collatum fuerit, quod tamen valeret, ſi tacitè in arbitrio alterius poſitum eſſet. Unde ſi cuipiam ita legatur: Titio decem do, lego, ſi Mævius voluerit, inutile eſt legatum: ſed hoc modo utiliter legatur: Titio decem do, lego, ſi Mævius Romam venerit. Etſi enim in arbitrio Mævii ſit, an Romam venire, & ſic efficere velit, ut Titio legatum debeatur, valebit tamen legatum illud, quia nominatim & expreſſè ejus arbitrio commiſſum non eſt. Simile exemplum ex Papiniano propoſitum fuit *in fine l. actus legitimi 77. ſup. h. t.*

Quod verò Modeſtinus in l. modò allegata apponit † vocabulum *Nonnunquam*, hoc ipſo ſi- 2
gnificat, regulam hanc uſquequaq; veram non

eſſe,

3 eſſe, ſed fieri aliquando, ut expreſſa † proſint, non expreſſa noceant: velnti *in l.ult. C. de novat. & §.pen. Inſtit. quib. mod. toll. oblig.* novatio præ-
4 tenſa non † prodeſt, niſi expreſsè contrahentes verbis declarârint, ſe propterea conveniſſe, ut priorem obligationem novarent.

L. 196.

Modeſtinus libro 8. Regularum.

¶*Privilegia quædam cauſæ ſunt, quædam perſonæ. Et ideò quædam ad heredem tranſmittuntur, quæ cauſæ ſunt, quæ perſonæ ſunt, ad heredem non tranſeunt.*

Explicationi hujus regulæ ſatisfactum eſt *ſub l. in omnibus 68. ſup. h. t.*

L. 197.

Modeſtinus libro ſingulari de ritu nuptiarum.

¶*Semper in conjunctionibus non ſolùm quid liceat conſiderandum eſt, ſed & quid honeſtum ſit.*

Quæ dicta ſunt de principio *l. non omne 144. ſup. h. t.* in his hujus quoq; regulæ interpretatio acquieſcit.

L. 198.

Javolenus libro 13. ex Caſſio.

Neq;

¶ *Neq; in interdicto, neq; in cæteris cauſis pupillo nocere oportet dolum tutoris, ſive ſolvendo eſt, ſive non eſt.*

SUMMARIA.

1 *Tutoris dolus quando pupillo noceat?*

2 *Lis temerè à tutore mota pupillo non nocet.*

3 *Pupillus ex dolo tutoris in contractu admiſſo tum tenetur, quando locupletior inde factus eſt.*

4 *Tutoris dolus extra contractum admiſſus pupillum ita demũ obſtringit, ſi tutor ſolvendo fuerit.*

5 *Intellectus l. Julianus. 13. § ſed cum in facto. ff. de action. empt.*

6 *Tutor quando dolum in venditione admiſit, unde pupillus ipſius locupletior factus eſt, emptori liberum eſt, utrum tutorem, an verò pupillum eo nomine convenire velit.*

7 *Tutor autoritatem pupillo contrahenti accommodans æquè conveniri poteſt, ac ſi ipſe contraxiſſet.*

REgula hæc univerſalis non eſt, ſed ei tum demum locus datur, quando † pupillus ex 1
dolo tutoris locupletior factus non eſt: veluti ſi ſupervacaneam litem tutor † inſtituiſſet, eoq; 2
nomine in expenſas damnatus eſſet, hujuſmodi expenſæ pupillo imputari non poſſent, *per l. quos 9. § nec utiq; ſup. de adminiſt. & peric. tutor.* Quò pertinet etiam *l. is qui in puteum 11. § ſi tutoris. ſup. quod vi aut clàm. & l. pen. ſup. de tabul. exhib.* Cæterùm ſi ex dolo tutoris † locupletior pupillus factus ſit, eumq; dolum in cõtractu tutor admiſe- 3

rit, pupillus ex eo tenebitur, ſive ſolvendo tutor ſit, ſive non ſit, *l. ſed & ex dolo 15. in princ. ſup. de dol. mal. l. 3. ſup. quand. ex fact. tut. vel curat. min. ag. poſſ. & l. 4. §. illa etiam. ſup. de dol. mal. & met. except.*
4 ſin verò dolus extra cõtractum † à tutore admiſſus ſit, pupillus aliter non tenetur, quàm ſi ſolvendo tutor fuerit, *per l. 1. ſup. quand. ex fact. tut. vel curat. min. ager. poſſ.* Neque cum his pugnant ea,
5 quæ tradit † Ulpianus *in l. Julianus 13. §. ſed cum in facto. ſup. de action. empt.* quòd enim ipſos tutores eò loci ex empto teneri ait, ſi dolum in vendendo commiſiſſent, ex eo non ſequitur pupillum
6 conveniri non poſſe, ſi ex iſta venditione † locupletior factus eſſet, cùm liberum emptori ſit hoc caſu adverſus tutorem vel ipſius pupillum actione empti experiri: id quod Ulpianus *in allegato §.* hoc ipſo ſatis innuit, quòd tutorẽ & tum conveniri poſſe ait, quando ipſe non ven-
7 didit, ſed † autoritatem ſaltem pupullo vendenti accommodavit. Qua de re plura tractat Cujacius *ad l. heredibus 13. §. 1. ſup. de dol. mal.*

L. 199.

Javolenus libro 6. Epiſtolarum.

Non poteſt dolo carere, qui imperio magiſtratus non paruit.

SUMMARIA.

1 *Magiſtratui qui non paret dolo facit.*
2 *Pœna ejus, qui magiſtratui non paruit.*

3 Ma-

3 *Magiſtratui extra territorium jus dicenti in his, quæ voluntariæ juriſdictionis haud ſunt, parendum non eſt.*

4 *Rector extra locum Academiæ deſtinatum neq; in Profeſſores, neq; in ſtudioſos juriſdictionem habet.*

QUemadmodum jura excuſatum habent eum, qui juſſu judicis, cui parere ipſum oportet, quid facit, veluti notavi *ad l. non videntur 167. §. 1. ſup. h.t.* Ita viciſſim eum excuſatum non habent, qui imperio magiſtratus † non paruit: 1
quia dolo facit, qui magiſtratui non paret, atq; iccirco pœnali judicio † tenetur ad hoc, ut præſtet quanti ea res eſt, hoc eſt, quanti contumacia iſta à judice æſtimata fuerit, ſicut interpretatur Zaſius *in l. un. n. 7. & ſeq. ſup. ſi quis jus dic. non obtemp.* Verùm hæc intelligenda ſunt de iſto magiſtratu, qui in ſuo territorio jus dicit: ſiquidem ei, qui extra † territorium jus dicit, impunè non paretur, in iis videlicet, quæ voluntariæ juriſdictionis non ſunt, veluti docet Coraſius *in l. ult. n. 3. ſup. de juriſdict. per l. emancipari. 36. §. 1. ſup. de adopt. & l. 2. ſup. de offic. proconſ.* Unde Zaſius *in paratit. de juriſdict. n. 21.* ait: Rectorē Academiæ, ſi tempore peſtis cum Profeſſoribus ac ſtudioſis in alium locum ſeſe receperit, neq; † in Profeſſores neque in ſtudioſos juriſdictionem ullam habere, niſi cum conſenſu domini iſtius loci illam obtinuerit, argumento *l. ult. ſup. de offic. præf. urb.*

L. 200.

Javolenus libro 7. Epiſtolarum.

¶ *Quoties nihil ſine captione inveſtigari poteſt, eligendum eſt quod minimum habeat iniquitatis.*

Summaria.

1 *Deciſio iſta in dubio eligenda eſt, quæ minus iniquitatis habet.*

2 *Reſpublica rectius adminiſtrari non poteſt, quàm ſi levius malum permittatur tum, quando duo mala offeruntur.*

3 *Repudium cur Ebræis Deus permiſerit?*

4 *Cauſa, quam Actor interventu pecuniæ, qua Rei procuratorem corrupit, obtinuit, in rem judicatam non tranſit.*

5 *Pecunia turpiter accepta juſtius penes deceptum manet.*

6 *Media via in rebus perplexis eligenda eſt.*

Quando dubia occurrit quęſtio, quę in quácunq; decidatur partem, iniquitatem ali-
1 quam habet, eligenda eſt illa † deciſio, quæ minus iniquitatis habet. Et certè hi, qui Rempu-
2 blicam adminiſtrare volunt, rectius ei † non conſulent, quàm ſi tùm, quando duo mala ſive incommoda offeruntur, id quod levius eſt, permittant, ne in gravius incurratur. Hujuſmodi fuit lex, quam Deus in principio *capitis 24. Deuter.* de libello repudii tulit. Cùm enim videret

† Ebræ-

† Ebræos, utpote duræ cervicis homines, ma- 3
trimonium ſi nacti eſſent infelix, alterum horum malorum facturos eſſe, aut ut uxores, quas oderant, perpetuò affligerent, atq; demum occiderent, aut divortium cum iis facerent, hoc poſterius, divortium videlicet, utpote tolerabilius malum iis Deus conceſſit, ſed ita, ut iſte repudii libellus ſcriberetur: quò viri immites inter ſcribendum melius expenderent, quàm indignum eſſet, abigere ab ſe illas, cum quibus inde ab initio conjunctiſſimè vixiſſent, quasque poſtquam ejectæ eſſent, nunquam deinceps in matrimonium recipere poſſent.

Sed juris interpretes communiter regulam hanc illuſtrant exemplo deſumpto *ex l. ſi procurator 9. ſup. de dol. mal. & met. except.* ubi Actor, qui
† procuratorem Rei pecuniâ corrupit, atque 4
hoc modo cauſam obtinuit, neq; ex judicato adverſus Reum experiri poteſt, quin doli mali exceptione ſubmoveatur, neq; etiam pecuniam à Procuratore auferre poteſt, quòd pecunia
† turpiter accepta juſtius ſit penes eum, qui de- 5
ceptus eſt, quàm qui decepit. Atq; huc referri quoq; poteſt illud, quod tradit Paulus *in l. filio 7. ſup. ut legat. ſeu fideicommiſſ. ſervand. cauſ. caveat.* Eandemq; ob cauſam in rebus perplexis Imp.
Juſtinianus ſæpius mediam † viam elegit, ut vi- 6
dere eſt *ex §. ult. Inſtit. qui & ex quib. cauſ. manumit. non poſſ. & ex § cum aliena. Inſtit. de rer. diviſ.*

L. 201.

Javolenus libro 10. Epiſtolarum.

¶ *Omnia, quæ ex teſtamento proficiſcuntur, ita ſtatum eventus capiunt, ſi initium quoq; ſine vitio ceperint.*

Hæc regula ſuis exemplis declarata eſt *ſub l. in ambiguis 85. §. 1. ſup. h. t.*

L. 202.

Javolenus libro 11. Epiſtolarum.

¶ *Omnis definitio in jure civili periculoſa eſt, parum eſt enim, ut non ſubverti poſſet.*

Summaria.

1 *Definitio logica an in l. omnis definitio. 202. ff. h. t. intelligatur?*
2 *Definitionis vocabulo nonnulli regulā intelligunt.*
3 *Regulæ juris cur periculoſæ ſint.*
4 *Definitiones juris ob verarum differentiarum penuriam minus perfectæ ſunt.*
5 *Filius quomodo definiatur?*
6 *Actionis definitio examinatur.*
7 *Actione in rem quis petit id, quod ſuum eſt.*
8 *Verbum* Deberi *quid ſignificet?*
9 *Definitiones veræ ac perfectæ an in jure dari poſſint?*

HAnc l. interpretes bifariam accipiunt. Nōnulli, præſertim priſci juris interpretes, à quibus diſſentire non videtur Alciatus *in cap. pen.*

pen.lib. 6. paradox. exiſtimant, Javolenum loqui
de vera & logica † definitione. Alii, recentio- 1
res præſertim juris interpretes, è quorum nu-
mero quoq; eſt Cujacius *in l.1.ſup.h.t.* & Johan.
Mercerius *in cap.16. lib.2. opinion.* definitionem,
cujus in hac l. fit mentio, accipiunt † pro regu- 2
la ſive axiomate juris, quo ſenſu etiam accipi-
tur *in l.ſi Titio 22. §1.ſup. quand. dies legat. ced.* U-
tramq; interpretationem Pinellus *in cap.3.n.28.*
part.1. ad rubr. C. de reſcind. vendit. admittit. Nam
& regulæ † juris periculoſæ ſunt, propter mul- 3
titudinem exceptionum, quibus quælibet faci-
lè ſubverti poteſt, ſicut notavi *ad d.l.1.* Et defini-
tiones juris quoque ita comparatæ ſunt, ut vix
ulla ob verarum † differentiarum paucitatem 4
variasq; negotiorum circumſtantias perfecta
videri poſſit. Exempli gratia. Ulpianus *in l. fi-*
lium 6.ſup.de his qui ſui vel ali. jur. ſunt. filium † de- 5
finit eum, qui ex viro & uxore ejus naſcitur,
cùm tamen & adoptati, & hi, quos legitimatos
nuncupant, filii in jure dicantur, licet ex uxore
nati non ſint. *§ minorem natu. Inſtit. de adopt. l.3. &*
l. Divi 6. C. de natural. liber.

Sic Celſus *in l. nihil aliud 51. ſup. de obligat. &*
action. actionem † definit jus perſequendi in ju- 6
dicio quod ſibi debetur. Hanc definitionem
Hotomannus ad principium *tit. Inſtit. de action.*
n.17. imperfectam eſſe ſcribit, quòd actioni in
rem non competat, quippe per quam quis pe-
tat non quod ſibi debetur, ſed quod † ſuum eſt, 7

§ ſic.

§.ſic itaq; Inſtit.eod. Quamvis alii dicant verbum, Deberi, eò loci latè ſumi de eo, quod tàm dominii aut poſſeſſionis, quàm obligationis ratione debetur, argumento *l. pecuniæ verbum 178. §. ult.*
8 *ſup. de verbor. ſignif.* ubi Ulpianus ſub † verbo *Debuit*, omnem omninò actionem comprehendit. Ex quo vel unico obſcurum non eſt, in jure
9 quoq; veras ac perpetuas reperiri † definitiones, licet numero pauciores hæ ſint. Neque etiam dubium eſt ullum, quin, ſi accurata adhibeatur induſtria, Juriſprudentiæ æquè atque aliarum artium materia ritè definiri poſſit.

L. 203.

Pomponius libro 8. ad Quintum Mucium.

¶ *Quod quis ex ſua culpâ damnum ſentit, non intelligitur damnum ſentire.*

Summaria.

1 *Damnum quod quis ſua culpa ſentit, alii imputare non poteſt.*

2 *Culpa alterius alteri nocere non debet.*

3 *Damnum injuriâ ei factum non dicitur, qui ſua culpa damno iſti cauſam dedit.*

4 *Impenſas is, qui ſciens in alieno ſolo ædificat, non recuperat.*

1 DAmnum, quod quis † ex ſua culpa ſentit, alii imputare non debet. Unde nec juris auxilium

xilium is implorare poteſt, ut damnum illud ſibi reſarciatur, cùm ipſe ſibi obfuerit, nec juris ratio ferat, ut alteri † alterius culpa noceat, 2
cujus inſigne exemplum notatum eſt *ad l. quod à quoquo 46. ſup. h. t.* Cui addi poteſt illud, cujus meminit Alfenus *in l. ſi ex plagis 52. §. 1. ſup. ad l. Aquil.* ubi tabernarius, qui ei, à quo prius laceſſitus, flagelloq́; percuſſus erat, oculũ effoderat, damnum † injuriâ feciſſe non dicitur, quòd 3
culpa ſit penes eum, qui prior flagello percuſſit. Sic qui in alieno ſolo ex ſua materia ſciens ædificat, is † impenſas, quas abſq; rei, in quam 4
factæ ſunt, detrimento tollere nequit, non recuperat: cùm obſter ei culpa, quòd temerè ædificavit in eo ſolo, quod alienum eſſe ſcivit, *per l. adeò quidem 7. §. penult. ſup. de acquir. rer. domin. & l. domum. 5. C. de rei vendic.*

L. 204.

Pomponius libro 28. ad Quintum Mucium.

¶ *Minus eſt actionem habere, quàm rem.*

Quis ſit hujus l. ſenſus, & quomodo conciliari debeat *l. is qui actionem 15. ſup h. t.* id ſatis luculenter in eadem illa l. 15. eſt expoſitum.

L. 205.

Pomponius libro 39. ad Quintum Mucium.

¶ *Plerumq; fit, ut etiam ea, quæ nobis abire poſſint, perinde in eo ſtatu ſint, atq; ſi non eſſent ejus conditionis, ut abire poſſent. Et ideò quod fiſco obligamus, & vindicare interdum, & alienare, & ſervitutem prædio imponere poſſumus.*

Summaria.

1 *Rebus ſuis perfectè quis uti poteſt, etiamſi ex conditionis eventu res iſtæ ab ipſo avocari poſſint.*

2 *Fundus alteri ſub conditione legatus pendente conditione, ab herede alienari poteſt, quamvis poſtea exiſtente conditione nihil alienatum eſſe fingatur.*

3 *Res ſub conditione fiſco obligata, quamdiu conditio pendet, & alienari & ſervitute gravari à debitore poteſt, non ſecus ac ſi fiſcus nihil juris in ea haberet.*

FIt interdum, ut rebus, quæ ex cauſæ, aut
1 conditionis eventu † avocari à nobis poſſunt, non ſecus interim utamur, ac ſi hæ perfectè noſtræ eſſent. Exempli gratia, fundus, quem teſtator ſub conditione cuipiam legavit, in-
2 terim † dum conditio pendet, verè ab herede poſſidetur, uſq; adeò quidem, ut ob ſpem conditionis non extituræ ab ipſo alienari, ac pignori dari poſſit: tametſi eo caſu, ſi conditio extiterit, ab initio nihil alienatum actúmve eſſe fingitur: cùm nec longi temporis præſcri-

ptio

ptio tum legatario objici poſſit, *per l.ult.§ pen.C. commun. de legat.* Simile exemplum refertur ab Ulpiano *in l.2.ſup.de in diem addict.*

Eodemq; ſpectat illud, quod Pomponius *in fine hujus l.* ſubjungit de re, quæ fiſco obligata eſt fortè ſub ea conditione, ut, ſi ad diem conſtitutum pecunia ſoluta nō eſſet, res iſta fiſco inferretur. Licet enim res avocari à debitore poſſit tum, quando pecunia conſtituto die ſoluta non eſt: interim tamen vindicari ea res poteſt, ſi ad † alium pervenerit: quemadmodum & alienari & ſervitute gravari à debitore poteſt, quoniā integrum dominii jus penes ipſum manet tantiſper, dum pecuniā conſtituto die nō ſolverit. 3

L. 206.

Pomponius lib. 9. ex variis lectionibus:

§ *Jure naturæ æquum eſt, neminē cum alterius detrimento & injuria fieri locupletiorem.*

Summaria.

1 *Lucrari cum alterius damno, aut damnum per alterius lucrum ſentire nemo debet.*

2 *Pupillus pecuniam, quam ſine tutoris autoritate mutuam accepit, repetere non poteſt, ſi pubes factus eam ſolvat.*

3 *Uſucapio cur inducta ſit?*

AUrea hæc eſt, ac juri divino prorſus conſentanea regula: cui conſentit etiam illa, quæ traditur *in l. jure ſuccurſum 6. § ult. ſup. de jure*

 dot.

dot. ubi idem Pomponius refert bono & æquo
1 non convenire, ut lucretur † aliquis cum damno alterius, aut damnum ſentiat per alterius lucrum. Atq; ex eadem hac Pomponii regula, quæ ponitur etiam *in l. nam hoc natura 14. ſup. de condict. indeb.* pupillus mutuum, quod ſine tuto-
2 ris † autoritate accepit, & ex quo locupletior factus eſt, non repetit, ſi pubes factus illud ſolvat, ſicut docet Paulus *in l. naturaliter 13. §. ult. eod. tit.* Alteri enim quid detrahere, &, ut Cicero *in libro 3. Offic.* ſcribit, ſuum augere commodum cum alterius incommodo, magis eſt contra naturam, quàm ipſa mors, dolor & paupertas.

Neque regulæ huic contraria eſt uſucapio. Etſi enim invitis dominis hæc ſuum auferre, adeoq; uſucapientem cum domini injuria lo-
3 cupletare videtur: bono publico † tamen illa inducta eſt, ne dominia rerum in incerto jacerent, atq; ut aliquis litium finis eſſet, quemadmodum hoc pluribus declaravi ad finem *l. id quod noſtrum 11. ſup. h. t.*

L. 207.

Ulpianus libro 1. ad l. Juliam & Papiam.

¶ *Res judicata pro veritate accipitur.*

SUMMARIA.

1 *Judicata res pro veritate accipitur.*
2 *Judicata res quænam dicatur?*

3 *Sen-*

3 *Sententia quando in rem judicatam tranſeat?*
4 *Sententia contra jus lata in rem judicatam non tranſit.*
5 *Judicata rei niſi ſtetur, nullus litium finis erit.*
6 *Lites minui publicè expedit.*
7 *Sententia contra rem judicatam lata ipſo jure nulla eſt.*
8 *Judicata res ſub prætextu inſtrumentorum pòſt repertorum reſtaurari nequit.*
9 *Tranſactio de re judicata facta non valet.*

INſcriptio arguit regulam hanc deſumptam eſſe ex *l.ingenuum 25.ſup.de ſtat.hom.* ubi Ulpianus ex eâdem hâc regulâ, quòd videlicet † res 1
judicata pro veritate accipiatur, ingenuum haberi vult eum, qui per ſententiam ingenuus pronunciatus eſt, quamvis libertinus fuerit.

Cæterùm rem judicatam Modeſtinus *in l. 1. ſup.de re judic.* nominat, quæ finem † controver- 2
ſiarũ pronunciatione judicis accepit. Per pronunciationem judicis ſententiam intelligit, quæ in rem † judicatam tranſit, ſi per appella- 3
tionem ſuſpenſa non eſt, *l. 3. C. de re judic.* vel etiam ex alia cauſa retractari non poteſt. Etenim ſententia, quæ contra jus lata † eſt, in rem judi- 4
catam non tranſit, etiamſi appellatione ſuſpenſa non fuerit, *l.2.C.quand.provoc.non eſt neceſ.* Rei itaq; judicatæ jura eam tribuunt autoritatẽ, ut pro veritate eam habeant. Niſi † enim rei judi- 5
catæ ſtaretur, litiũ, quas minui † publicè expe- 6
dit, *per l.quidã exiſtimaverunt 21.in fin.ſup.ſi cert.pet.*

nullus futurus eſſet finis, neq; etiam is, qui cauſam obtinuit, de jure ſuo unquam certus fieret.
7 Unde etiam ſententia † contra rem judicatam lata ipſo jure nulla eſt, *l. ult. C. ſentent. reſcin. non*
8 *poſſ.* Nec ſub † prætextu novorum inſtrumentorum pôſt repertorum rem judicatam reſtaurari poſſe reſcribit Imp. Gordianus *in l. 4. C. de*
9 *re judic.* Neq; ullius momenti eſſe dicitur † illa tranſactio, quæ de re judicata facta eſt, veluti refert Ulpianus *in l. eleganter 23. § 1. ſup. de condict. indeb.*

L. 208.

Paulus libro 3. ad l. Juliam & Papiam.

¶ *Non poteſt videri deſiiſſe habere, qui nunquam habuit.*

Sententia huius l. expoſita eſt *ſub l. non videntur 23. ſup. h. t.*

L. 209.

Ulpianus libro 4. ad l. Juliam & Papiam.

¶ *Servitutem mortalitati ferè comparamus.*

Quatenus huic regulæ locus ſit, ſatis liquet ex iis, quæ dicta ſunt *de l. in perſonam. 22. ſup. h. t.*

L. 210.

Licinius Rufinus libro 2. regularum.

¶ *Quæ ab initio inutilis fuit inſtitutio, ex poſtfacto convaleſcere non poteſt.*

SUM-

SUMMARIA.

1 *Teſtamenti tempus in conditionalibus perinde ut in puris heredũ inſtitutionibus præcipuè ſpectatur.*

2 *Teſtamenti tempore quod non valet, nec poſtea valere poteſt.*

3 *Herede extraneo ſub conditione inſtituto quæ ſpectari ſoleant?*

4 *Tempus facti teſtamenti etiam in heredibus ſuis ſpectatur.*

5 *Tempus aditæ hereditatis non attenditur, ſi heredes ſui ſint.*

REgula hæc à Catoniana regula in hoc differt, quòd ad conditionales quoq; heredũ
inſtitutiones pertinet, quippe in quibus † per- 1
inde atq; in puris inſtitutionibus tempus teſtamenti præcipuè ſpectatur tùm videlicet, cùm quæritur, an inſtitutiones iſtæ valeant. Nam ſi
tẽpore teſtamenti † non valent, nec poſtea va- 2
lere poſſunt, etiamſi eo tempore, quo conditio evenit, impedimentum illud, quod inſtitutioni primùm obſtitit, ſublatum ſit. Atq; hinc in ex-
traneis heredibus ſub † conditione inſtitutis 3
tria tempora ſpectari ſolent, videlicet tempus facti teſtamenti, tempus evenientis conditionis, ac tempus aditę hereditatis, §. *in extraneis. Inſtit. de hered. qualit. & differ.* ubi quod de extraneis ad differentiam ſuorum heredum Imp. Juſtinianus tradit, eò non pertinet, ut in heredibus
ſuis † tempus facti teſtamenti attendi non de- 4
beat,

beat, quemadmodum nonnulli exiſtimant, ſed
5 ut in iis tertii temporis, quod † eſt aditæ hereditatis, ratio nulla habeatur: cùm in ſuis heredibus aditio nulla ſit, neq; etiam tempora delatæ atq; acquiſitæ hereditatis diſtinguantur, *per l. un. C. de his qui ant. apert. tabul. hered. tranſmitt.* Cætera quæ ad hujus l. interpretationem faciunt, notavi *ad l. quod initio 29. ſup. h. t.*

L. 211.

Paulus libro 60. ad edictum.

¶ *Servus Reipublicæ cauſa abeſſe non poteſt.*

SUMMARIA.

1 *L. ult. ff. h. t. unde deſumpta ſit?*
2 *L. ult. ff. h. t. quanám ratione nitatur?*

1 Ultima hæc regula deſumpta † eſt *ex l. ſi quis ſervum 7. ſup. ſi quis caut. in judic. ſiſtend. cauſ. fact.*
2 *non obtemp.* ejusq; ratio redditur † in principio *l. in his officiis 175. ſup. h. t.* quò loci etiam dixi pleniorem illius interpretationem contineri, *ſub l. in perſonam. 22. ſup. h. t.*

FINIS.

VITTORIO EMANUELE IN ROMA

699

fine

Digitized by Google

Digitized by Google

R. SALVAREZZA
RESTAURO
Via Val Sassina, 58 APR 1971
Tel. 893.223

Digitized by Google

Digitized by Google